Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Stanford University Libraries
36105013479758

Digitized by Google

LELAND·STANFORD·JVNIOR·VNIVERSITY

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

STANFORD LIBRARY

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1914.

Digitized by Google

221749

STANFORD LIBRARY

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Ad Plutarchi moralia annotationes criticae (*contin. e Vol. XLI pag. 381*), scripsit J. J. HARTMAN	1—8.
Ad Iustinum (XXIII. 2), scripsit P. H. D.	8.
De verbis Pronominalibus, scripsit K. SNEYDERS DE VOGEL .	9—16.
Ad Tacitii Dialogum c. 28, scripsit J. J. H.	16.
De librorum Catonianorum historia atque compositione, scripsit M. BOAS	17—46.
II. De Iliadis compositione (*contin. ex Vol. XLI pag. 289*), scripsit MATTHAEUS VALETON	47—80.
Ad Sophoclis Indagatores, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF .	81—90.
Ad inscriptionem argivam, scripsit G. V.	90.
Ad A. Gellium, scripsit P. H. DAMSTÉ	91—92.
De leone Delphico Croesi dono, scripsit I. H. LEOPOLD . . .	93—95.
Flavii Iosephi locus qui est de Iesu Christo, scripsit AL. SLIJPEN.	96—100.
Ad Iuvenalem I, 160 scripsit J. J. H.	100.
XPHMA — XPHMATA apud Herodotum, scripsit C. C. CHARITONIDES	101—103.
Ad Hor. Epl. I, 1, 64, scripsit J. J. H.	103.
De locis nonnullis Statianis, scripsit M. R. J. BRINKGREVE .	104—109.
Maniliana (*contin. ex vol. XLI p. 194—206*), scripsit J. VAN WAGENINGEN	110—118.
Ad tabulas quasdam Aegyptiacas, scripsit J. J. H.	118.
Ad Plutarchi moralia annotationes criticae (*contin. ex huius Vol. pag. 8*), scripsit J. J. HARTMAN	119—151.
Ad Apulei Met. VII, 5, scripsit P. H. D.	151.
Lectiones Valerianae (*contin. e Vol. XLI pag. 301*), scripsit P. H. DAMSTÉ	152—164.
Ad Sophoclis Indagatores (*contin. ex pag. 90*), scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	165—177.
Ad Duridis frg. XXXI, scripsit G. V.	178.
Observatiunculae de iure Romano (*contin. ex Vol. XLI pag. 446*), scripsit J. C. NABER S. A. FIL.	179—192.

Digitized by Google

	Pag.
Ad Tibulli elegiam libri secundi primam, scripsit J. J. HARTMAN.	193—197.
Ad Lysiae Or. I § 16, scripsit P. H. D.	197.
De historia Apollonii Tyrii, scripsit FRANCISCUS GARIN . .	198—212.
De locutione vulgari itala *noi si canta*, scripsit HENRI F. MULLER	212.
Persiana, scripsit J. J. HARTMAN	213—222.
Ad Platonis Rempublicam, scripsit J. L. V. HARTMAN . . .	223—256.
Lectiones Valerianae (*contin. e pag. 164*), scripsit P. H. DAMSTÉ.	257—272.
Iuvenalis Sat. 3, 23, scripsit P. H. D.	272.
Ad Plutarchi moralia annotationes criticae (*contin. ex huius Vol. pag. 151*), scripsit J. J. HARTMAN	273—289.
De Iliadis compositione (*contin. ex pag. 80*), scripsit MATTHAEUS VALETON	290—329.
Novae Inscriptiones Argivae, scripsit GUILLIELMUS VOLLGRAFF.	330—353.
Ad Ciceronis ad Att. XIV, 18 § 1, scripsit J. J. H.	354.
Ad Tac. H. II, 25, scripsit J. J. H.	354.
Observatiunculae de iure Romano (*contin. ex pag. 192*), scripsit J. C. NABER S. A. FIL.	355—368.
Ad Taciti Hist. IV, 24, scripsit J. J. H.	368—369.
De voce »fatum" sensu minus usitato adhibita, scripsit P. J. ENK.	370—379.
Bobiensia, scripsit C. BRAKMAN J. F.	380—384.
Ad Val. Maxim. VII 2 Ext. (Kempf. pag. 329, 17), scripsit C. B. J. F..	384.
Ciceroniana, scripsit C. BRAKMAN J. F.	385—388.
Ad Tac. Hist. IV 65, scripsit J. J. H.	388.
Ad Senecae Dialogum decimum, scripsit C. BRAKMAN J. F. .	389—391.
De Senecae Agamemnone, scripsit C. BRAKMAN J. F.. . . .	392—398.
Iuvenal. Sat. 1, 85, scripsit P. H. DAMSTÉ.	399—400.
Varia (*contin. ex Vol. XLI pag. 394*), scripsit ALPHONSUS KURFESS	401—404.
Ad Virgilii Buc. VI 34, scripsit J. J. H.	404.
Ad Callimachi hymnum in Cererem, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	405—419.
Ad Taciti H. I, 40, scripsit J. J. H..	419.
Pulmo Marinus, scripsit P. H. DAMSTÉ.	420—423.
Ad Plutarchi moralia annotationes criticae (*contin. e pag. 289*), scripsit J. J. HARTMAN	424—443.
Varia, scripsit G. VOLLGRAFF	444.

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e Vol. XLI pag.* 381.)

AN VIRTUS DOCERI POSSIT.

Quin haec quaestio Plutarcho cordi fuerit quid dubitemus? Sed hunc ab eo conscriptum libellum, id vero multo mihi videtur certum minus. Titulus disputationem in utramque partem habitam promittit; quid vero fit? Refutatur fictus aliquis adversarius qui virtutem doceri posse negat, immo vero minutis sententiolis, interrogationibus, versibus aliunde allatis conciditur. Nusquam placidum illum, lenem, loquacem agnoscis Chaeronensem, semper audis mordacem Σωκρατιδέα qui

εἰς τάχος παίει συνάπτων στρογγύλοις τοῖς ῥήμασι

hominem miserum, stultum, caecum cui non prorsus idem sit persuasum. Cum ceteris omnibus virtutibus longe ab isto libello exulat omnis lepor omnisque venustas. Quod satis iocoso demonstrare exemplo mihi posse videor; praeterea ne conabor quidem argumenta afferre: quid mihi legenti simulque de dilectissimo illo cogitanti scriptore in mentem venerit dixisse satis sit. Disputat noster de loco illo Platonis, ubi nullae graves lites nullaque bella nasci dicuntur *διὰ τὴν τοῦ ποδὸς πρὸς τὴν λύραν ἀμετρίαν καὶ ἀναρμοστίαν*, atque de suo et alia addit et hoc: *οὐδὲ περὶ προσῳδίας ἔχει τις εἰπεῖν στάσιν ἐν πόλει γενομένην*, quod uno illustrat exemplo *πότερον Τελχῖνας ἢ Τέλχινας ἀναγνωστέον*. Quam putidum hoc, quam longe arcessitum et ex remoto protractum angulo. Verus Plutarchus cum eiusmodi rerum exempla vult afferre in promptu habet lepidissima face-

Digitized by Google

tissimaque. Velut *de Def. Or.* 412 E. ludibrio habet grammaticos, qui quaestiunculis inanissimis semet ipsos „coquunt, macerant, defetigant". Quod autem affert exemplum? Quo nullum risui movendo aptius: „βάλλω" ait „futurum habet βαλῶ, internecivum ergo inter se gerunt bellum grammatici utrum prius an posterius ἀ exciderit". Sic refutat Demetrium grammaticum Heraclēō Megarensis, cui quin magis quam adversario faveat Plutarchus sub fratris latens persona iam non est dubitandum. De singulis locis neque lubet neque opus est quidquam annotare.

DE VIRTUTE MORALI.

Multo etiam philosopho Chaeronensi indignior hic libellus, quem, ut ad finem perlegas quantum tibi est taedii devorandum! Contra Stoicos eorumque perfectam virtutem puerulus iste, Aristotele praecipuo auctore usus [1]), demonstrat etiam esse quandam virtutem ex ratione affectus cohibente natam. Certe huc fere redit ineptae disputatiunculae argumentum. Oratio neque perspicua est neque ullo lepore commendatur. Quod alibi tam facete datur praeceptum: „ad ebrietatem vitandam non opus est *effundere* vinum, potes etiam *affundere* aquam" id hic ita corrumpitur ut nullo modo legentem monere, nedum delectare, possit. Annon ineptissima haec est sententiola (451 D):

οὔτε γὰρ οἶνον οἱ φοβούμενοι μεθύειν ἐκχέουσιν οὔτε πάθος οἱ δεδιότες τὸ ταρακτικὸν ἀναιροῦσιν ἀλλὰ κεραννύουσι,

quae et sermonis laborat vitio eoque gravissimo. Iure enim roget quispiam: „quaenam sunt *illae res* quae hic miscendae dicuntur?" Aquam vino miscemus, sed quid admisceamus affectibus animum perturbantibus? Dixeris absolute hic *κεραννύναι* dici, *diluendi* (vernacule „aanlengen") sensu, quomodo et noto illo Aristotelis loco fiat (de A. P. c. 26 Vahl.):

(et aliis rebus tragoedia heroicum carmen vincit et) *τῷ ἐν ἐλάττονι μήκει τὸ τέλος τῆς μιμήσεως εἶναι· τὸ γὰρ ἀθροώτερον ἥδιον ἢ τὸ* [2]) *πολλῷ κεραννύμενον τῷ χρόνῳ. λέγω δ' οἷον εἴ τις τὸν Οἰδίποδα θείη τὸν Σοφοκλέους ἐν ἔπεσιν ὅσοις ἡ Ἰλιάς.*

---

1) Inde est illud *αὐτὸς Ἀριστοτέλης* quod 448 A legitur.

2) Articulum hic inserendum puto.

Digitized by Google

Ubi pertinacior aliquis contendere possit inter se misceri *tempus* et *carmen*. Sed verisimilius est hoc voluisse Aristotelem: „id quod, *quia longum tempus intercedit*, diluitur leniusque fit". Hic vero istud *κεραννύουσι* absolute positum ridiculi atque absurdi aliquid praebet. Quid enim? Boni esse mentium medici dixeris ab adolescente, quem curandum receperit, removere quidquid vehementiores afferat affectus, sensus stimulet, denique perturbet mentem moresque corrumpat. Quid vero ille quem nobis exhibet personatus Plutarchus? Discipulum, ut opinor, secum ducit ad mimum aliquem vel ad tragoediam, in qua Phaedra vel Canace primas agit partes, et sublato aulaeo diatriben habet plenam castitatis ..... atque taedii! Lubrica, hercle, educandi ratio! Accedit quod, ut imaginis constet ratio, ea diatribe habenda erit *dum fabula agitur*. Quo nihil aptius *ad animum purturbandum*, nam ad insaniam sic miser adolescentulus adigitur.

Sed disertius hoc exemplum flosculi inepte ex ipso sublati Plutarcho. In libro *de cohibenda ira* iucundissima quadam narratione docetur quam sit egregium parcere inimico qui in tuam pervenerit potestatem. Totus ille locus, qui et alio nomine permagni est momenti, sic decurrit (457D sqq.):

Semper lego colligoque exempla continentiae, quae non philosophi dederint, quos qui ipsi mente carent felle carere aiunt, sed reges atque tyranni; velut illud est Antigoni qui, cum prope tabernaculum milites quidam ei maledicerent, exserto baculo, „heus vos, longius absistite si maledicere vultis" clamabat; atque illud Arcadionis et Philippi: Arcadion ille Achaeus semper conviciis in Philippum utebatur, quin etiam cives suos monebat ut fugerent

donec eo ventum, non notum nomen ubi istud.

Qui cum forte in Macedoniam venisset, amicis regem adhortantibus ne inultum abire sineret mordacem istum inimicum, rex eum amice salutavit, dona ei dedit hospitalia, deinde in Graeciam misit qui quibus nunc de rege verbis uteretur inter Graecos Arcadion inquirerent; cumque iam ab eo in coelum se tolli cognovisset „en" aulicis ait „quanto ego sim melior medicus quam vos". Cumque Olympiae multis esset laesus conviciis, essentque qui plorandum Graeculis istis dicerent qui multis ab eo affecti beneficiis nunc eum maledictis lacerarent „quales"

Digitized by Google

rogavit „eorum de me futuros opinamini sermones si malo eos affecero?" Praeclare etiam Pisistratus adversus Trasybulum se gessit, Porsenna adversus Mucium, adversus Philemonem Magas. Magas ille satrapa spectante populo a Philemone in quadam comoedia insigni erat affectus contumelia, in qua eum his erat allocutus quidam versibus:

Magas tibi a Rege, en, venerunt literae;
Non nunc dolet quod legere nunquam didiceris?

Aliquanto post Philemon, navi iter faciens, vento prope Paraetonium in litus est eiectus et sic in Magae pervenit potestatem. Quid tum ille? militem ad eum misit, quem iusserat destricto gladio collum eius leviter tangere, deinde poeta comiter salutato abire. Praeterea Philemoni pilam talosque quibus luderet misit. Grammaticum quondam, quem ut indoctum ludere volebat, Ptolemaeus rogavit: „quis Pelei pater?" Respondit ille: „dicam, si prius mihi quis Lagi pater dixeris", quibus verbis ei obscurum genus ita exprobrabat ut indignum et non ferendum clamarent qui aderant. Tum rex: „si non est regium iocum ferre posse, ne iocari quidem regem decet".

En lepidissimam narrationum syllogen, quas hic e scriniis suis profert Plutarchus, rei, de qua agitur, aptissimarum. Quarum haud dubie ceteris praestat de Maga illa: eleganter est enunciata et ut ceterae omnes egregie illustrat id quod demonstratur. At in libro *de virtute morali* nil nisi ipsius scriptoris demonstrat stultitiam. Capite enim X (p. 449 D sqq.) omnino inepte nugatur et sic ut ne hoc quidem bene intelligas quid tandem sibi velit — at multa eum proferre quae non huius loci, hoc vero luce clarius est — de Stoicorum paradoxo „paria sunt peccata". Ibi et hoc docet: „non omnium affectuum eadem est vehementia". Eandem esse nunquam, ut opinor, contenderunt Stoici. Atque sic declamat:

„quis dicat eadem ira Nicocreontem usum adversus Anaxarchum, qua adversus Philemonem usus est Magas, cum tamen uterque contumelia esset affectus? Pistillis ferreis Anaxarchum contudit Nicocreon, Philemonis cervices nudo tangi gladio deinde eum dimitti iussit Magas" [1]).

1) Absurde et in praecedentibus res inter se opponuntur, sed, quia paulo tamen minus absurde, hoc unum profero ceteris omissis.

Digitized by Google

Profecto tam stultus stolidusque nemo mortalium natus est qui idem esse dicat contundi et paulisper ludibrio haberi, neque quisquam Stoicorum fuit tam insanus qui id contenderet. Hoc vero prorsus incredibile stultitiae portentum non intelligere dilectum Stoicorum paradoxon illo exemplo ne leviter quidem moveri, nedum labefactari. Non enim inter se opponuntur duo mala facinora, sed crudele dirae ultionis *scelus* et praeclarae *virtutis* exemplum, quae in cohibenda adversus inimicum ira cernitur [1]).

Denique et libellum *an virtus doceri possit* et hunc *de virtute morali* insignia equidem duco exempla ineptissimae imitationis, qua ita Plutarchi personam sumit impostor ut ultro se indicet.

De singulis huius locis haec annoto:

440 D. Sic incipit:

περὶ τῆς ἠθικῆς λεγομένης ἀρετῆς καὶ δοκούσης, ᾧ δὴ μάλιστα τῆς θεωρητικῆς διαφέρει, τῷ τὸ μὲν πάθος ὕλην ἔχειν τὸ δὲ λόγον εἶδος, εἰπεῖν πρόκειται τίν' οὐσίαν ἔχει καὶ πῶς ὐφίστασθαι πέφυκε.

I et te ex hoc labyrintho expedi: „dicam qua re moralis virtus maxime differat a contemplativa" ... exspectas nunc de illa discrepantia paulo longiorem disputationem, sed statim decem verbis illa exponitur. Praeterea vehementer laborat syntaxis, nam ab *εἰπεῖν πρόκειται* primum pendet illud praecedens *ᾧ ... διαφέρει* deinde sequens *τίν' οὐσίαν ἔχει*. Et illa quidem lenissima sanari potest medicina, qua satis callide interpres latinus ita utitur ut quidquam ab eo mutatum vix intelligas: „de Virtute, quae cum appellatur tum videtur Moralis, *eoque* praecipue a contemplativa differt, quia pro materia animi motus, pro forma rationem rectam habet, propositum nobis est disserere, quaenam sit eius natura, quomodo subsistat". Sed si pro *ᾧ* scribis *ᾗ*, tantum abest ut disputationis absurditas tollatur ut etiam fiat manifestior: qui enim potes definire qua re a contemplativa differat ea virtus, cuius tibi etiam natura est describenda?

---

1) Fortasse hoc quoque alicuius in hac quaestione momenti quod hoc libello sententia Platonis *νεῦρα τῆς ψυχῆς ὁ θυμός refertur* tantummodo (449 F) at in libro *de cohibenda ira* (457 C) *refutatur*. Habemus enim et hic *inter eosdem libros* discrepantiam.

Digitized by Google

Et sic pergit:

καὶ πότερον οἰκείῳ λόγῳ κεκόσμηται τὸ δεδεγμένον μόριον αὐτὴν τῆς ψυχῆς ἢ μετέσχηκεν ἀλλοτρίου, καὶ εἰ μετέσχηκε πότερον ὡς τὰ μεμιγμένα πρὸς τὸ βέλτιον ἢ μᾶλλον ὡς ἐπιστασίᾳ τινὶ χρώμενον καὶ ἀρχῇ μετέχειν λέγεται τῆς τοῦ ἄρχοντος δυνάμεως.

Ut tamen aliquis hinc evadat sensus, ante *ἐπιστασίᾳ* inserendum *τό* est: „utrum ea pars mentis, quae eam recepit, propria sit praedita ratione, an particeps sit alienae, et si particeps est, utrum ita sit particeps ut ea pars quae cum meliore est mixta, an magis ita ut id quod aliquo principatu et imperio utitur particeps esse dicitur eius potentiae qui regit."

441 B Chrysippus item ut Menon ille Platonicus examen virtutum excitavit *κατὰ τὸ ποιὸν ἀρετὴν ἰδίαν συνίστασθαι νομίζων.*

Quis his addi *ποιότητι* ferat? Quod tamen inutile verborum *κατὰ τὸ ποιόν* interpretamentum nunc post *ἰδίαν* in textu legitur.

441 C Chrysippus ergo ille *πολλῶν καὶ ἀτόπων ὀνομάτων οὐδὲν δεομένην ἐμπέπληκε Φιλοσοφίαν.*

Et sententia et syntaxis postulat ut *τὴν Φιλοσοφίαν* legamus.

ib. Omnes illi philosophi virtutem esse dicunt ipsam rationem sibi consentientem, *καὶ νομίζουσιν οὐκ εἶναι τὸ παθητικὸν καὶ ἄλογον διαφορᾷ τινι καὶ φύσει ψυχῆς τοῦ λογικοῦ διακεκριμένον.*

Abesse hinc debere *ψυχῆς* senties si sequentia legeris: „sed eandem mentis (*ψυχῆς*) partem, quam rationem vocant, vel virtutem vel vitium fieri".

442 A Mentis humanae altera pars est *τὸ νοερόν* quod imperare debet *ἕτερον δὲ τὸ παθητικὸν καὶ ἄλογον καὶ πολυπλανὲς καὶ ἄτακτον ἐξ ἐπιστασίας ἑαυτοῦ δεόμενον.*

Sic W.; Graecus editor ... *καὶ ἄτακτον ἐξ ἑαυτοῦ δεόμενον*, quod prorsus sensu caret; Madvigius *ἐπιστασίας* post *ἑαυτοῦ* ponens tupem facit hiatum. E scripturae diversitate vides *ἐξ* et *ἑαυτοῦ* e margine irrepsisse in textum; inde remove, omnia erunt planissima.

ib. *τὸ μὲν ἀεὶ σώματι βουλόμενον συνεῖναι καὶ σῶμα θεραπεύειν*

Digitized by Google

πεφυκὸς ἐπιθυμητικὸν κέκληται, τὸ δ' ἔστι μὲν ᾗ τούτῳ προστιθέμενον, ἔστι δ' ᾗ τῷ λογισμῷ παρέχον ἰσχὺν ἐπὶ τοῦτο καὶ δύναμιν, θυμοειδές.

Illud ἐπὶ τοῦτο quid sibi velit non video; si deletur, optime decurrit sententia neque quidquam desideratur, si retinetur, perturbantur omnia.

ib. Plato harum partium differentiam maxime demonstrat τῇ τοῦ λογιζομένου καὶ Φρονοῦντος ἀνιβάσει πρὸς τὸ ἐπιθυμοῦν καὶ θυμούμενον.

Immo καὶ τὸ θυμούμενον. Diversae enim sunt partes τὸ ἐπ. et τὸ θυμ. His apud W. adduntur: ὥσπερ ἕτερα εἶναι πολλάκις ἀπειθοῦντα καὶ δυσμαχοῦντα πρὸς τὸ βέλτιστον, quae vix intelligo; apud B. ὡς τὸ ἕτερον εἶναι πολλάκις ἀπειθοῦν τε καὶ δυσμαχοῦν πρὸς τὸ βέλτιστον, quae, e coniectura in textum introducta, ipsa nocte obscuriora sunt. Alia opus est emendatione, sed mihi non est in promptu.

442 B Secundum Aristotelem quaedam ψυχῆς μέρη ὅλως ἀνήκοα λόγου καὶ κωΦὰ τρόπον τινα τῆς σαρκὸς ἐκβεβλάστηκε καὶ περὶ τὸ σῶμα παντελῶς καταπέΦυκε.

Ultimum vocabulum mihi obscurum: compositi rationem non perspicio. Ecquid καταδεδυκότι legendum? v. Pl. Gorg. 485 D.

442 F τὸ σῶμα τὰ μέρη συνευσχημονοῦντα τῇ κρίσει παρέσχε.

Optimam editoris Graeci emendationem μέλη pro μέρη in textum receptam oportuit.

445 E Sic describitur ἀκολασία, vitiorum extremum:

ἔχουσα καὶ πάθος Φαῦλον καὶ λόγον, ὑΦ' οὗ μὲν ἐξάγεται τῷ ἐπιθυμεῖν πρὸς τὸ αἰσχρόν, ὑΦ' οὗ δὲ τῷ κακῶς κρίνειν προστιθεμένου ταῖς ἐπιθυμίαις καὶ τὴν αἴσθησιν ἀποβάλλει τῶν ἁμαρτανομένων.

Dele inutilem annotationem τῷ ἐπιθυμεῖν.

447 E Dubitatio non inde oritur quod duae rationes inter se pugnant sed quod affectus rationi obstat. Datur hoc exemplum:

περὶ τὰς κρίσεις τῶν συμβολαίων ὑποτρέχοντα τὰ πάθη τὴν πλείστην ἐμποιεῖ διατριβήν.

Digitized by Google

Nihili hic certe est κρίσεις proque eo legendum τηρήσεις. Qui enim quod cum alio constituit fideliter servat τηρεῖ τὰ συμβόλαια.

451 E Postquam demonstravit affectus saepe rationi utilem ferre opem, haec addit:

φιλίας δὲ φιλοστοργίαν ἢ φιλανθρωπίας ἔλεον ἢ τὸ συγχαίρειν καὶ συναλγεῖν εὐνοίας ἀληθινῆς οὐδὲ βουλόμενος ἄν τις ἀποσπάσειεν οὐδ' ἀποτήξειεν.

Quid certius quam Reiskii emendatio, pro ultimo vocabulo ἀπορρήξειεν legentis? Quid melius cum ἀποσπάσειεν iungitur? Non ita visum editori Graeco, qui suo „non opus" molestum institorem facessere iubet. Criticus, qui natus est infelix, post obitum quoque suum sibi invenit Wyttenbachium.

AD IUSTINUM (XXIII. 2).

Agathocles cum in Italiam esset transgressus,
reverti eum in Siciliam interiectis paucis diebus vis morbi coegit, quo toto corpore conprehensus per omnes nervos articulosque umore pestifero grassante velut intestino singulorum membrorum bello inpugnabatur. Ex qua desperatione bellum inter filium nepotemque eius, regnum iam quasi mortui vindicantes, oritur; occiso filio regnum nepos occupavit. Igitur Agathocles, cum morbi cura et aegritudo gravior esset et inter se alterum alterius malo cresceret, desperatis rebus uxorem suam Theoxenam .... Aegyptum .... remittit.

In hoc loco tractando critici ad unum omnes verba *morbi cura* (i. e. curatio) copulanda esse mira consensione sibi persuaserunt, quo factum est ut Quintiliani praecepto prorsus inverso mala interpretatio lectiones multas praecederet sed minime hercle! emendatas. Scripsit Iustinus:

Igitur Agathocles, cum morbi ⟨*vi*⟩ cura et aegritudo gravior esset et inter se alterum alterius malo cresceret, cet.

P. H. D.

Digitized by Google

DE VERBIS PRONOMINALIBUS.

SCRIPSIT

K. SNEYDERS DE VOGEL.

Notum est in linguis quae romanae dicuntur permulta verba esse quae pronomen reflexivum adsciscunt, quod tamen nullo fere sensu adhiberi videtur, certe non obiecti vice fungitur actionis verbo expressae.

1) Invenitur enim pronomen reflexivum iunctum cum verbis intransitivis: *s'en aller, s'en venir, se mourir, se taire*; — *a se naşti* (nasci), *a se mira* (admirari), *a se teme* (timere); — *andarsi, fuggirsi, sedersi, tacersi, ammalarsi*; — *irse, venirse, dormirse*; — *virse.*

2) Sunt verba transitiva quae pronomine adhibito intransitivum quendam sensum accipiunt: *se tromper, se promener, s'éloigner, se casser*; — *a se îngrăşa* (engraisser), *a se duce* (ire); — *ingannarsi, allontanarsi*; — *volverse, alejarse, desviarse*; — *illudirse, turvarse.*

3) Forma de qua agimus saepe alium sensum habet. nempe passivum: *Cela ne se dit pas, mă bat* (vapulo), *si leggono i libri, se halla, se mataban los cristianos.*

In ea Romaniae terra quae Orientem spectat solus fere modus est quo passivum exprimatur.

4) In lingua italiana vulgari constructio nostra impersonalem quandam vim accepit, ita ut novum pronomen subiecti vice fungi possit: *noi si canta* (canimus); *Noi non si fa complimenti*, R. Fucini, *Le Veglie di Neri*, p. 217; in multis linguis obiectum secum habere potest: *se le blamaba* (nominabatur), Ibañez,

Digitized by Google

La Catedral, p. 14; *quivi ore nè campane non s'udiva*; *se soa os grandos feitos* [1]).

Opera dignum mihi videtur varios verborum pronominalium sensus in linguis romanis examinare et indagare quo quisque tempore et modo ortus sit et qua ratione alius ex alio nasci potuerit. Constat autem originem nostrae structurae in lingua latina quaeri debere. Examinemus igitur num varii sensus iam in latino inveniantur, an alii latino alii linguis romanis adscribendi sint. Sed quia quaestio est admodum intricata et ea quae brevi studio exhauriri non possit — ad plura indaganda tempus, heu! me deficit — pauca solum et brevia in medium proferam.

Res ipsa fert ut verbum activum pronomen quoque obiectum sibi adsciscere possit: *lavare, se lavare*; *nocere, sibi nocere*; *hostes in fugam vertere, se vertere in fugam*; *persuadere, mihi persuasum habeo*. In omnibus illis verbis vis pronominis satis clare sentitur, sed quia admodum difficile est actum verbi quem patitur ipsum subiectum tam clare et obiective, quod dicitur, ante oculos sibi ponere quam rem quam alius quidam patitur, facile intellegimus, prout natura verbi aut natura subiecti fert, vim transitivam non semper aeque claram esse. Si enim subiectum animal est — quod fere semper in „latino classico" accidit — pronomen suam sibi vim vulgo retinet; sin subiecti vice fungitur res, quae agere non potest, verbum reflexivum ad intransitivum prope accedit. Perspicuum autem est verbi quoque naturam certam quandam vim habere ad vertendum verbum reflexivum in intransitivum; si ad animum aut mentem spectat, ut *persuadere*, vis activa minus bene sentitur quam in *se lavare* e. gr.

Quamquam igitur vis pronominis semper sentitur, tamen saepe in lingua classica iam minus clara esse potest, id quod plurimum interest, si historiam nostrorum verborum examinare volumus.

Lingua autem latina aliam quandam verbi formam habet quae fere omnia exprimere potest quae in linguis romanis verbis pronominalibus reddintur. Est genus verbi quod plerumque

1) Cf. Meyer-Lübke, *Gramm. d. langues rom.*, III p. 111.

Digitized by Google

passivum vocatur, sed functio illa ita non sola eius formae vis est, ut ne antiquissima quidem esse videatur.

1) Sunt primum ea verba quae deponentia vocantur et quae sensum activum, formam autem passivam habent: *mercari, nasci, hortari.* Quod nemo non mirari potest qui non meminerit primo deponentia suam sibi vim habuisse et factum quoddam indicasse quod nostra imprimis intersit, mediali igitur sensu adhibita esse, id quod in nonnullis verbis optime sentiri potest: *negotiari* et *mercari* nimirum illam solam formam adhibuisse nemini non luce clarius esse videbitur.

2) In sententiis ut *vas rumpitur* verbum intransitivum sensum habet, cf. *le vase se brise, de vaas breekt.*

3) Quod saepe forma passiva et reflexiva inter se alternant indicat forma in *-or* reflexivi quoque vice fungi posse: *praecepit eis ne se ex eo loco moverent*, Liv. XXXIV, 20; *nec vestigio quisquam movebatur*, Liv. X, 36.

Videmus igitur verbi formam quae in *-or* exit quattuor habere posse significationes passivam, reflexivam, medialem, intransitivam.

Quae res persistere non potuit. Mirabile esse videtur unam atque solam formam tot et tam diversas res exprimere posse. Inde ab antiquissimis temporibus aliae formae petebantur quae clarius designarent quae quoque loco vis intellegenda esset.

1) Passivi sensus per multa saecula nostra forma exprimitur. Sed passivum quoque periturum fuisse, monstrant linguae romanae quae aliae alias vias ingressae sunt ut vim passivam redderent, seque ad verbum *esse, fieri, venire,* formam reflexivam, alia contulerunt.

2) Vis medialis periit. Non iam igitur necesse est — immo contra rerum naturam esse videtur — ut activi sensus passiva forma reddatur. Hic non ex re esse videtur plura de eis adiungere, sed et in Plauto et in latinitate posteriore multa verba quae in lingua classica deponentia sunt, activa sunt aut semper aut saepe, alia in lingua classica activa, postea saepe deponentia sunt: *adulor, adhortor, adipiscor, adnitor, admiror, adorior,* ut tantum verba ab *ad-* incipientia nominem, cf. Priscianus in Keil, *Gramm. lat.* II, p. 378 sqq.

3) Quod ad significatum intransitivum attinet, Lindsay, *Syn-*

Digitized by Google

tax of Plautus p. 52 plures locos nobis affert quibus intransitiva vis non passivo sed activo redditur: *male res vortunt quas agit*, Pers. 453; *foris aperit*, Pers. 300; *pisces credo, qui usque dum vivunt, lavant*, Truc. 322; *mihi ... opus est ut lavem*, Truc. 328; *dormit, ornatur, lavat, prandet, potat.* Mil. 251 etc.; cf. Cic. De Off. I, 3513 *Cum soceris generi non lavantur.*

In „latino classico" fluctuatio illa non plane exstincta est, immo multa verba duas aut tres structuras admittunt: *quare eius fugae comitem me adiungerem*, Cic., *Att.* 9, 10, 2; *Domitius cum* XII *suis cohortibus eodem adiungeretur*, ib. 8, 12, 3. In latinitate posteriore activum eadem vice fungitur: *in partibus Italiae quae ad Galliae adiungit*, Gal., *alfab.* 95. Idem fere observari potest de *admisceo, admoveo, advolvo*, aliis; a) *illi se praedae accingunt, Aen.*, 1, 210; b) *accingar dicere pugnas*, Verg. *Georg.* 3, 46; c) *accingunt omnes operi*, Ter. *Phorm.*, 318.

abstineo et *se abstinere* eodem sensu adhibetur; *abscondere* intransitive ponitur Apul., *Met.* 6, 12; 8, 5; *abrumpo* [1]) sensu intransitivo in latinitate posteriore demum invenitur: Tertull. *pudic.*, 7; *apol.*, 37.

se abdere et *abdi*, non *abdere* invenitur.

movere et *vertere* memoratu digna videntur: a) *neque se movit ex urbe*, Nep. *Att.* 7; b) *res quae moveri possunt*, Nep. *Them.* 2; c) *res moventes* Liv. V, 25, intransitivum autem admodum rarum est in „latino classico", participio excepto, cf. tamen *terra movit*, Liv. XXXV, 40. Idem fere observari potest de usu *vertendi* verbi.

Pauca haec exempla sufficere videntur. Videmus intransitivum et reflexivum aut pronomine aut passivo exprimi, activum tamen rarius adhiberi quam passivum vel reflexivum. Posteriore autem aetate constat multa verba a classicis transitive tantum usurpata etiam intransitivorum vel reflexivorum loco poni [2]). Medert enumerat *conglutinare, movere, minuere, imminuere, diminuere, conferre, refrigare, resumere, rumpere.* Petschenig, *Transitive Verba*

1) Cf. etiam *Subsidunt montes ante illos et fontes erumpunt*, Commod., *Instruct.*, II, 1, 34.

2) Medert, *Quaest. crit. et gramm. ad Gynaecia Mustionis pertinentes.* Diss. Giessen 1911, p, 20.

Digitized by Google

als reflexiva bei Corippus, Arch. f. lat. Lex. III, p. 150 et 284: *iungere, minuere, miscere*, quae verba confert cum italianis *giugnere, minuire, mischiare*, quod quidem ultimum non eundum sensum quem *miscere* habet. Bonnet, *Le latin de Gregoire de Tours*, p. 630 alia quoque adicit; M. Niedermann, N. Jahrb. f. d. kl. Altertum, Gesch. u. deutsche Litt. 1912, p. 332 e medicorum scriptis, quae tot et tam utilia nobis praebent exempla linguae vivae et sponte sensimque vitae se usui accommodantis, affert *cicer vero si bene coxerit*, Anthim. 18, 25, *cicatrare, frangere, siccare, spissare* alia.

Videmus igitur, aetate postclassica passivum sensu intransitivo et reflexivo positum paulatim perire et eius loco praecipue activam formam poni. Constat autem — et linguae quae romanae dicuntur hoc luce clarius ostendunt — constat verba pronominalia in posteriore latinitate ut in latinitate classica semper adhiberi. Non necesse videtur huius rei exempla proferre quippe quae abondent; hoc memoratu dignum est duas formas, *moveo* et *me moveo* idem fere valere et quaeritur utra praevaluerit.

Sed haec res eiusmodi est ut magis linguas romanas spectet quam latinam; certamen enim inter formam activam et reflexivam permulta saecula permansit necdum hodie ex omni parte finitum est: *baigner, se baigner; essere, essersi; volver, volverse.* Alia autem res est quam considerare nostra magis interest, formam perfecti dico.

Exemplum mihi sit *moveri, se movere, movere.* Perfectum igitur est *motus sum, me movi, movi.* Postea autem volventibus annis perfectum saepe cedere debet novae formae analyticae [1]), et **me motum habeo* et **motum habeo* eundem fere sensum exprimere debent. Sed vera verbi *habendi* vis tam bene sentitur [2]) ut **me*

1) Cf. Thielmann, *Habere suit dem Part. perf. pass.*, Arch. f. lat. Lex. III.

2) Non fides habenda est v. d. Müller-Marquardt credenti *habere* saepe sensu verbi *esse* usurpari (Sprache d. alten Vita Wundregiseli, 1912, p. 141, cf. Bull. de dial. rom. 1913, p. 29). Neque cogitandum est de formis linguae franco-gallicae vulgaris *Je m'ai assis sous un arbro, Vous vous avec blessé à la main*, Edmont et Gilliéron, *Atlas ling. de la France* carte 500 et 508. Hic *habere* verbum auxiliare suum sensum plane perdidit, cf. *quand vous aurez venu* G. Sand, Jeanne 461, et *ho venido* = veni in lingua hispanica.

Digitized by Google

motum habeo et **motum habeo* in vulgus extendi non potuerint; *motus sum, movi et me movi* manent igitur sola fere perfecta et in iis primum locum tenet *motus sum* quae forma analytica bene vim intransitivam ostendit. Scimus autem linguam magis magisque analyticam fieri et in lingua franco-gallica antiqua dici *je m'eslogne* sed *je sui eslognez*; *je me pasme*, sed *je sui pasmez*; *je* (*me*) *meus* sed *je suis mëus*. Contaminatio igitur est inter structuram activam et passivam. Is autem qui primus analogia duce dixit *me motus sum*, notionem pronominis perdiderat iungens pronomen accusativum cum verbi passiva forma ita ut ne in *me moveo* quidem eius vim iam senserit [1]). Sed frustra, credo, eius structurae exempla in latino quaeras, quippe quae linguarum romanarum propria sit. Aetate postclassica perfectum passivi reflexivo sensu non rarum est: *fragor rogantum tollitur*, Prudent., *Peristeph.* 181.

Cum fuerit autem Nero de inferno levatus
Helias veniet prius signare delectos.

quod idem est quod *Cum se levaverit* (Comm. *Instruct.* I, 41, 7).

Diximus multum interesse quae sit subiecti natura. Quod nihil melius illustrare potest quam duos versus Commodiani, alter in *Carm. apol.* vs. 1020, alter ibidem 1039:

1020 *ut genus ipsorum iterum se in ultimo plangat.*
1039 *planget praeterea mugitibus tota natura.*

Exempla autem ubi pronomen reflexivum subiectum spectat inanimum magis magisque frequentia fiunt. Cf. e. g. Commod. *Carm. apol.* 968 *et ne fatigentur, substernunt se montes et ipsi*, ubi dubitatur utrum *se substernere* reflexivo an intransitivo sensu adhibitum sit; *inde doctrina se diffundit per omnes Graeciae partes*, August., *Serm.*, 150, 2; *donec cycatrix et oculus se confirmet*, Mulom. Chir. II, 7; *fac ut oculus .. cludere se non possit*, Mulom. Chir. II, 6.

Ex intransitivo ad passivum transitus facilior est: in lingua classice *perire, venire, bene et male audire, vapulare* saepissime pro passivo adhibetur. Quaerimus igitur num sensus pronominis *se* ita obtundi potuerit, ut verbum reflexivum quoque passivi significatum accipiat. Mulomedicina Chironis autem plura nobis

1) Cf. Tobler, *Verm. Beitr.*, II, p. 65.

Digitized by Google

affert exempla quae transitum duorum sensuum nobis clare ante oculos ponit, quaeque et ut passiva et ut intransitiva accipi possunt: *similiter si se ceperit extenuare* (scil. verruca), *sequeris eam curam* II, 9; *donec se vulnus limpidet et equet* II, 12. Sed clarum passivi sensum exemplum unum solum se mihi obtulit:

tunc mensibus septem se mundabit terra per ignem
et qui fuit humilis veniens de caelo videtur.

(Commod., *Carm. apol.* 1041), exemplum magni pretii quod lingua franco-gallica antiqua nostram structuram ignorare videtur, ita ut saeculo demum XV° et XVI° in textibus inveniatur [1]); linguae italianae autem inde ab origine propria fuit. Sine dubio investigationes diligentes alia exempla passivi sensus in lucem proferent.

Pronominis vim plane extingui posse ostendunt etiam verba intransitiva cum pronomine reflexivo adhibita, cuius rei Löfstedt plura nobis affert exempla in pulcherrimo libro cui titulus *Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae* p. 140 sqq.: *recipit se episcopus et vadent se unusquisque ad hospitium suum*, Peregr. Aeth. 25, 7; *hic humor sudoris in ventrem se desidet*, Mulomed. 220; *hoc facito donec se volnus ei insidat*, ibid. 669; *hic morbus se ad corpora increscens ustione extinguitur*, ibid. 188; fortasse etiam *prout se causa fuerit*, ibid. 206. Verba sentiendi et declarandi quoque pronomen reflexivum sibi adsciscunt, cf. Löfstedt p. 142: *putabam me, quia statum illius non concupisceret; speravit se, quia mortem vel crucem pertimesceret; ad quem senex quidam se dixisse fertur*, Quod tamen ultimum exemplum, ex Gregorio Turon., *Hist. Franc.* III, 5 (p. 112, 16) allatum, aliter explicari potest: nominativum cum infinitivo enim, quae structura saepe in latino postclassico Accusativi c. I. locum tenet, hic Gregorius vitare conatus est et perperam *se* pronomine usus est ut in: *dixit* (*se*) *hoc fecisse*.

Certe non nego dativum ethicum, qui in latinitate postclassica latos fines occupat et de quo Löfstedt p. 140 sqq. agit [2]), multum attulisse ad vim pronominis tollendam, sed originem verborum

---

1) Cf. Brunot, *Gramm. hist. du français*, I, 464.

2) Addi potest *invitatque sibi quam multas gentes ad urbem*, Commod., *Carm. apol.* 893.

Digitized by Google

reflexivorum talem esse qualem exposui mihi verisimile esse videtur. Dolemus autem quod linguae romanae discrimen inter accusativum et dativum fere totam perdiderunt, ita ut nesciamus qui quoque loco casus praevaluerit et utrum *cuidarse* e. gr. e *cogitare se* an *cogitare sibi* ortum sit (cf. Meyer-Lübke, *Gramm. d. l. rom.* III, p. 423 sqq.).

Quod attinet ad structuram *noi si canta* = canimus, ea multo posterius in sola lingua italiana nata est; tute igitur eam omittere possumus. Sed altera structura, obiectum scil. cum verbo reflexivo iunctum (*se ofende a Dios* = Deus offenditur, *se le llamaba* = clamabatur) non quidem originem traxit e latino, multas tamen ibi analogias habet quae indicant sponte diversis temporibus nostram structuram nasci potuisse. Schmalz, Berlin. Phil. Woch. 1910, p. 701—704 et Löfstedt, l.l. p. 291 sq. exempla attulerunt e latinitate cum archaica tum postclassica, quae frustra a viris doctis temptata sunt: *hac noctu agitandumst vigilias*, Plaut., *Trin.* 869; *ita castra sine volnere introitum*, Sall., *Hist.* IV, 10 M; *sic fit orationem pro omnibus*, *Peregr. Aeth.* 25, 3; *completo matutinas*, Anton. Plac. *Itiner.* 11 alia. Si linguas romanas allegassent, argumentatio eorum, quamquam per se iam satis firma, magis corroborata esset.

Vidimus igitur e quattuor vel quinque structuris, quas initio enumeravi, tres e latino originem traxisse, quartam (*se ofende a Dios*) analogias habere in lingua latina, ultimam (*noi si canta*) soli linguae italianae propriam esse.

AD TACITI DIALOGUM C. 28.

De urbe et eius propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur.

Neque aptum huic loco ultimum vocabulum et ingrate abrumpitur imago. Quid autem elegantius post *excipiunt* inferri potest quam .... *comitantur*? Hoc ergo rescribe.

J. J. H.

Digitized by Google

DE LIBRORUM CATONIANORUM HISTORIA ATQUE COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

M. BOAS.

1. Librorum Catonianorum nomine eas poetarum Latinorum syllogas insignire soleo, quae medii aevi temporibus post Donatum studiosae iuventuti praebebantur et in quibus principem occupabat locum „liber Catonis" [1]). Saeculo XIII^{o} sex poetarum opuscula sc. liber *Catonis*, *Theoduli* Ecloga [2]), *Aviani* Fabulae, *Maximiani* Elegiae, *Claudianus* minor (= de Raptu Proserpinae), *Statius* minor (= Achilleis), certam seriem (nisi quod nonnumquam Statius praemittitur Claudiano) vel unum corpus auctorum efficiunt, in quibus vertendis, interpretandis, commentandis exercebantur vires iuveniles. Eiusmodi librorum scholasticorum, qui complures servati sunt, contextus, ut est adno-

1) Quas commentationes his annis de Catonis libro publici iuris feci, eas his siglis laudabo:

Tijdschr. 1910 = Het Latijnsche origineel der middelnederlandsche Cato-bewerking (Tijdschr. v. Ned. Taal- en Lett. 1910 p. 182—206).

Scriv. = De Cato-editie van Scriverius (Tijdschr. v. Boek- en Bibliotheekwezen 1911 p. 21—30).

Bos. = Der Codex Bosii der Dicta Catonis (Rhein. Mus. 1912, p. 67—93).

Egm. = Het Egmondsche Cato-Handschrift (Het Boek 1913 p. 92—104).

Tijdschr. 1913 = De IV virtutibus cardinalibus, een middeleeuwsche benaming voor de Disticha Catonis (Tijdschr. v. Ned. T. en L. 1913 p. 101—138).

2) Theodulum nuper bis edidit J. Osternacher in Programmate Collegii Petrini, Urfahr, 1902 et 1907, tertium in Mon. Germ. Hist. editurus. De poeta, quem Godescalcum Orbacensem, † 868/9 Altivillariae prope Remos, fuisse satis probabile est, vid. Manitius, Gesch. der Lat. Lit. des Mittelalters 1911. p. 568 sqq.

Digitized by Google

tationibus repletus, primis alphabeti litteris sententiarum constructionem indicantibus conspersus, in media pagina saepius coartatus ita, ut margines commentario destinati ipso textu sint latiores, docet, quantopere in horum poetarum studio olim pueri desudaverint. Miros autem nos habet, quod in auctorum illa hexade insunt, quos abesse expectaveris, quos inesse, desunt. Ex quo enim poemate praesertim medii aevi temporibus Homeri cognitio hauriebatur, Iliadem dico Latinam, id deest, inest Theodulus, in mediis poetis gentilibus unus Christianus, ceteris insuper aetate multo inferior, atque is proximo positus post Catonem loco, cuius poetae contortas sententias vix captum puerorum assequi potuisse dicas, inest denique in libro tironum institutioni destinato qui minime ad mores pueriles conformandos idoneus complures adeo locos exhibet tenerorum animorum cognitioni alienos pudicaeque indoli erubescendos, Maximianus.

Qui sex poetae qua ratione et quo consilio in unum corpus coaluerint investigaturus praemittam eorum librorum memoriam, qui, quod sciam, seriem hanc continent, continebant, continuisse videntur. Quamquam mihi habeo persuasum latitare in bibliothecis vel commemorari in bibliothecarum catalogis plures eiusmodi libros, quorum notitia nondum ad me pervenerit. Innotuerunt autem mihi libri hi [1]):

*1. cod. Vat. Reg. 1556, membr., olim Egmundanus, postea Gerardi Ioannis Vossii, s. XIII ex., f. 75, in bibliothecae monasterii Egmundani catalogo non commemoratus, de quo codice nuper dixi in scriptione Het Egmondsche Cato-Handschrift. Cont.: C., Th., Av., Max., Cl., St.

*2. cod. Vat. Pal. 1573, membr., „liber fratrum Carthusiensium prope Confluentiam" (f. 1), postea Gruteri, cuius nomen legitur f. 55^{r}, s. XIII, cuius prior pars Vegetium exhibet, altera continet f. 55^{r}—114^{r}: C., Th., Av., Max., St., Cl. Theodulus neglegitur in Vaticanae bibliothecae catalogo manuscripto.

*3. cod. Vat. Lat. 1663, membr., s. XIII ex., f. 76. Cont.: C., Th., Av., Max., St., Cl. Ultimum folium deest, finem capit liber fol. 76^{v} in versu Claud. Rapt. III. 398, ut in codice adnotavit A. Maius.

---

1) Asterisco notav eos codices, quos ipse examinavi.

Digitized by Google

*4. cod. Vat. Barb. Lat. 41, membr., s. XIII; nunc constat f. 64, sed primum folium periit, folium ultimum id folium accuratius inspicienti esse apparet, de quo catalogus Barbarino-Vaticanus manuscriptus haec habet: „in primo codicis folio quod caret numero extat poeticum fragmentum"; post fol. 11 tria folia exsecta sunt. Cont.: C. (inde a I. 20, 2), Th. (usque ad vs. 266), Av. (inc. f. 12^{r}), Max., Cl., St. (usque ad II. 297, fol. 64^{r}). Hic liber, quod ad Catonem attinet, non uno nomine est laudabilis, cum neque vulgatam textus formam neque vulgatum distichorum ambitum exhibeat, de quo iam ante monui Tijdschr. 1910 p. 183 sqq., Bos. p. 76, mox in Mnem., uti spero, fusius disputaturus.

5. cod. Monac. 391, membr., s. XIV, f. 98, cod. veteris Bibl. electoralis Monacensis, postea H. Schedelii, medios scriptores (Av., Max.) in fine exhibens sic: C., Th., St., Cl., Av., Max. Laudatur in Cat. cod. Lat. Bibl. Reg. Mon. ed. 2. I, 1 p. 103 sq.

6. cod. Cantabr. coll. S. Petri 2. 1. 0., membr., s. XIII/XIV, f. 79, perierunt autem f. 13—19. Cont.: C., Th. fere totum usque ad vs. 340, Av. inde a fab. XXII, 13 (inc. f. 20), Max., St., Cl. Codex etiam alterum librum complectitur, qui hymnarium et Poenitentiarium (inc. Poeniteas cito peccator etc., Johannis de Garlandia, vid. Hauréau Notices et Extraits XXVII, 2, p. 10) continet. Describitur codex apud M. R. James, Catalogue of the Mss. of Peterhouse, Cambr. 1899 nr. 207, cf. etiam Schenkl. Bibl. patr. Lat. Brit. 2691.

7. cod. eiusdem bibliothecae, 2. 1. 8., membr., s. XIII, f. 87. Cont.: C., Th., Av., Max., Cl., St, sequente Donato de partibus or., praemissis eodem Donato, hymnario, Alexandri de Villa Dei Doctrinali [ed. Reichling, Mon. Germ. Paedag. XII, 1893]; olim quoque ante hymnarium legebantur, qui perierunt liber Alexandri Nequam de utensilibus [ed. Scheler, Jahrb. f. rom. u. engl. Lit. VII], liber Phaletholus inscriptus [1]), deinde Dictionarius [Johannis de Garlandia, vid. Hauréau l.l. p. 38]. Describitur codex apud James l.l. nr. 215. Cf. etiam Schenkl. patr. Brit. 2693, ubi Max. omittitur.

---

1) Quem librum hic titulus indicet, nescio. An Phi*l*aletholum?

Digitized by Google

8. cod. Mus. Brit. 15. A. VII, m., s. XIII, cuius codicis ab Hervieux in Aviani ed. 1894 p. 96 ex „Catal. of the Ms. of the King's library 1734, p. 236" laudati, a Baehrensio P. L. M. V. 315/6 commemorati accuratiorem notitiam afferre possum benignitate Antistitis Manuscriptorum Musei Britannici. Cont.: C., Th., Av., Max., St. Ach., Cl.; qui praeterea in hoc codice legitur, Poenitentiarius (vid. supra ad nr. 6) ab altera manu conscriptus est; octavum opusculum, 56 fabulas Aesopicas sermone pedestri conscriptas continens, singulari denuo fasciculo continetur. Liber hic sex scriptorum ideo notabilis est, quod scriba omnes sex uno nomine „Libri de moribus" sive „Ethicorum" complecti voluisse videtur, singula enim opuscula hae finiunt subscriptiones: „explicit primus liber de moribus. s. catho", „explicit secundus liber de moribus. s. theodolus", „explicit tertius liber de moribus. s. avianus", „explicit quartus liber ethicorum. s. maximianus", „explicit statius achilleydos. quintus liber"; Claudiani autem subscriptionem prima manus addere neglexit, supplevit manus recentior: tantum „explicit claudianus".

9. cod. Mus. Brit. Add. 21, 213, membr. palimps. s. XIII. Certiorem me fecit de hoc quoque codice Antistes Mstorum Mus. Brit. Primam debeo notitiam Birtio in Claudiani ed. p. CXLVIII n. 2. Ut elenchus libri integri docet, olim continebat codex auctores 17, sed perierunt quaternio secundus et quartus neque in ultimo (sexto) fasciculo, qui erat quinio, olim subsistebat libri scriptura. Libro Catoniano praemissi sunt: Prosperi Aq. Epigrammata, Anselmi Cantuarensis de sacrificio altaris liber imperfectus, [desunt reliqua pars huius libri, Passio dominica, Bernhardus, Liber quinque clavium [1]), initium Libri Morum], Fragmentum Libri Morum inc.: „si quis dignetur offere cyphum tibi lete". Incipit Liber Catonianus f. 10^{b}, intermiscentur opuscula cognati argumenti: Cato, Cato Novus, Theod., Avian. usque ad fab. 40, 3 [2]) [desunt reliqua pars Aviani, Esopus, Physiologus [3]), Vitalis Geta 1—437], reliqua pars Getae,

1) Cf. infra p. 43 n. 2.

2) Versus numerum mihi praebuit Hervieux, Avianus p. 95.

3) Est carmen, quod incipit: „Tres leo naturas", ed. ap. Migne Patr. Lat. 171 p. 1218.

Digitized by Google

Max., Claud., Stat. Ach., quam sequitur Ilias Latina usque ad vs. 787 [1]).

10. Totam sex scriptorum seriem an fragmentum contineat cod. Lincolnensis C. 5. 8, membr., s. XIII, ex descriptione, quae legitur apud Schenkl. patr. Brit. 4055 non ab omni parte colligi potest. Codex compluribus locis mutilus ultimo loco exhibet Persium (qui saepius cum Catone ceterisque coniunctus invenitur), Av., Max., St. Ach., Cl. Rapt. Praecedunt autem scripta sex medii aevi temporibus composita, inter quae etiam Theodulus et Cato locum adepti sunt: morale carmen scolarium, Promptuarium Parvolorum (Dictionarius, cf. Hauréau l.l. p. 38 sq., Scheler l.l. vol. VI. 161), *Theodulus, Cato,* Alexandri Nequam de utensilibus, Iohannis de Garlandiae liber de mysteriis ecclesiae (vid. Hauréau l.l. p. 2), Ovidius de mirabilibus mundi (cf. Bartsch, Albrecht von Halberstadt und Ovid im Mittelalter p. x) [2]), Accentuarius (inc. Ecclesiae sacrae modulans, Hauréau l.l. p. 53). Cum nonnulla ex his scriptis saepius cum Theodulo vel cum Catone coniuncta legantur (vid. infra p. 43) et tria ex illis, Prompt., Alex. de ut., Ov. de mir., una cum alio Iohannis de Garl. opusculo in codice Dublinensi (Trinity College) D. 4. 9, s. XIII ex., (Schenkl. l.l. 3366) inveniantur, credibile est duo manuscripta in unum coaluisse vel in eodem codice duorum manuscriptorum auctores descripta esse, quorum alterum auctores sex, alterum opuscula medii aevi grammatica adiectis Theodulo atque Catone contineret, qui cum in utroque codice legerentur, semel tantum descripti esse videntur.

11. Fragmentum sex scriptorum sc. Av., Max., St., Cl., ex pleniore libro descriptum, et cum aliis scriptoribus, quibuscum Cato medii aevi temporibus componi solebat (vid. infra p. 43) coniunctum exhibet cod. Bodl. Auct. F. 5. 6, membr., s. XIII ex. vel XIV in., laudatus apud Schenkl. patr. Br. 875. Avianum igitur non Cato et Theodulus praecedunt, sed praecedit liber de Contemptu Mundi, vulgo propter initium Cartula vocatus (ed. ap. Mign. Patr. L. 184, p. 1307, cf. Hauréau l.l. p. 20 et in comm. Des poèmes latins attribués à saint Bernard 1890 p. 1 sqq.).

---

1) Addendus igitur hic codex est Vollmeri manuscriptorum Iliadis Latinae seriei.
2) Cf. etiam Schenkl. patr. Br. 2945.

Digitized by Google

Theodulus quidem inter eos scriptores recurrit, qui Claudianum sequuntur: sc. Ovidius de Rem. Am. (cf. infra p. 41), Poenitentiarius, *Theoduli* Ecl., Alani Parabolae (ed. ap. Mign. 210, p. 581, cf. infra p. 43), Tobias (ed. Müldener, Gothae 1855, cf. infra p. 42), Ioh. de Garlandia de myst. eccl. Codicis scriptorum seriem ex duobus fontibus derivatam esse inde apparet, quod Ovidii Remedium alioqui cum Maximiano, quippe quem ex libro Catoniano expulerit (vid. p. 39), componi non solet.

*12. Fragmentum eiusmodi codicis olim integri videtur esse servatum in codice miscellaneo Vaticano Reginensi 2080, membr., saec. XIII vel XIV, qui fol. 66^{r}—95^{v} praeter Catonem (fol. 66^{r}—68^{v}, 72^{r}—75^{v}) continet Theodulum (ita tamen, ut nunc partim legatur in medio Catone, fol. 69—71, partim post Catonem, qua de causa de Theodulo hic quoque tacet Bibl. Vat. Catal. ms.), partem posteriorem Aviani (inde a XIV, 2), priorem Maximiani. Non solum posterior Maximiani pars, sed etiam Claudianus et Statius periisse mihi videntur.

13. Fragmentum continere videtur quoque cod. Worchestrensis F. 147, membr. s. XIV in., laud. ap. Schenkl. patr. Brit. 4330. Continet Catonem, Theodulum imperfectum, Claudiani Raptum inde a vs. 25, tum multa alia scripta. Inter Theodulum a fine et Claudianum ab initio mutilos complura folia exsecta sunt; de lacunae ambitu nihil tradit Schenkl, nisi quod etiam cetera codicis scripta foliorum aliquot iacturam passa esse monet. Quodsi codex integrum librum Catonianum sex scriptores complectentem non continebat, ex integro utique originem ducit.

*14. Cod. Leid. XVIII. Lips. 36, m. s. XIV, f. 32. Cont.: Av. (f. 1^{v}—10^{r}), Max. (f. 10^{r}—18^{v}), St. 19^{r}—32^{v}); Geel. Cat. 1852 n. 391. Utrimque mutilus: ut subsistit in Ach. II. v. 449, ita in rasura ante Av. ultimos Theod. v. 341—345 dignosco.

15. Excerptum libri omnes sex scriptores complectentis servavit cod. Par. Lat. 15155, membr., saec. XIII, liber Scti Victoris Parisiensis, qui longam „florum" seriem continet ex variis scriptoribus cum antiquis tum recentioribus decerptorum. Ordinem scriptorum enotavit Hervieux, Avianus (Fabul. Lat. vol. III, 1894) p. 63, postquam complures particulas tractavit Hauréau, Not. et Extr. de quelques Ms. lat. de la Bibl. Nat. vol. IV, 1892 p. 299—315. Primo loco ponuntur Flores *Cathonis*

Digitized by Google

primi [1]), *Theodoli, Auiani veteris, Auiani novi* [qui, neque ex Aviano novo vulgari, quem edidit primus E. Grosse, Progr. Königsberg. 1868, postea Hervieux p. 371—411, neque ex aliis Aviani retractationibus excerpti, apud Hauréau p. 300 sq., Hervieux p. 238—241, 475—479 exhibiti, mihi quidem magnam partem paraphrases versuum Catonianorum ad fabulas Aviani applicatorum esse videntur [2])], *Maximiani, Claudiani, Stacii.*

16. Etiam Cod. Berol. Diez. B. Santen. 60, membr. s. XIV, continet „Flores Auctorum"; quos describit E. Voigt, Ysengrimus, 1884 p. 11. Post „Socratem" et „Ieronimum ethicorum in Theodolo" sequuntur: *proverbia ethicorum* (= Catonis), *prov. Theodoli, Avianus, p. Claudiani, p. Stacioli, p. Pamphili, p. Maximiani*"; deinde sequuntur „p. Homeri (Il. Lat.), uersus Ficticii (Eutychii, opinor), p. Horrestis (trag. Orestis), p. Gete" e. q. s. Claudiani maioris Flores postea seorsim sequuntur, cf. quae statim de Claudiani Statiique memoria apud Eberhardum notabo. Notabile est nomen Statii minoris „Staciolus" [3]).

17. Memoriam eiusmodi libri Catoniani servavit Laborinthi carminis auctor, quem vulgo Eberhardum Bethuniensem esse putant, sed Eberhardum Alamannicum vel Teutonicum (saec. XIII) esse iam a. 1870 optime evicit Thurot, Comptes rendus, Ac. des Inscr. N. S. VI p. 259 sqq., in scriptione, quae inscr. „document rélatif à l'histoire de la poésie latine au moyen-âge". Libri III[i] initio longa series auctorum exhibetur, qui scholae rectori legendi sunt „viribus apta suis pueris ut lectio detur", ed. apud Leyser. Hist. poet., med. aev. 1721 p. 796 sqq., unde Fabricius Bibl. med. aevi 1734 II. 220, Gottlieb Ueber Mittelalt. Biblioth. 1890 p. 443. Ego locum ad Catonianum librum pertinentem exscripsi Egm. p. 94. Nam primo loco (III. 5 sqq.) exhibetur nostra scriptorum sex series intermixtis paucis aliis argumenti cognati, qui alioqui quoque iisdem locis occurrunt (vid. supra cod. n. 9 et 15 et infra p. 27): C. Th. Av., cui adiicitur Aesopus, Max., cui adiunguntur Pamphili liber de

1) Leguntur quoque — sed fere in fine omnium excerptorum — etiam „Versus Cathonis secundi", quorum exordium ab Hauréau p. 312 laudatum prorsus discrepat ab illis quattuor Catonis retractationibus Latinis, quas publici iuris fecit Zarncke.

2) Quod postea fusius demonstraturus sum.

3) Quodammodo conferendus est cod. Berol. theol. fol. 381, cf. Voigt p. XII sq.

Digitized by Google

Vetula et Vitalis Geta, Cl., St. Hos sex una serie esse comprehendendos l.l. monui. Hac ex re apparet, cur ex omnibus auctoribus ab Eberhardo laudatis soli Claudianus et Statius iterum recurrant cum suis uterque scriptis aliis (vs. 41 Claudiani in Rufinum et de consulatu Stilichonis laudantur, vs. 35 Statii Thebais); neque igitur causa est, cur Manitio (Rh. Mus. 47, Suppl., Philologisches aus alten Bibliothekskatalogen, p. 104 n. 3) assentiendum sit, qui putavit Eberhardum videri distinguere inter Claudiani minoris et maiores auctores. Cf. supra ad cod. n. 16.

In horum librorum originem, quantum scio, nemo adhuc investigavit [1]). Unus tantum Th. Birt in Claudiano suo p. CXLVIII n. 2, ut ostenderet quibuscum scriptoribus coniunctus Claudianus minor a ceteris Claudianeis segregatus in codicibus legi soleret, composuit codices supra numeris 1, 2, 3, 4, 6, 9 insignitos, ubicumque omisso Theodulo, qui in serie Catonem excipit.

2. Primordia nostrae seriei iam saeculo IX°, deinde X° deprehendere possumus. Tum autem Catonis comes erat Avianus, sive sequebatur, sive praemittebatur, neque Theoduli post Catonem positi vestigium ullum reperiebatur; id, quod vix mirandum in carmine poetae, qui demum saeculo IX° floruit.

Hanc pristinam seriei condicionem testantur codices hi:

*1. Fragmentum codicis membr., saec. IX[1], servatum codicis Par. Lat. 8093 foliis 94, 52—59, 95, quae quondam quinionem efficiebant, cf. Bos. p. 80 et 89 n. 1. Fol. 94[r] incipit a Cat. IV 32, continet etiam versus Eugenianos (Bos. p. 90 sq.) [2]) prologum Aviani usque ad verba — in duo volumina coartavit], quae continuantur fol. 52. Hoc fragmentum una cum praecedenti Catone in fine mutilo (fol. 84—93) adhibitum esse a Petro Pithoeo, cum Catonis editionem a. 1577 (vid. Scriv. p. 28, Bos. p. 75, 76) adornaret et sine dubio quoque cum Avianum in Ep. et Poem. Vet. 1590 ederet, mihi demonstravisse videor Bos. p. 80—90.

1) Nisi forte Manitius de hac re disputavit in comm. frustra a me quaesita: „Zur Überlieferungsgeschichte mittelalterlicher Schulautoren", in Mitt. d. Ges. f. deutsche Erz. u. Schulgesch. XVI. 1906. Ipse seriei historiam adumbravi Egm. p. 99 sqq.

2) Fere eodem tempore atque ego de hoc „libro quinto Catonis" disputavit E. Stechert, De Catonis quae dicuntur distichis, Diss. Greifsw. p. 100 sqq.

Digitized by Google

*2. cod. Voss. L. Q. 86, membr. saec. IX. Post Christianos Aratorem, Prosperum, Tertulliani versus de incendio Sodomae et de Iona incipit fol. 84^{r} *Cato*, fol. 86^{v} *Avianus*, tum post varia carmina Anthologiae Latinae (vid. Riese I. 1, p. 306 sq., p. 350, cf. etiam Bos. p. 73 et n. 1) Alcimus Avitus et Isidori Ars gramm.

*3. cod. Trev. 1093 (olim 1464) membr., saec. X. Post Prudentium, Boethium, Sedulium, Aratorem, fol. 232^{r} *Avianus*, fol. 241^{r} *Cato*.

4. Codicis instar est accurata codicis descriptio in Catalogo Bibliothecae Cluniacensis (Cluni), scripto inter annos 1158—1161, quem edidit Delisle, le Cabinet des Ms. II p. 459 sqq. Est codex n. 526: „volumen in quo continentur Iuvencus, Sedulius, Arator, Prosper, quoddam metrum Tertulliani, *Cato*, *Avianus*, quedam diverse collectiones versuum diversorum actorum, libri Archini (Alchimi vel Alcuini coni. Del., Alchimi nimirum recte), ars Isidori de grammatica et de disciplinis aliarum artium". Qui codex quoddammodo convenit cum Leidensi supra laudato; etiam comparari potest cum *cod. Ambros. C 74 sup. saec. IX, ex coenobio Bobiensi oriundo, qui tamen in mediis Christianis unum Catonem sine Aviano exhibet: sc. Venantium Fortunatum, Aratorem, Paulinum Nolanum, Prosperum, Iuvencum, *Catonem*, Theodulphum, Isidori versus de titulis Bibliothecae [1]). Accurate hunc codicem describit Leo in praef. Venantii Fort. p. VI.

Praeterea has talium codicum memorias ex Bibliothecarum medii aevi catalogis collegi [2]):

1. Ecclesia Pataviensis (Passau), anni 903, Becker 28 nr. 35: Carmen artoris(!) subdiaconi in actus apostolorum et libri *Catonis* IIII et fabule *avieni*, et plauti aularia(!) [3]) et formatas

1) Hic codex in catal. Bob. s. X (Becker 32 nr. 498) sic breviter recensetur: „librum Fortunati unum, in quo est Paulinus Arator Iuvencus Cato".

2) Non omnes, quotquot sunt catalogi editi, examinandos duxi, ne libris saepius remotissimis conquirendis disquisitio mea nimis in longum traheretur; qua de causa eos tantum catalogos respexi qui editi sunt apud Beckerum vel in libris, ad quos mihi patebat aditus. Manitii liber (Philologisches aus alten Bibliothekskatalogen, Rh. Mus. 47. Suppl.) indicavit saepissime mihi fontes, ad quos omnino recurrendum erat, quia ex illius viri cl. opere laborioso saepius videri nequiret, cum quibus scriptoribus singuli auctores in catalogis coniuncti legerentur.

3) Sc. Querolus. Cf. Manitius p. 101.

Digitized by Google

epistolas [1]) et martyrologium metro compositum et opus Wan [2]) Dyaconi in ministerium celebrationis misse et explanatio in Genesin in uno corpore.

2. Egmundanum Monasterium acquisivit inter annos 1057—1161 „donatum utrumque catonem avianumque in uno uolumine", vid. Kleyn, Arch. v. Ned. Kerkgesch. II p. 153. Quae notitia eo pluris aestimanda est, quod postea eadem Bibliotheca exemplar adepta est, in quo omnes poetae sex legebantur, sc. cod. Vat. Reg. 1556 (sup. p. 18), quod ideo in catalogo commemorari non videtur, quod eo temporis spatio (1264—1385), utique saeculo decimo quarto, acquisitum est, ex quo de additamentis huius Bibliothecae nullae ad nos pervenerunt notitiae. Vid. Egm. p. 98 sq.

3. Monasterium S^tae^ Mariae Aniciensis (Puy) (Delisle, le Cabinet des Ms. II p. 443) s. XI: *Primus* liber est Donati, in quo continetur liber Catonis, Aviani atque Prisciani liber minor. IIII.

4. Ibid. nr. 8 p. 444: Est et liber Catonis cum Prisciani de formatione et grammatici Focce (i. e. Phocae, Gr. Lat. V. 410 K.) et Persii Prudentiique de Sichomachia atque Aviani liber. VI.

5. Coenobium Blavibornense (Blaubeuern) [1085—1101], Becker 74 nr. 72: Sedulius Cato Avianus.

6. Bibliotheca Aquiscinctina (Anchin), saec. XII. Becker 121 nr. 78: Cato cum Avieno I; 83 Avienus I cum Catone.

7. Ecclesia Fabariensis (Pfäffers), 1155, Becker 94 nr. 108: Cato Avianus in uno volumine.

8. Monasterium Murense (Muri), saec. XII, Becker 122 nr. 116: Cato et Avianus in uno libello.

9. Bibliotheca Cluniacensis (Cluni), vid. supra; nr. 562: volumen in quo continentur Avianus, Cato et libri fabularum Esopi Greci, et quiddam de Ioanne evangelista.

De Catone eiusque asseclis nondum sermo est in libello scholastico, quem Vitae et Passioni S^cti^ Christophori Martyris prae-

---

1) Cf. Tractatus, qui incipit: „qui formatam epistulam facere vult" in cod. Sti. Eugendi (St. Oyan, nunc St. Claude) 2 f. 112^{v}, laud. apud Vollmerum, Zum Hom. Lat. p. 6. Cf. L. Rockinger, Briefsteller und Formelbücher des XI. bis XIV. Jhrts. München. 1863.

2) Cf. Manitius, G. d. l. L. d. MA. p. 560.

Digitized by Google

misit Waltharius Spirensis (a. 983) [1]); quem vero libri Catoniani statum primum codices et catalogorum memorias testari vidimus (C., Av.), eundem iam ostendit Conradi Hirschaugiensis (1070—1150) Dialogus (inter discipulum et magistrum) super Auctores sive Didascalon (ed. Schepps, Würzburg, 1889). Hoc ordine in hoc dialogo de auctoribus disputatur: *Donatus*, *Cato*, *Aesopus*, *Avianus*, Sedulius, Iuvencus, Prosper, Theodulus, Arator, Prudentius, Cicero, Sallustius, Boethius, Lucanus, Horatius, (Ovidius), Iuvenalis (?), Homerus [sc. Latinus], Persius, Statius, Vergilius [2]).

In hoc ordine Aesopus (i. e. Anonymus Neveleti, inc. ut iuvet etc.) Avianum comitatur, ut apud Eberhardum, in cod. Amploniano (infra p. 34), in cod. Sorbonae (p. 35), apud Richardum de Fournival (p. 36) et saepius (p. 40 sqq.). Notatu imprimis dignum est sequi post primariorum scriptorum seriem (Don., C., Aes., Av.) seriem poetarum Christianorum sex, in quibus Theodulus, qui tum nullo modo cum Catone atque Aviano erat coniunctus, suum habebat locum. Sic explicatur, qui Theodulus una cum Christianis inveniatur; v. c. „Sedulium et Theodulum in uno uolumine" possidebat Bibliotheca Rodensis (n. 156, ed. van Gils, Handelingen van het V^e Ned. Philol. Congres, Amsterdam, 1907 p. 128—156). Ex hac primariorum Christianorumque poetarum coniunctione explicationem habet, cur Catonem atque Avianum una cum poetis Christianis in codicibus et catalogis inveniantur (vid. supra p. 25). Cato solus quoque saepius in iisdem atque Christiani manuscriptis legitur; de Ambrosiano iam diximus; Bobiensis Catalogus (nr. 409) quoque commemorat: librum in veteri testamento conscriptum metrice in quo continentur Alchimi et Catonis. Sed de Catone solo cum Christianis coniuncto quae habeo adnotata nunc non proponam, ne ab instituta disquisitione de „libro Catoniano sex scriptorum" orto ex Catone atque Aviano coniunctis diutius detineamur.

1) Cf. Vualtheri Spirensis Vita et Passio Sancti Christophori Martyris, ed. W. Harster, München 1878, p. 15 sqq. Eiusdem Walther von Speier, ein Dichter des X. Jahrhunderts. Speier 1877 p. 17 sqq.

2) De Ovidio magister interrogantem discipulum consulto certiorem non facit vid. infra p. 32; de Terentio, quamquam quid de eo sit accipiendum rogat discipulus, p. 67 non disputatur; post Iuvenalem (70) textus corruptus est ita, ut iudicari nequeat utrum revera de eo fiat sermo necne.

Digitized by Google

3. Quod „libri Catoniani" ambitus crevit Catoque ab Aviano procedente tempore seiunctus est, id non explicari potest nisi mutatione in „ordine auctorum", qualem Conradus exhibet, facta. Videamus igitur, num huius mutationis extent vestigia.

Omnes illos auctores vel magnam partem eorum si nullus codex extaret qui contineret, vix esset nobis mirandum. Maior enim est scriptorum omnium series prope pro unius codicis ambitu. Eo magis laetandum, quod longam eamque paulum immutatam scriptorum seriem ostendit codex, membr., saeculi XIII[1], olim monasterii Cistercii Cabilonensis (Cîteaux), nunc bibliothecae Divonensis cimelium, n. 497, qui describitur in Cat. gén. des Ms. des départ. vol. V p. 117—123. Aetatem ordinis scriptorum multo superiorem esse codicis ipsius scriptura inde apparet, quod cod. Voss. L. O. 89, ut uno saeculo aetate superior, ita iam recentiorem ordinis condicionem ostendere videtur. Neque Divonensis integrum ordinem, quem repraesentat, reddere videtur neque ipse integer servatus est. Nam perierunt quattuor folia 264—267, in quibus ipsi illi scriptores, ut libri integri elenchus in fronte libri servatus docet, olim scripti erant, quibus nobis in disquisitione nostra opus est, sc. Psychomachia Prudentii inde a v. 768, *Theodulus*, *Maximianus*, initium Donati. Quod autem ordinem scriptorum in Divonensi quodammodo turbatum esse dicebamus, id cum sana ducti ratione tum alio codice comparato affirmare possumus.

Continentur vel continebantur in cod. Divon., qui non solum propter ingentem scriptorum numerum — tribus est exaratus columnis — sed etiam alio nomine [1]) memorabilis est, auctores hi: Statius (Th., Ach.), Vergilius (B., G., Aen.), Horatius (Od., A. P., Ep. Sat.), Lucanus, Persius, Iuvenalis, Ovidius (Fast., Met., sine titulo [= Amor.], Trist., ex P., Ib., Rem., A. A., Her., de nuce, de lupo [2]), de pulice), *Avianus* (inc. f. 245^{v} col. 2), *Cato* (f. 247^{v} col. 2), *Homerus* (f. 248^{v} col. 1), Sedulius, Prosper, Prudentius (Psych.), Theodulus, Maximianus, Donatus.

---

1) Distichis enim Catonis praemittitur inscriptio: „*incipit liber Catonis ad filium*". Cf. Bos. p. 71.

2) Carmen de lupo ed. E. Voigt, Kleinere Lat. Denkmäler der Thiersage 1878 p. 58 sqq., qui hoc ipso codice usus est (p. 2).

Digitized by Google

Quod Donatus agmen claudit, Avianus atque Cato in medio positi sunt, demonstrat scribam inverso ordine seriem genuinam reddidisse. Nimirum pristinam formam seriei hanc fuisse necesse est: 1) Donatus; 2) Av., Cato, Hom., Sed., Prosp., Prud., Th., Max.; 3) Stat., Verg., Hor., Luc., Pers., Iuv., Ov. Confirmat hanc suspicionem cod. Etonensis (Langobardicus) s. XI, de quo infra fusius disputabo, in quo ultimi scriptores secundae particulae, primus tertiae sese excipiunt: Theod., Max., St. Achill. etc.

Ut apud Conradum, in hoc ordine Divonensi restituto tria genera scriptorum distingui possunt, sc. elementares, Christiani poetae, gentiles poetae, ita tamen ut elementaribus scriptoribus accesserit Homerus Latinus in Div., qui adhuc inter gentiles est apud Conradum, primoque loco apud Waltharium legitur inter poetas Latinos, quibus poeta Spirensis post institutionem elementarem operam dederat (p. 22 vs. 93 ed. Harster). Theodulus vero — quem apud Waltharium inter scriptores scholasticos nondum nominari non mirum est — ne apud Conradum quidem Christianos reliquit. Qui quomodo locum mutare potuerit, ex ordine auctorum in *„introductionibus"* vel *„accessibus"* medii aevi conscriptis perspicitur.

4. Iam primum mihi adhibendus est ordo, quem voco Palatinum. *Cod. enim Vat. Pal. 242, m., s. XII, „ex monasterio b. Marie Magdalene in Franckentall inter Spiram et Wormatiam situato canonicorum monachorum" [1]), f. 74—80 continet fragmentum introductionum seriei in scriptores hos: de Catone Censorino et Uticensi [2]); inc. p. 74 duo catones erant rome censorinus cato et uticensis, p. 75^{r} expositio fabularum auiani et quis fuit, 76^{v} de maximiano et quis fuit, ib. de homero, 77^{r} de Theodolo quis fuit et quae scripsit [3]), 77^{v} de aratore, ib. de prospero aquitanico, 78^{r} de sedulio, 78^{v} de prudentio,

1) Hanc originis notitiam, cum mirum in modum in Stevensoni Catalogo non commemoretur, in ipso codice animadvertere neglexi. Legi autem eam fol. 118 monet Hervieux Av. p. 106.

2) Incertus sum hodie utrum hunc primum titulum ex codice ipso asciverim an ex catalogo.

3) Iniuria igitur hunc codicem in numero Theoduli codicum recenset Osternacher 1902, nr. 111.

Digitized by Google

79^{r} de ovidii de amore, ib. de remedio amoris, 79^{v} ovidii de ponto, 80^{r} ovidii tristium, 80^{v} ovidii epistularum, in cuius paginae fine fragmentum desinit. Secundo loco in censum venit ordo Monacensis, servatus in cod. Monac. 19475, membr., saec. XII (ex mon. Tegernsee), qui ordinem Palatinum iam aliquantum turbatum praebet, incipit enim ab accessu Ovidii epistolarum et Prudentii, quorum illae a ceteris Ovidianis, hic a Christianis seiungitur, inseritur inter Homerum et Theodulum Physiologus, qui etiam in cod. Mus. Br. 21, 213 olim post Avianum et Aesopum legebatur. Ordo Monacensis (accuratiorem notitiam, quam quae praebetur in Catal. Mon., debeo comitati Vollmeri) hic est: p. 1^{r} Accessus Ovidii epistularum, p. 1^{v} Prudentii, p. 2^{v} Catonis, Aviani, p. 4^{r} Maximiani, Homeri, p. 4^{v} Phisiologi, Theodoli, p. 5^{r} Aratoris, Prosperi, p. 5^{v} Sedulii, Ovidii de am. arte, p. 6^{r} de rem. am., de Ponto, p. 6^{v} Tristium, p. 7^{r} sine titulo (= Amor.), Fastorum, p. 8^{r} Lucani, p. 9^{v} Tullii (inc. Cato perfectus in lingua Latina transtulit se in Graeciam), p. 10^{r} Paradoxorum Tullii.

Etiam in his accessibus [1]) Homerus Latinus ad elementares, Catonem Avianumque, accessit, Theodulus autem adhuc versatur in Christianis — ex sex apud Conradum, in ordinibus Pal. et Mon. quinque, omisso Iuvenco, quattuor in Divonensi, omisso insuper Aratore, supersunt —, attamen cum in Div. elementaribus auctoribus nondum appropinquaverit, in Pal. et Mon., in primo Christianorum loco positus elementares excipit. Quid? Quod paulatim Theodulus, qui Catonem, Avianum, Homerum subsequebatur ut primus Christianorum, ab his seiunctus illis accessit, ita, ut qui elementares seorsim describerent, seriem elementarem hunc in modum componerent: Catonem, Avianum, Homerum, Theodulum [2]).

---

1) Etiam cod. 19474, idem olim Tegernseeensis, s. XII, accessum atque eum breviorem continet, cuius rationem habere necesse non habui: f. 59 Accessus Catonis, Aviani f. 66 Ovidii de amore, Catonis Tullii, Homeri graeci et latini, f. 69 Aratoris, Ovidii libri amandi, Theodoli, Sedulii, Ovidii epistolarum.

2) Memorabilis est ordo in quo leguntur „libri, quos frater Hugo divo baptistae Ioanni contulit, cum et se ibidem monachum induit" (Becker 74 Blaubeuern, vid. supra); post Prudentium et Sedulium leguntur 103 Homerus, 104 Avianus, 105 Cato, 106 Aesopus, 107 Dares, 108 Theodulus etc.

Digitized by Google

Huius seriei specimen exhibet *cod. Voss. L. O. 89, m., saec. XI: C., Av,, Hom., Theod. (= liber Paradisi). Mediam huius seriei partem (Av. Hom.) praemisso poeta Christiano (Aratore), sequente gentili (Persio) continet cod. Laur. pl. 68. c. 24, saec. XI, de quo vid. Bandini II. 850, cf. F. Vollmer [1]), Zum Homerus Latinus, SB. Bayr. Ak. 1913, Abh. 3 p. 8. Aliam huius seriei partem servavit cod. Monac. 19462 (Tegernseeensis) saec. XII, qui Homerum et Theodulum continet; cf. Vollmer p. 9.

Quoniam in cod. Voss. Theodulus statim post Homerum sequitur, ut in accessibus Pal. et Mon., neque tamen Avianus et Homerus, ut in iisdem accessibus, a Maximiano dirimuntur, ordinem auctorum, ex quo liber Vossianus deductus est, necesse est tenuisse medium locum inter ordines Divonensem et Palatinum, ita ut parvus nucleus duorum auctorum, Catonis et Aviani, quem etiam Conradus praebet, primum Homero Latino, ex gentilium poetarum serie adscito, adauctum esse sumamus, deinde Theodulo, in Christianorum poetarum serie primo loco collocato, tum *Maximiano*, quem Pal. et Mon. inter Av. et Hom. exhibent, de quo nunc disputandum est. Libri autem Catoniani progressum sic proponere possumus:

Codices s. IX. X, catalogorum s. X et seq. memoriae Conradi ordo	C. Av.
Divonensis ordo	C. Av. Hom.
Ordo, quem repraesentat Vossianus	C. Av. Hom. [Th. ....
Vossianus codex	C. Av. Hom. Th.
Palatinus (Mon.) ordo	C. Av. Max. Hom. Th.

Aetates horum ordinum scriptura ipsorum codicum, in quibus sunt servati, superiores esse, neque quo temporis ordine codices, eodem scriptorum series sese temporibus excipere, iam supra p. 28 verbo monui.

5. In Conradi ordine qui locus *Maximiano* assignatus fuerit, non amplius constitui potest. Qui scriptor de Ovidio, poeta

---

1) Vollmero maximas habeo gratias, quod, cum plagulas suae commentationis utendas mihi commisit, fructus ex ea capere iam potui, cum liber eius sub prelo esset.

Digitized by Google

medii aevi temporibus eximie adamato, magistrum sic discipulo praecipientem facit (p. 66 Sch.): „rationabili spiritu duceris mentem avertens ab errore falsitatis, quia etsi auctor Ovidius idem in quibusdam opusculis suis idest fastorum, de Ponto, de nuce, et in aliis utcumque tolerandus esset, quis eum de amore croccitantem, in diversis epistulis turpiter evagantem, si sanum sapiat, toleret?", eum Maximianum, amorem senilem profitentem silentio praeteriisse, non est quod miremur [1]). In ordine Divonensi, quem Etonensi codice confirmari monui, Maximianus sequitur Christianos ut primus gentilium poetarum neque est causa, cur eius in ordine locum Conradi temporibus alium fuisse putemus. Hoc quoque loco eum inventum esse consentaneum est ab illo viro, qui a ceterorum auctorum ordine secrevit Vossianam seriem, quippe in qua auctores arte coniunctos (C., Av., Hom.), puerorum institutioni aptissimos, quamquam Theodulo iam auctos, nondum perruperit eroticus.

Certum annum, quo Maximianus se iam applicuerat Aviano, invenimus ex testimonio Aimerici grammatici, qui seriem quinque auctorum omnium testari videtur.

Hic Aimericus scripsit anno 1086 librum de arte lectoria, cuius libri specimina edidit Thurot in scr. „documents rélatifs à l'histoire de la grammaire au moyen-âge (Comptes rendus, Acad. des inscr. 1870, p. 244 sqq.). In hoc opere excursus invenitur de generibus scriptorum praesertim Christianorum; corollarii loco disputatur quoque de gentilibus, qui eodem modo dividuntur atque Christiani, ita tamen, ut quattuor Christianorum genera laudentur, quartum gentilium genus cum Christianorum genere eodem conveniens absit. Locum, qui parum laudatur [2]), pro parte describam (Thurot p. 249): „Et super omnia hoc notandum, quoniam, sicut genera metallorum quatuor illa, aurum, argentum, stagnum, plumbum, sic et genera scripturarum quatuor ista, autentica, agiographa, communia, apocrifa. Libri autentici, quos canonicos id est regulares vocamus, quos non humano sensu, sed dei spiritu editos scimus ad illuminandum genus humanum, — sunt itaque in illo primo genere libri isti, quibus

1) Cf. etiam Schepps p. 13 et n. 1.
2) Parvum excerptum dedit Gottlieb p. 13, quod adhibere solent v. d.

Digitized by Google

sicut proprio ori dei credimus: Libri Moysi V .... liber Apocalipsis. Hi libri XXX sunt in *aureo* genere primo. Et isti in *argenteo*: liber Danielis prophete .... epistola ad Hebreos. Liber epistolarum Cipriani Martiris .... et omnes ceteri qui stant libri in *stagneo* genere sunt communes, ut Beda, Sedulius, Prudentius, Arator et ceteri expositores. Passiones martirum, sanctorum et vitae, quorum ignorantur scriptores et in quibus magis fabule quam veritas mera et magis adulatio quam vera rei expressio, et libri Origenis et caetera repudianda; in quarto genere *plumbeo* inter apocrifos numeramus. .... Scripturas stagneas et plumbeas .... in testimonium non adduces nec adductas recipies. Cave ne more asini seducaris sed statim iudica, cuius auctoritatis et gradus sit quicquid scriptorum audieris. Tu quoque, si dicere quid volueris, sententias tuas per aureos triginta libros regulares et autenticos confirmabis. *Item apud gentiles sunt libri* autentici, hoc est *aurei*, artes VII, auctores VIIII; artes: gramatica, rhetorica, dialectica, musica, arimetica, geometrica, astro(no)mia; auctores Terentius, Virgilius, Oratius, Ovidius, Salustius, Lucanus, Statius, Iuvenalis, Persius. Sunt inde in subgradivo genere, hoc est *argenteo*, Plautus, Ennius (Emius cod.), Tullius, Varro, Boetius, Donatus, Priscianus, Sergius, Varus, Plato translatus (nam in origine linguae suae inter primos est in aureo genere. Cur vero in translatione degradatus sit non est hic disserere). In tercio, hoc est in *communi* genere alteros pones, *Catunculum*, *Homerulum*, *Maximianum*, *Esopum*. Ceteras scripturas hinc edoctus per te ipsum iudica."

Manifestum est quinque hos scriptores gentiles, qui in communi vel stagneo genere ponantur, repraesentare „librum Catonianum" talem, qualis ex ordine „Palatino" facile segregari potuerit. Series scriptorum perturbata grammatico neglegenter laudanti imputanda est, neque Theodulus omissus cuiquam persuadebit in Aimerici libro Catoniano adfuisse Maximianum, afuisse qui iam ante illum in elementarium scriptorum seriem receptus esset, Theodulum. Grammaticus nimirum Theodulo, utpote Christiano, a scriptoribus gentilibus communibus seposito sine dubio locum assignavit inter Christianos communes, „ut Beda, Sedulius, Prudentius, Arator et *ceteri expositores*". Eum

Digitized by Google

Theodulum novisse constat: laudat Eclogae versum 133 (Thurot p. 248). Itaque librum Catonianum, complectentem C. Av. Max. Hom. Theod., iam anno 1086 exstitisse constat.

Extat autem testimonium, quo multo antea Maximianum Aviano se adiunxisse videri possit. Volo *codicem Vat. Reg. 1424, membr., qui constat duabus partibus, quarum prior pars fol. 1—90 olim fuit Petri Danielis (f. 90^{v} legitur ce liure app... a monsiẽ Daniel), altera pars tantum f. 91—95 complectitur, quam nunc non curamus. Codex, qui aliquamdiu Parisiis quoque in Bibliotheca Nationali commoratus est, iam saec. X sive s. X/XI scriptus est; continet f. 4^{v} Catonem, f. 20^{r}—34^{v} Audradi librum de fonte vitae, f. 35^{r}—56^{v} Avianum (imperfectum, usque ad fab. XL. 4, cf. Hervieux Av. p. 116), f. 57^{r}—59^{v} Maximiani El. I. 1—120 (cf. Baehrens P. L. M. V p. 315), f. 60^{r} fragmentum quoddam de tribus Gorgonibus (quod non in catalogo Vaticano msto laudatur), inc.: Forcus rex tres filias Gorgones habuit), f. 60^{v} Persius etc. Traube vero, qui de hoc codice in Audradi carminum prooemio (Poet. Aev. Carol. III. 70) disputat, monet has et ceteras codicis particulas antiquitus non cohaesisse; quod codex igitur Catonem .... Avianum, Maximianum continet, id non pro testimonio antiquo de Maximiano Aviani assecla habendum est; fortasse is, qui libri particulas concinnavit, libri Catoniani speciem imitari voluit.

Fragmentum „libri Catoniani" quinque scriptorum habebat Ecclesia Dunelmensis (Durham), ut demonstrat Catalogus s. XII (Becker 117) n. 341: Maximus(!) cum Omero (praecedit 340: Maximianus). Attamen eadem Bibliotheca habebat quoque librum, in quo iam Theodulus statim post Catonem legitur, nr. 365: Cato cum Theodulo et Persio. Est igitur fragmentum seriei, quam iam tractaturi sumus.

6. Haec quinque scriptorum series quae fata passa sit, nunc explicabimus. Proximam enim Catoniani libri condicionem unus tantum codex testatur, sc. cod. Pommerfeldensis (Gräfl. Schönbornsche Bibl.), 2671, olim Amplonianus, cuius tertia pars saeculi XIII vel XIV continet foliis 51: C., Th., Aesop., Av., Hom. Lat. usque ad vs. 578, cetera folia perierunt. Describit codicem E. Voigt, Ysengrimus 1884, p. VI, cf. praeterea W. A.

Digitized by Google

Oldfather New Material for the study of Avianus (Transact. and Proc. of the Americ. Phil. Ass. 1911, vol. XLII p. 111) et Vollmer, Zum Hom. Lat., S. B. Bayr. Ak. 1913, Abh. 3 p. 8. Deest sane iam Maximianus, quod non admodum mirandum est (cf. supra p. 32), sed in exemplari, ex quo hic ordo perscriptus est, sine dubio olim adfuit. Theodulus vero, qui iam antea temere in Catonianum librum ex Christianorum serie receptus erat, locum iam mutaverat in illo exemplo et principem post Catonem locum occupaverat, quem postea semper obtinebat. Quo factum, ut, cum series Catonianorum scriptorum postea magis magisque diminueretur, Theodulus post Catonem solus relictus, scribarum temeritate, non suo merito insignem in eruditione medii aevi primaria locum acquisiverit. Homerus ex Catoniana serie excessit: in Floribus Parisiensibus et apud Eberhardum Ilias quidem locum habet, sed a libro Catoniano, quem auctorum seriei praeposuerunt, omnino secreta, in illis temere inter Architrenium [1]) et Sedulium collocata, apud hunc una cum Darete Phrygio consulto coniuncta; in Floribus Berolensibus statim post totum librum Catonianum sequitur.

7. Nova mutatio inde orta est, quod ex serie C., Th., Av., Max., Hom. abiecta est Ilias Latina. Itaque series quattuor scriptorum C., Th., Av., Max. nata est, quae postea cum Statio et Claudiano coniuncta sex auctorum seriem, cuius testimonia initio huius scriptionis laudavi, efficit.

Testimonia autem seriei quattuor scriptorum pauca, quippe quae mox duos reliquos (St. et Cl.) asciverit, haec sunt:

1. In magna Sorbonae „libraria" in scamno vicesima (V) insignitus litera n initio saeculi XIV[1] catenatus erat talis liber auctorum quattuor, scriptoribus iisdem intermixtis, quos sex scriptorum seriem perrumpere vidimus apud Eberhardum. Quod „magnae librariae" Catalogus ipse (ed. Delisle, le Cab. des Ms. III. 77) non indicat, quippe qui saepius titulos librorum neglegenter afferat vel adeo prorsus omittat, id luculenter apparet ex opere laborioso, quod suscepit Ioannes quidam „presentis collegii de Sorbona quondam inter eius membra unum

1) Iohannis Altavillensis liber.

Digitized by Google

de minimis" (cf. Delisle, II. 182, III. 80), qui saec. XIV[1] initio repertorium eiusdem „librariae" composuit (ed. Delisle, III. 80 sqq.). Inveniuntur autem inter „auctores grammaticales in metro" Cato, Theod., Avian., Esopus, Max., Pamphilus, Geta singulis scriptoribus praemissa nota Vn atque adiecto cuiusque libri exordio. In tota serie scriptorum nullum alium librum inveni eadem nota apposita; itaque neque Statium neque Claudianum continuisse hunc codicem certum est. Hunc librum eo libentius laudo, quia Manitium, qui alterum librum Catonianum Sorbonae (vid. infra p. 42) laudavit (Rh. Mus. l.l. p. 75), haec catalogi memoria effugisse videtur.

2. In Biblionomia, quem Catalogum bibliothecae fictae composuit Richardus de Fournival, qui vixit circa annum 1250 (ed. Delisle, le Cab. des Ms. II. 514 sqq.), in „tabula undecima areole philosophice opera poetarum etiam continente" exhibetur nr. 126 p. 532: „Censorini Catonis et Theodori libri ethici, Aviani et Esopi libri apologici. Maximiani Pamphili et Gete libri amatorii in uno volumine". Richardus saepius genuinorum codicum memorias servasse monuerunt et alii et Manitius l.l. p. 1 sq., Birt Rh. Mus. 1909, 396. Claudianum de R. Pr. eadem tabula nr. 122 legitur una cum ceteris Claudiani scriptis; itidem Statii Achilleis tabula praecedenti n. 111, una cum Thebaide. Richardi notitia igitur prorsus convenit cum libro Sorbonae supra laudato, nisi quod scriptores in tria genera divisit. Credibile est Richardum hunc ipsum librum catenatum Sorbonae ob oculos habuisse.

3. Huc quoque pertinere videtur „liber Catonianus", quem novit Hugo de Trimberg, qui a. 1280 Registrum multorum auctorum composuit (ed. Huemer, Sitz. Ber. Wiener Ak. vol. 116, 1888 p. 145—190). Divisit Hugo scriptores in tres „distinctiones", sc. ethicorum maiorum (= scriptorum gentilium) [1]), theoricorum (= Christianorum), ethicorum minorum. In his ethicis minoribus Catoniani scriptores primo loco positi sunt:

Vs. 673: Virtutum expositor, regulator morum
Cato prior sedeat in ordine minorum.

---

1) Sed insunt in posteriore huius distinctionis parte etiam complures scriptores medii aevi.

Digitized by Google

700: Catonem in ordine sequitur Esopus.
705: Hunc sequitur per avia stolpus Avianus,
724: Avianum sequitur hic Maximianus.
730: Maximianum sequitur Pamphilus lascivus.

Statim post Iuvenalem Persium, Lucanum, Statium in parte prima affertur Homerus Latinus (vs. 154), quem si Hugo adhuc in Catoniano libro offendisset, post Maximianum sine dubio laudavisset. Suus Theodulo, utpote Christiano, in secunda parte (520) erat locus. Claudianus et Statius minores una cum ceteris eorundem poetarum afferuntur in parte prima (267 exordium Raptus: inventa secuit etc.; 152 exordium Achilleidos: magnanimum Eacidem etc.), aliter res sese habebat apud Eberhardum, qui primum Cl. et St. min. cum libri Catoniani scriptoribus afferebat, deinde alia eorundem scripta seorsim. Qua de causa suspicor Hugonem haec duo scripta nondum post Maximianum invenisse in libro suo Catoniano; quamquam fieri potuisse concedo, ut in libro suo Catoniano sex inveniret auctores neque mythologici argumenti carmina a ceteris eorundem poetarum scriptis dirimere vellet [1]). [2]).

8. Quattuor auctorum series duobus modis mutationem passa est: nam sive aucta sive deminuta est.

Series aucta est ideo, quod, cum Cato et Theodulus, ut Richardus de Fournival indicat, argumenti esse viderentur ethici, Avianus apologici, Maximiamus erotici, erant, qui desiderarent

---

1) Moneo scriptorum seriem quoque legi sermone ligato in cod. Escorial. O. III 17 (Loewe-Hartel, Bibl. Patr. Lat. Hisp. S. B. Wiener Ak. 112 p. 213). Est carmen quod agit de universitate Bononiae, manu saec. XIII conscriptum. Enumerantur scriptores, quibus ibi apud Ambrosium quendam operam dabant, ex quo fragmentum laudatur hoc:

Dolens pro Ambrosio dolet priscianus
Donatus uirgilius prosper et lucanus
Cato et boetius statius alanus
Seneca ouidius plato claudianus.

2) In errorem inducere potest notitia libri Monasterii Rastedensis (circa a. 1150) apud Beckerum (87 n. 26): Theodulum, Catonem et Ivarum (Alvarum? Becker in indice p. 315, Avianum diceres coll. cod. Cantabr., infra p. 41); at vide quanto Chronicon Rastedense iam a. 1870 in Mon. Germ. Scr. XXV editum praestet editioni Meibomii in Scr. Rer. Germ. II 96 (a. 1688), qua usus est Becker p. 503: item ..... et Theodulum. Cathonem et *ymnarium* Prudencii in uno volumine.

Digitized by Google

carmina argumenti mythologici arriperentque carminum materiem mythologicam tractantium librum, quem cum quattuor „Catonianis" poetis coniungerent. Talis liber mythologici argumenti facile oriri poterat, postquam Statii Achilleis seorsim a Thebaide describi et cum opusculis cognati argumenti coniungi coepta est. Quod duabus viis factum est: sive Achilleis componebatur cum Iliade Latina propter argumenti coniunctionem, sive cum Claudiani Raptu Proserpinae, quem „separatum a carminibus reliquis (Claudiani) per medium aevum iisse notum est" (Birt praef. in Claud. p. CXLVII, de Claudiani minoris codicibus), propter Claudianum Statii imitatorem, nam ut Statius Vergilium sic Claudianus Statium imitatus est (cf. Kohlmann, praef. in St. Theb. 1879 p. VI). Ex codicibus, qui tantum Statium minorem cum Iliade continent hos nomino:

1. cod. Guelpherbytanus, Extrav. 301 saec. XII—XIII. Vollmer p. 8.

2. cod. Vindob. 153, membr. s. XIV; Endlicher CCLIII, Tab. cod. Mss. Vind. I p. 21. Vollm. p. 16.

3. cod. Vindob. 267: Statium, membr. a. 1431, Homerum, chart. a. 1463 conscr. continens; Endlicher CCLV, Tab. cod. Mss. Vind. I p. 37. Vollmer p. 16.

Statii autem Achilleida una cum Claudiano minore continent cum alii tum hi cod.:

1. cod. Florent. bibl. St. Crucis pl. XXIV s. n. 12, saec. XII; inde a fol. 49. Fol. 49—69 St. Ach., alia manus eiusdem aetatis inde a fol. 70 exaravit Claud. Raptum. Birt p. CLII.

2. cod. Dresdensis Dc 157 saec. XIII, fol. 1—24 St. Ach., 25—50 Cl. Rapt. continens. Birt p. CXLVIII n. 2 et Schnorr von Carolsfeld, Catal. cod. Dresd. I 325.

3. cod. Antverpiensis N 71, saec. XIV. fol. 1—18^{r} St. Ach., 18^{v}—37^{r} Cl. Rapt. „Fol. 37 olim codicis postremum fuit" Birt p. CLII.

Huc quoque pertinet „accessus" cod. Florianensis 587 (vid. Czerny, die Handschriften der Stiftsbibliothek St. Florian, Linz 1871 p. 199) [1]. Incipit in nova parte manuscripti f. 124^{a} Statii Achilleis, manu saec. XIII exarata, usque ad. f. 133^{a}, tum eadem

1) Cf. Schepps p. 11.

Digitized by Google

pagina incipit accessus sive „praeambula" in Statii Achilleida, in Claudiani de Raptu Proserpinae, in Aesopum, in Matthei Vindocinensis Tobiam (qui saepius una cum Catone et Theodulo legitur, vid. infra).

Libro mythologico, qui Statium et Claudianum complectebatur, auctoribus quattuor C., Th., Av., Max. adiecto tandem liber Catonianus sex scriptorum continens ad finem perductus est, nisi quod Statius saepe Claudiano postpositus sex scriptorum ordinem claudebat. Non esset mirandum, si alter quoque liber mythologicus, Statium et Iliadem Latinam continens, quattuor scriptoribus additus esset; quod si factum esset, Homerus, qui prius ex Catoniano libro inter Maximianum et Theodulum evanuerat, in fine libri positus postliminio rediisset. Attamen talis scriptorum sex seriei nullum novi exemplum; nisi forte vestigium deprehendi potest in cod. Bodl. Auct. F. 2. 4 saec. XII (XIII) (Schenkl patr. Brit. 823), in quo praeter fragmentum libri Catoniani (Th. Av.) Prudentiolo (Dittoch.), Phoca, Persio, ut saepius adauctum, leguntur Ilias et Achilleis aliis opusculis intermixtis.

9. Ut scriptorum quattuor series adaucta est, ita ab altera parte immutata est et deminuta. Iam primum Maximiano, qui minus idoneus discipulis videri posset, aliud amatorium carmen, quod minus animis puerorum esset nociturum, medii aevi temporibus admodum adamatum, substitutum est, sc. Ovidii Remedium Amoris. Seriem ita ortam (C., Th., Av., Ov. de R.) testatur *cod. Campensis, nunc archii oppidi Kampen in patria nostra, numero 2843 insignitus. Quamquam originem codicis, subscriptio Ovidii testatur sc. *explicit ouidius de remedio | amoris scriptus anno dñi | m° c̊c xxx° nono f(er)ia t(er)cia añ | asscentionē dñi in vallecuria*, nemo adhuc, ubi illa Vallis Curia sita sit, indicare potuit [1]). Constat codex membr., foliis 53 non numeratis: Cato complet duos quaterniones fol. 1^r—16^v, in quo col. 2^a, ut saepius in Catonis codicibus, legitur „explicit Cato dans castigamina nato". Theodulus unum quaternionem atque unum trinionem explet fol. 17^v—30^r, in quo col. 1^a legitur „explicit

1) Cf. Egm. p. 103.

Digitized by Google

Theodulus" bis scriptum; reliqua pars paginae et fol. 30^{v} carent scriptura [1]). Novum quaternionem (f. 30—38) aperit Avianus, sequitur trinio (f. 39—44), tum quinio (f. 45—*53*, ultimum enim f. 54 vacuum resectum est). Avianus finem capit f. 41^{r} col. 1^{a}: „expliciunt documenta auiani poete". Ovidius incipit f. 41^{r} col. 2^{a}, cuius finis est fol. 52^{v} col. 1^{a} addita subscriptione supra laudata. Quod carmen f. 52^{v} col. 2^{am}, f. 53^{r} totum complet ab altera manu ac quae reliquum librum exaravit conscriptum est, ne membrana scriptura vacaret; subscribitur: „explicit prosa de contemptu pravi coniugii clericorum"; ex hoc codice editum ab archii Campensis antistite I. Nanninga Uitterdijk in Bijdragen tot de Geschiedenis van Overijsel XI. 1896 p. 15, qui ibidem etiam de codice ipso disputavit. Fol. 53^{v} vacat scriptura, fol. 8 et 9 ab impia manu pro parte rescissa sunt. Textus prorsus commentario est instructus; scriptura saepissime, imprimis commentarii, evanida. Hunc codicem subiecit a. 1787 Io. Ad. Nodell, rector olim scholae Campensis, editioni suae Aviani inscriptae: Flavii Aviani Fabulae ad ms. cd. [sc. Campensem] collatae. Accedunt Variae lectiones [sc. excerptae ex cod. Campensi (cf. p. 47)] in Ovidii Rem. Am., Theod. Ecl. et Catonis Dist., curante Io. Ad. Nodell, qui notas criticas in scriptores aliquot adiecit [p. 53—152].

Qui vero amatorios versus prorsus alienos duxerunt puerorum animis, componebant seriem tantum ex C., Th., Av. Exempla talis ordinis saepius aliis carminibus adaucti affero haec:

cod. Mus. Brit. 15 A. XXXI saec. XIII, de quo codice accuratam descriptionem debeo Antistiti Manuscriptorum Musei Br.; cont.: Alani Parabolae, (f. 9) [2]), Pseudo-Boethii de disciplina scholarium fragmentum (f. 12^{v}), *Cato* (f. 13), *Theodulus* (f. 20^{v}), *Avianus* (f. 28) omissis fabulis 17—21, Excerpta Isidori Etym. (f. 43^{v}), Accentuarius (inc. Ecclesiae sacrae modulans, cf. Hauréau l.l. p. 53) (f. 44 sqq.). Huc non pertinet Theod. f. 1—8.

cod. Guelpherbytanus, 87. 5 Aug. (vid. v. Heinemann, die Hss. der Herz. Bibl. zu Wolfenbüttel II. 4 n. 2915), s. XIII: *C.*, *Th.*, *Av.*, Aes., Zosimae monachi carmina rythmica, Tobias.

1) At figuris aliisque rebus repleta sunt.

2) Vid. ap. Mign. Patr. Lat. 210, p. 581 Inc.: A Phoebe, Phoebe.

Digitized by Google

cod. Cantabrigensis, Trinity College O. 3. 57, s. XII [1]); in cod. a Bentleio adhibito Theodulus ante Catonem exhibetur hoc ordine: Horatius, Persius, Th., C., Av. (Schenkl, l.l. 2416).

cod. olim Cheltenhamensis 215 saec. XIII (Schenkl l.l. 926): *C.*, *Th.*, *Av.*, Aesop., cuius codicis venumdati fata enarrat W. A. Oldfather, l.l. p. 122 sqq.

cod. cathedr. Winchestrensis III A s. XV (vid. Schenkl Bibl. patr. Brit. 3795): *Cato*, Iohannis de Garlandia Aequivoca (cf. Hauréau, l.l. 58 sq.), Parvum Doctrinale Alexandri de Villa Dei (cf. Thurot Not. et Extr. XXII, 2, p. 98 sqq.), *Th.*, *Av.*, Promptuarium parvolorum, vid. supra p. 21.

Talem librum Catonianum Ovidii Remedio fortasse adiecto usurpavisse videtur auctor Glosae ad Alexandri de Villa Dei Doctrinale, quae propter initium (Admirantes quondam philosophi cum viderent) „Admirantium" nomine gaudet, medii aevi temporibus κατ' ἐξοχήν Glosa vocatur. Thurot, qui Not. et Extr. XXII, 2 saepius de hac Glosa, priore parte saec. XIII[i] conscripta, disputat, monet (p. 119) numerum scriptorum in ea laudatorum esse exiguum, maxime laudari Ovidium, sed etiam inveniri nomina Horatii, Vergilii, Iuvenalis, *Aviani*, Boethii, *Catonis*, *Theoduli*, Petri de Riga (auctoris Aurorae, Bibliae versificatae, cf. Thurot p. 26), Iohannis de Garlandia (Hauréau Not. et Extr. XXVII, 2 p. 1 sqq.), scriptores sermonis pedestris omnino abesse.

10. Tum factum est, ut Avianum quoque abiicerent, sive Ovidii Remedium servabant sive omittebant. Itaque Theodulus, ex serie Catoniana solus post Catonem ipsum relictus, Aviani, quem saeculo IX unum Catonis comitem fuisse vidimus, munus suscepit, et Cato atque Theodulus primarii facti sunt poetae Latini. Huius rei documentum laudavit J. Frey in Progr. gymn. Münster, i. W. 1904 (Über das mittelalterliche Gedicht Theoduli Ecl. und den Kommentar des Bernhardus Ultraiectensis) p. 1. Vratislaviae enim, cum anno 1267 schola conderetur, cum alia constituebantur tum hoc: „audiant etiam (sc. pueri parvuli) in eisdem scolis Donatum Catonem et Theodulum ac regulas pueriles; qui predicti pueri si maiores libros audire voluerint,

1) Utique exeunte, puto.

Digitized by Google

ad scolas sancti Iohannis .... se transferant, vel quocunque voluerint et eis videbitur expedire". En, quem ad finem pervenerit Theoduli deinceps in ordine auctorum temeraria sedis commutatio.

Sed ex codicibus quoque haec Catoniani libri condicio videri potest. Saepius Ovidius de Rem. et Matthei Vindocinensis Tobias (ed. Müldener 1855) Catonem atque Theodulum comitantur; attamen alia quoque opuscula asciscuntur.

Catonem, Theodulum, Ovidium habent e. g. codices hi:

*cod. Vat. Lat. 1479, saec. XIII, membr.: Donatus de part. or., Cato, Theod., Ovid. Rem., Tobias, „ars metrica sine nomine auctoris", Ovidii Metam., „Gualtheri Alexandreis (ed. Müldener), De commentarii in Catonem exordio dixi Bos. p. 92 n. 2, Tijdschr. 1913 p. 133 sq. Comparandus est:

cod. Cantabrigensis, Gonville and Caius College 202, saec. XII ex. (Schenkl. l.l. 2756): Cato, Theod., Ovid. Rem., Tob.. Ovid. Met.

cod. Bern. 403, scriptus a. 1284 (vid. Hagen Cat. Bern. sub n.): C., Th., Ov. R., Tob.

*cod. Par. Lat. 8460, olim Puteanus, s. XIV: inde a fol. 17 [1]) Cato, Theod., Cartula, Aesop., Tob., Ov. Rem.

Talem codicem invenimus in Catalogo Bibliothecae Sorbonae (a. 1338, ed. Delisle Cab. des Ms. III. 56), ubi in capitulo XLV, quod libros grammaticales enumerat, liber numero 44 ornatus sic describitur: „Auctores Cato, Theodulus, Remedium, Tobias ex legato eiusdem [sc. Godefridi de Fontibus] incipit in 2° fol. non eodem [sc. Cat. dist. I. 18, 2], in pen. grata [sc. sapore, Tob. 2109?]. Precium IX. sol."

Cato omissus est in cod. Cantabr., Trinity coll. R. 3. 56, saec. XIV: Theod., Ovid. de R.' (Schenkl. 2334).

Sine Ovidio vero Catonem atque Theodolum (cum vel sine Tobia) praebent e. g. codices hi:

cod. Berol. Lat. Oct. 87 saec. XIV: Cato, Theod., Aesopus cum versione Romuli cf. Thiele, Der Lat. Aes. des Romulus, 1910 p. CLVI.

---

1) Ovidii Remedium, quod praecedit, non ad hunc librum pertinet. Codicem mea causa denuo inspicere voluit G. Busken Huet.

Digitized by Google

cod. Paris. 8023, saec. XIV: Cato (bis), Theod., Cartula, carmen inc. „in re terrena nichil aliud nisi pena" [1]), Odonis de fine mundi, Luciferi epistula ad mundanos a. 1351 scripta, Aesopus, Tobias. De Cartula et sequenti carmine, quae ut anonyma ad mores spectantia Catalogus Par. notat, me certiorem fecit v. d. G. Busken Huet.

cod. Par. 8259 saec. XV: *Căto*, Augustinus de dignitate sacerdotum, anonymi versus paraenetici ad sacerdotes, *Theod.*, Aesopus, Alani Parabol., Floretus (Bernardi, Hauréau N. et E. XXVII, 2 p. 25), Anonymi de Poenitentia, Poenitentiarius Iohannis de Garlandia.

cod. Par. 11344, s. XV: Cato, Cartula, Theod., Aesop., Tobias. Cf. Delisle, Inventaire des ms. lat. à la Bibl. Nat. 1863. p. 229.

Ut ex his exemplis apparet, Cato atque Theodulus saec. XIII et XIV cum variis opusculis componebantur, quae etiam cum alterutro aut sine illis inter se coniuncti saepissime in codicibus occurrunt [2]). Talia opuscula, maximam partem medii aevi temporibus conscripta, sunt Facetus (Supplementum Catonis), Cato novus, Tobias, Alani Parabolae, Cartula, Physiologus, Liber quinque clavium (sapientiae) [3]), Floretus, Poenitentiarius, Synonyma et Aequivoca (Iohannis de Garlandia, Hauréau l.l. 55 et 58), Ps.-Seneca de IV virtutibus, Prudentii Dittochaeum vel Prudentiolus (Prud. ed. Dressel p. 470).

Ex tali denique codice Cato una cum Theodulo, adiectis ex

---

1) Aliud carmen de contemptu mundi, quod etiam Sto Bernhardo ascribitur, cf. Hauréau, des poèmes latins attribués à saint Bernard, p. 1 sqq.

2) Omnes codices huc pertinentes quos novi enumerare supersedeo. Sed nonnullos afferam. Chelt. 3394 s. XIV (Schenkl. 1374): Liber V cl., Cart., Prud. Ps, Prud. Ditt., Theod., Physiol, etc.; Chelt. 16226 s. XIV (Schenkl. 1963): Aes., Prud. Ditt., Cart., Theod., Fac., etc.; Chelt. 16254 s. XIII (Schenkl. 1973): Cart., Prud. Ditt., Phys., Floret., Prud. Ps. etc.; Par. 15160 (s. XV) f. 83: Flor., Cart., Av., Fac.; Par. 8509A: Aes., Fac., Pamphil., Geta (cf. supra p. 23 sq.), Marc. Nan. 16 (cf. Herv. Fab. I[1] 539): Prosp., Cato, Prud. Ditt., Cart., Aes., Phisiol. etc.; Ambros. H 28 sup. (Herv. 537) f. 5 *b*: Cart., Aes., Tob.; Lambeth Palace 371 s. XIII vel XIV, (Schenkl. 4589): fol. 20 Cato, Alanus, Cato novus, Cartula; Escor. S. III 13 s. XV (Loewe-Hartel, Bibl. Hisp., Wiener SB. 112, 243): Cato, Cart., Tob. Magnum talium opusculorum numerum continet cod. Vindob. 303 s. XIV (Tab. cod. Vind. I p. 41).

3) Inc. „Utilis est rudibus praesentis cura libelli". Num editus sit, nescio

Digitized by Google

illis opusculis sex sc. Faceto, Cartula, Tobia, Alano, Aesopo, Floreto, saeculo XV⁰ exeunte typis mandati sunt et per ultimos eiusdem saeculi annos et prima saec. XVI¹ decennia saepius repetiti, cum utriusque auctoris iam ante extabant libri typis expressi singulares. Primus excudebat librum „Auctorum Octo", vel ut in posterioribus editionibus dicebatur, „Auctorum Octo Opusculorum" vel „Auctorum Octo Moralium", Iohannes de Prato, Lugduni, a. 1488 [1] [2]).

11. Restat, antequam sub uno componam conspectu, quid de historia atque compositione libri Catoniani constitui posse nobis visum sit, ut de uno codice disputemus notissimo, quem item libri Catoniani formam prae se ferre primo dixerit quis obtutu. Volo codicem celeberrimum Etonensem Langobardicum Bl. 6. 5, saec. XI, vel, ut Osternacher putat, saec. X, de quo cf. Schenkl patr. Brit. 2974, Sedlmayer Proleg. crit. ad Heroid. Ov., 1878 p. 5 sq., K. Schenkl Wiener Stud. IV p. 96 sqq., Klotz, praef. St. Ach. p. XXIX. De cuius codicis compositione hodie etiam ab iis, qui librum oculis non viderunt, iudicium ferri potest, postquam M. R. James in Catal. of the Mss. ... of Eton College (Cambr. 1895) accuratam dedit libri descriptionem, et Osternacher Theoduli editioni priori adiecit imaginem phototypicam paginae eius, quae nunc libri prima est. Nam codex nunc ita mutilatus ab initio est, ut primi quaternionis unum tantum folium supersit, quod rectum continet Theoduli Eclogae versus 23—51 (ab Osternachero exhibitos) inscriptionemque manu recentiore gerit additam „desunt septem (ad minimum) folia huic libro". Praeter hoc primum folium restant ex quondam pluribus quaternionibus quinque, codex igitur nunc ex fol. 81 constat, in quibus leguntur Theoduli Ecl. inde a vs. 23, Maximianus, Statii Achilleis, Ovidii de Rem. Am., Ovidii Epistulae (I. 7—VII. 159), Arator usque ad I. 521, ubi liber finem capit.

---

1) Usus sum exemplari, quod est in Biblioth. Regia Hagana. Cf. praeterea Egm. p. 101 sqq.

2) Errat Hervieux (Fab. I¹ p. 543) exemplar Bibliothecae Wirciburgensis anni 1490 editum iam anno 1480 editum esse dicens. Cf. Egm. p. 102.

Digitized by Google

Quis nunc tot libris Catonianis supra recensitis non adducatur in eam sententiam ante Theodulum periisse Catonem, qui cum Theodulo Maximiano Statio excerptum esset ex sex auctoribus cunctis C., Th., Av., Max., St., Cl., praesertim cum septem folia quaternionis primi, quae perierunt fere ambitum totius Catonis constituaant? At vide, quid huic opinioni obstet. Saeculo XI sex scriptores illi nondum in unum corpus coaluerant, ipse Avianus deest, cui semper Maximianus adhaeret, ipse Claudianus, cuius comes est Statius, Theodulus ante Maximianum legitur cum eo tempore, quo codex perscriptus esse videtur, Theoduli locus potius post Homerum, qui Maximianum sequebatur, erat, denique Ovidii Remedium demum in libro Catoniano expectamus postquam Maximianus ex serie excessit [1]).

Quid igitur? Quod Theodulus praecedit Maximianum, idem usu venit in ordine auctorum, quem Divonensis cod. repraesentat, ubi Theodulus est ultimus scriptorum Christianorum, Maximianus est primus gentilium. Sana ducti ratione iam constituimus genuinum ordinem auctorum Divonensem codicem non reddere, sed Maximianum excepisse prima codicis carmina sc. Statii Thebaida et Achilleida. Atque in Etonensi quoque cod. Achilleis sequitur post Maximianum. Itaque Theodulus Maximianus Statii Achilleis sese excepientes ex ordine auctorum, qui saeculo XI^{0} vigebat, habent explicationem. Locus Ovidii Remedii et Heroidum, quae in Div. multis carminibus interiectis, statim in Etonensi Achilleida sequuntur, eandem explicationem facile admittit. Cum varia scripta Ovidii ordinem auctorum genuinum claudant, post Ovidium neque Aratorem, cui sedes potius est in Christianis, neque quemquam alium expectaveris. Reputantibus ipsum Aratorem in Divonensi inter Christianos esse omissum, cum adsit apud Conradum et in Palatino atque Monacensi accessibus nobis haec explicatio sese offert: in auctorum serie, ad quam recurrat Etonensis, eundem Aratorem quondam fuisse omissum, errore animadverso collocatum esse in seriei fine, id est post Ovidium. Quo factum est, ut Italus, qui secundum auctorum ordinem aliquot scriptores describeret,

1) Cf. quae supra p. 22 de cod. Bodl. Auct, F. 5. 6 dixi.

Digitized by Google

post unum vel plures — fortasse Christianos — qui perierunt, deinde Theodulum, Maximianum, Statii Achilleida, Ovidii de Rem., Heroides, ultimo loco poneret Aratorem. Itaque Etonensis codicis scriptorum series non ut „libri Catoniani" excerptum explicanda est, sed ut fragmentum magni auctorum ordinis ab ultimo scriptore Christiano, Theodulo, incipiens [1]).

12. Liber Catonianus, a Catone cum Aviano coniuncto ortus, hac igitur via crevit:

saec. IX et X: Cato, Av.
X Cato, Av., Hom. Lat.
X Cato, Av., Hom. Lat., Theod.
XI Cato, Av., Max., Hom. Lat., Theod.
XII Cato, Theod., Av., Max., Hom. Lat.
XII Cato, Theod., Av., Max.
XIII 1) Cato, Theod., Av., Max., Stat. A., Claud. R.
Cato, Theod., Av., Max., Claud. R., Stat. A.
XIII 2) Cato, Theod., Av., Ov. Rem.
Cato, Theod., Av.
Cato, Theod., Ov. Rem. (Tob.).
Cato, Theod., (Tob.).
anno 1488 Editio princeps Auctorum Octo:
Cato, Theod. etc.

Scr. Amstelodami.

---

1) Ex auctorum ordine quoque explicandus est titulus in Catalogo Egmundano (Kleyn p. 166): item libellum in quo continentur glose super *cathonem*, super *avianum*, super *stathium achylleidos*, super *ovidium*, super *uirgilium in georgica et bucolica*.

Digitized by Google

II. DE ILIADIS COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

(*Continuantur ex Vol. XLI pag.* 289).

a) *De Achilleïdis argumento.*

Fabulae Troianae materies sescentorum poëtarum ope, id quod in superioribus demonstravimus, coacervata, cum uberrima et diversissima iam facta esset, en extitit ille vates qui maius coeptum ausus quam quisquam eorum quorum studiis coniunctis illa debebatur poëma instituit, cuius argumentum ad illam pertinens ita componeret, ut narratio quasi in nodo haereret quo expedito ad finem festinaret. Nodum dico rixam regum Agamemnonis et Achillis, perspicuum enim est poëtam qui eiusmodi eam confingeret ut inde oreretur saeva Achillis ira et calamitas Graecorum necessario ex hac consecutura, difficultatem quandam sibi contraxisse narrationem ad probabilem eventum perducendi, in qua difficultate superanda tanquam in cardine versari Iliadem totam. Verum poëtam nostrum non pro auctore habendum esse totius Iliadis, sed poëmatis alicuius quod quasi nucleus ei insit, cui Achilleïdi vel Achillis Irae nomen convenienter detur èt saepius in superioribus significavimus èt nunc demonstrandum nobis est. Nomine autem Homero quamquam nihil vetat cunctos complecti Iliadis auctores, quod identidem èt fecimus et in sequentibus faciemus, praecipuo tamen sensu non veremur vocare Irae Cantorem, nihil curantes quo nomine hunc parentes et aequales vocaverint.

Digitized by Google

Iamvero hic forsitan roget aliquis, quo iure contendamus Irae Cantorem ex omnibus auctoribus fabulae Troianae primum fuisse qui implicatiorem rationem illam carminis condendi secutus fuerit; quidni artificiosioris illius generis carmina fuisse potuerint in numero eorum quae demonstravimus Iliadi pro fontibus fuisse. Audio, neque ignoro nonnullos adeo voluisse viros doctos, in Iliadem receptas esse partes poëmatum eiusdem generis et ambitus atque ipsam. At huius rei neque levissimum quidem vestigium in ea deprehenditur, et subabsurdum videtur eo pacto Iliadem esse compositam, ut aliorum non minoris dignitatis poëmatum quasi panni ei insererentur, quod vix dictu opus est prorsus aliud quid esse quam breviorum carminum argumenta sive aliis sive partim suis verbis expressa, in maiore contextu adhibere; illud enim est expilare et destruere, hoc modo nihil destruitur sed coniunctione accedit decus. Nullum autem apud Graecos carmen, non modo quod pertineat ad bellum Troianum sed omnino nullum quaequae fuit materies pertractata, ante Homeri aetatem conditum esse arte illa qua Achilleïdem insignitam diximus, pro documento est ipsum hoc, quod nullum reliquum est. Etenim talem illius rei novitatem fuisse apparet, simplicitatem si comparas argumentorum quam vestigia produnt vetustiorum carminum, atque talis est ingenii praestantia qua opus fuerit inventori novae rei, ut vix ac ne vix quidem credibile sit, nullum ad nos pervenisse notionem poëmatis quo primo exhiberetur. Denique etiamsi forte quis censeat non satis eam rem constare, tamen dabit licere nobis negligere si quod poëma extitisse prorsus lateat. Quamobrem fidenter hoc saltem nobis statuendum est, quantum sciamus per Achilleïdis natalem novum iniri epicae Graecorum poëseos saeculum et quasi aeram, quam Homericam recte dixeris. Quo etiam hoc pertinet. Ex Achilleïde enim extitisse Iliadem cum a diversis poëtis diversis additamentis illa augeretur èt saepius iam monuimus èt in sequentibus apparebit. At vero ut eius modi amplificatio ante Homeri aetatem non usu venerit, sed novi poëseos epicae saeculi proprium sit, ipsa fert ratio. Quid enim? Simpliciora carmina vetusta vix erat cur potius dilatarentur quam eorum numerus multiplicaretur si de eadem materie plura homines cuperent audire. Sed cum primum conditum est poëma argumento effabre elaborato, fieri

Digitized by Google

non potuit quin vulgo poëtae èt impares se esse sentirent labori condendi alterum aliquod eiusdem generis èt tamen gravarentur reverti ad genus simplicius, unde sponte sequebatur ut propensi essent ad operam dandam illi poëmati amplificando.

Ceterum si quis perhibebit ex his sequi ut Ilias dicenda sit e compluribus quasi membris constare aedis Aegyptiae instar ad quam aedficandam continua conspiraverint hominum genera, nullo modo obloquemur, si vero contendet sequi ut verum integrumque poëma sic esse nequeat, ut qui maxime refragabimur, non aliter ac si quis neget, aedem, qualem diximus, verum integrumque aedificium esse. Cohaerentia enim ne perfringeretur, suo loco videbimus addimentorum auctoribus summae curae fuisse, idque studium si rem universe spectes mirum quantum iis cessisse. Atque fac, id quod nunc utrum ita se habeat necne nondum quaerimus, at fac post alios qui poëmati principali multa addidissent, extitisse aliquem, qui suam operam in poëmate dilatando navaturus, sibi censeret mutanda esse nonnulla eorum, quae illi inseruissent, alia suo loco movenda et in alium locum transponenda, nucleum ipsum quodammodo reformandum, qui igitur iure διασκευάστης appellaretur, ne sic quidem laus veri poëmatis Iliadi abiudicanda est, dummodo apparuerit eam sic quoque uno contineri argumento cohaerenti. Si vero quis opinetur ea ratione pro vero poëmatis auctore habendum esse eum quem διασκευάστην diximus, quippe qui partes quas membra vocavimus in hanc formam coniunxerit quam deinde poëma retinuerit, ne id quidem dandum videtur. Illa enim si nullo vinculo inter se iuncta essent antequam διασκευάστης novam formam inveniret — quae sane si res ita se haberet non dicenda esset *nova* forma, sed forma ipsa, nihil amplius — huic deberetur cohaerentia argumenti, hic igitur vere poëmatis auctor diceretur; ita autem res se haberet si ipsa ea carmina quae Iliadi pro fontibus fuisse demonstravimus, simul, quemadmodum voluit Lachmann, eius partes essent, atque ex his διασκευάστης — id quod aliis placuit non Lachmannio cui persuasum erat argumentum totamque Iliadis materiem omnibus cognitam fuisse, antequam ea carmina condi coepta essent, qua in sententia διασκευάστης nullo loco esse potuit — ex antiquis igitur carminibus, quae suis pilis starent, si διασκευάστης unum poëma, quod in uno

Digitized by Google

versaretur argumento conformasset. Sed èt probe distinguendum est inter Iliadis fontes et partes — quid? complura ex his, Τειχοσκοπίαν, Τειχομαχίαν, Θεομαχίαν, Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ alia, in superioribus nobis statuendum videbatur e nullis hausta antiquis carminibus deberi ingenio fertili eorum qui Iliadi inseruerint, omnino autem hoc constat alios poëtas condidisse carmina quae Iliadi pro fontibus fuerint, alios partim his fontibus usos partim nullis ex fontibus haurientes Iliadis moli extruendae operam dedisse — èt ex Iliadis elementis uno illo quod eius nucleum diximus in quo tota Ilias versatur, ob ipsam hanc causam continetur cohaerentia. Unde sequitur ut nihil sit cur διασκευάστην illum potissimum Iliadis auctorem appellemus; est ille unus ex eius auctoribus, principalis autem auctor est Irae Cantor. Ceterum cum tamen latere non possit quantum differant multorum coniuncta studia ab unius eiusdemque incepto, mirum non est Iliadis cohaerentiam neque desiderari neque perfectissimam esse. Ipsa autem hac rei natura ambigua factum esse videtur ut viri docti qui egerint de quaestione Homerica, quae dicitur, in duo castra discesserint, cum alteri unice intuentes cohaerentiam ubique conspicuam discrepantias minoris facerent, alteri his moti vehementius illam dilui et dissolvi putarent. Hos non nego nonnumquam iusto severius iudicasse, illos puto in deminuendis repugnantiis saepius egisse nimis subtiliter.

Recte fere C. Rothe v. cl. negat [1]) e sermone quidquam effici posse quo diversi probentur auctores Iliadis. Dandum videtur Iliadis rationem neque quae ad etymologiam, neque quae ad syntaxin quas dicunt pertineat certi quidquam prodere unde partes Iliadis vetustiores et recentioras dignoscas, cumque haud dubie aliae partes alias ostendant elocutionis proprietates — ut vox Παναχαιοί ter in uno libro H [2]) nonnisi quater per ceteram occurrit Iliadem [3]), ut Patroclum alloquitur poëta quater in libro Π [4]), neminem alium per totam Iliadem nisi bis Menelaum in libro Γ [5]), ut vox ὀρέγεσθαι nusquam alibi, sed bis in libro Π valet οὐτάζειν idque deinceps in duobus diversis certaminibus

1) l.l. p. 14 sqq.
2) H 73, 159, 327.
3) B 404, K 1, T 193, Ψ 226.
4) Π 693, 754, 787.
5) Γ 127, 146.

Digitized by Google

ibi descriptis [1]), utroque autem loco èt coniuncta est cum voce φθάνειν et vicinam habet vocem μύων quae ceteroquin apud Homerum non legitur — quantum eiusmodi sit quod debeatur carminibus quae pro fontibus fuerint, statui non potest. Tamen auctoribus nonnullarum Iliadis partium ut librorum Τ—Ω, perlegentem vix fugere potest, sermonem epicum temporis decursu rigidiorem factum, ad mentem clare enuntiandam non prorsus suffecisse [2]), quae res manifesto ad naturam fontium non pertinet. Sed rectissime Rothe monet de formulis crebro recurrentibus, de versibus versuumque fasciculis identidem repetitis, de comparationibus eisdem plus semel adhibitis, immerito multos viros doctos ita iudicasse, ut censerent quibus locis illa minus placere viderentur, hos imitatos esse ex iis ubi magis placerent. Nimirum ex his quoque quantum diversis locis ex eisdem carminibus antiquis transsumtum sit quis dicat? Neque incredibile eundem poëtam eadem repetivisse, cum paratam habere copiam formularum, comparationum, descriptionum aut non aut leviter variatarum quae usque quaque adhibeantur, ipsius artis sit epicae [3]). Postremo non omnes discrepantias et repugnantias cogimur di-

---

1) Π 314, 322.

2) „Allmählich erliegt die Dichtung dem Schicksal jeder Kunstübung. .... Die Kraft des Sängers ist erlähmt. Er hat den Kopf so voll auswendig gelernter Verse und Wendungen dass er nicht mehr im Stande ist die Form frei zu beherrschen.... In Gedichten wie Τ—Ω tritt uns die spätere Manier sehr anschaulich entgegen, doch hat auch diese Zeit noch so schöne Gedichte wie Ω hervorgebracht" Ed. Meyer Gesch. des Alterth. II p. 405.

3) „Eins hat die eingehende Untersuchung der Wiederholungen bei Homer ganz klar erwiesen, dasz es vor Homer schon ein reichlich ausgebildetes Versgut gegeben hat, das jeder Dichter unbedenklich entweder wörtlich oder mit geringen Veränderungen benutzte. Es bestand dies nicht nur in Formelversen sondern auch in Schilderungen aller Art. Auf- und Untergang der Sonne, Ankunft, Fahrt, Landung der Schiffe, Offerhandlungen, Mahlzeiten, Zusammenberufungen des Volkes zur Versammlung, Kampfesscenen nicht nur, sondern auch Liebe und Hasz, Schiltworte und Lobsprüche und vieles andere waren lange vor Homer in bestimmte Ausdrücke und Verse geprägt worden" l.l. p. 45 „Wie heute noch Volksredner, die das Fassungsvermögen der Zuhörer richtig beurteilen häufig den selben Gedanken mehr oder minder wörtlich wiederholen und damit dem Zuhörer ein Ausruhen und Nachlassen in der gespannen Aufmerksamkeit gestatten, so habe auch der Dichter durch die Formelverse und zahlreiche Wiederholungen aller Art (Beiwörter, erklärende Zusätze u. s. w.) gleichsam Ruhepüncte für die Zuhörer geschaffen, die ein Nachlassen der Spannung ermöglichen" l.l. p. 23 sq.

Digitized by Google

versitati Iliadis auctorum tribuere, ut ubi proponuntur alii heroës armatura induti vetustiore alii minus vetusta, eidem heroës nunc loricati nunc tunicati, qua ex re frustra tentavit C. Robert [1]) v. cl. quasi normam efficere ad diudicandum non tantum quae Iliadis partes diversis tribuendae essent auctoribus, sed etiam qui ex his antiquiores qui recentiores essent habendi. Contra eiusmodi discrepantiae etiam inde oriri poterant quod idem poëta ex diversis carminibus èt vetustioribus èt minus vetustis hausisset fugissetque eum minus apte haec a se iungi, aut pristina illorum fontium existimatio quae eum adduxisset ut eis uteretur, simul deterreret ne quidquam mutaret. Nihilominus huic rationi explicandi iunctiones inconcinnas aliquis modus statuendus est; sunt quae ita discordent ut in uno poëta ferri nequeant. Ubi Iuppiter post Paridis et Menelai certamen singulare considerandum esse ait placeatne foedus factum permanere, manifesto nisi iocaretur in dubium veniret eius promissum Thetidi datum. Iunonem hoc latere miramur sed ferimus cum credibile sit poëtam voluisse eam occaecari odio in Troianos. Etiam quod ei suscenset maritus, nihil moramur cum liceat credere poëtam voluisse Iovem propter odii atrocitatem non quia bellum illa optaret ei stomachari. Sed qui fieri potest ut qui Iovem finxerit paulo ante Thetidem alloquentem (A 508) *ἦ δὴ λοίγια ἔργ' ὅ τε μ' ἐχθοδοπῆσαι ἐφήσεις Ἥρῃ ὅτ' ἂν μ' ἐρέθῃσι ὀνειδείοισι ἔπεσσι* et nihil magis curantem quam ut uxoris iram evitet, unus idemque sit poëta qui eum fingat iam ultro eam ad iram lacessentem [2])? Cum praesertim luce clarius sit hoc non ex antiquo fonte haustum esse. Aliud afferam. Plurima quae in Iliade narrentur non decimo verum primo belli anno acta proponi nemo monitus infitiabitur [3]). At in *Διαπείρᾳ* ut hanc solam afferam, decimus belli annus fingitur, quod demonstravimus frustra a nonnullis viris doctis interpolatori iniungi [4]). Minime igitur cum Rothio faciendum puto ubi negat in Iliade ullas inveniri repugnantias quales non legantur apud scriptores

1) Studien zur Ilias.

2) Perperam Rothe l.l. p. 60: „völlig gleich bleibt sich z. b. Zeus in Verhältniss zu Here".

3) Vide Mnem. 1913 p. 54 sqq.

4) Mnem. 1913 p. 55 sqq.

Digitized by Google

nostrorum temporum [1]), vel cum Mueldero contendenti nisi vulgo Homerus sine causa pro poëta perfecto haberetur, nullam vim habituras repugnantias in Iliade obvias ad arguendos auctores diversos. Atque si iam constat partes Iliadis non exiguas diversis deberi auctoribus, sequitur ut in quaque re, etiam ubi eiusmodi discrepantias offendamus quae non absurdum sit incuriae aut fontium naturae assignare perpendendum videatur utrum hoc veri similius sit an auctorum diversitas. Quod autem nonnulli viri docti voluerunt, interdum Homero scienti et volenti inconcinna fuisse proferenda quo assequeretur eam stili claritatem et lucem propter quam ab omnibus laudetur, magnopere cavendum puto ne ei tribuamus rationem quaesitam et putidam quam perperam vocemus artificiosam et pulchram. Fuerunt adeo inter viros doctos, qui normas quasdam constituerent ad quas referri posse censerent nonnihil quod per se spectatum offenderet, id scilicet agentes ut desineremus offendi reputantes poëtae moris id esse. Sed eos fugit eam ratiocinationem in circulo quod dicitur versari. Nam morem illum nullo iure constituerunt nisi ante constitit unum esse auctorem totius Iliadis.

Achilles ab Agamemnone gravi iniuria affectus a matre petit Iovem precibus adeat, qui Troianis opituletur, Graecos opprimat ut omnes regem experiantur et Atrei filius dementiam suam agnoscat; Thetis deum summum orat ut Troianis vires addat quoad Graeci filium suum honore augeant; Iuppiter invitus annuit; Graeci plectuntur. Deinde Agamemnonis legati Achilli nuntiant regem virginem ereptam redditurum esse, donis et pollicitationibus regis verbis eum onerant dum ira desistat; obtestantur ut si minus Agamemnonis, tamen popularium eum misereat; firmissime asseverant omnes Graecos eum dei instar honoraturos esse; nihil proficiunt ad placandum iuvenem iratum; Graeci alteram et graviorem accipiunt cladem Agamemnone ipso vulnerato.

Inesse his dicas quae inter se pugnent. Nam primum quidem hoc absonum esse Achillem, cum id impetrasset quod pro eo mater a Iove rogasset, saevum manere et inexorabilem quamvis

1) l.l. p. 58 sqq.

Digitized by Google

illa rogando ut Iuppiter hostes adiuvaret *quoad* Graeci filium honoraturi essent, satis clare significasset hoc filium satis habiturum. Tum minime convenire Iovem nocere Graecis *ultra* quam se eis nociturum *gravate* annuisset, neque tamen alteram cladem acceptam *postquam* paratos se ostendissent Achillem honorare, eis illatam esse *reluctante* Iove vel *dormiente* sed *volente* et *iubente*, id quod doceant Iris ad Hectorem missa (Λ 185 sqq.) et Patroclus ab ipso Olympio incitatus ut in perniciem ruat, poëta ultro monente Iovis consilium plus valere quam hominum (Π 683 sqq.).

Contra contendunt neque Iovi neque Achilli tribui quae inter se discordent. Nam probe distinguenda esse quae a Iove petenda *mandasset* matri Achilles, et quae revera haec petivisset; non hoc *mandasse* petendum ut opprimerentur Graeci *quoad se honorarent*, sed ut opprimerentur nihil amplius, his tantum verbis additis „ut Agamemnon culpam suam agnoscat" unde nullo modo sequatur ut poëta voluerit *Achillem placatum fore sicubi rex mentem mutasset*; Iovi autem, quamvis per Achillem ipsum staret quominus eum Graeci honore afficerent, tamen quoniam hoc infectum mansisset, prae promisso Thetidi dato integrum non fuisse ut manum Hectori et Troianis detraheret, neque tamen comprobasse Achillis pervicaciam idque ut ostenderet illorum victoriam in ipsius detrimentum vertisse Patrocli clade. En, inquiunt nostri, vide quam apte omnia quadrare appareat dummodo studeas poëtae artem perspicere neve inconsulte reprehendas quae non satis perpenderis.

Mitto quod ei qui haec argumentantur Achillem magis puerum iracundum et protervum sibi fingunt quam virum seria agentem, aliter quam a poëta fit cum eum proponit Iunonis hortatu contionem advocantem ut pesti occurratur, vel Minervae iussu sibi temperantem ne manus iniciat Agamemnoni, vel praecones comiter excipientem missos ad Briseïdem abducendam, aliter etiam quam poëta auctore ap ipsa fit matre, quippe quam pateat non dubitare quin filius satis factum sibi esse censuerit sicubi Graeci ante omnes Agamemnon parati inveniantur ad eum revocandum in honorem; mitto quod nullo modo indicat poëta Thetidem filio inscio id a Iove petivisse quod illi si scivisset non placuisset, neque ullo verbo significat Iovem graviter ferre Achillis contumaciam; mitto haec omnia, quamvis quaesite mihi

Digitized by Google

videantur disputare qui poëtae mentem ita explicent ut discrepantias quas dixi nullas esse arguant; ultro moneo haud dubie in Iliadis fontibus iam adfuisse Agamemnonis vulnerationem, Iovem Idaeum Hectoris tutorem, Patrocli res gestas et exitium, mitto quod nihil prohibuit Irae Cantorem his uti, non ut in Iliade fit in altera, sed in priore Graecorum clade proponenda; nolim poëmatis rationem criminari propter causas non gravissimas. Sed hoc rogo: spretis Achilles verbis supplicibus legatorum, quid sibi proposuit quo adduci posset ut in aciem rediret? Ex iis autem quae legatis respondit video, inter haec duo eius animum fluctuasse: aut nihil amplius expectare, sed utique in patriam reverti (I 356 sqq.), aut expectare dum hostes sua tentoria suas naves invaderent, tum surrecturum ad vim defendendam (I 550 sqq. cf. 618 sqq.). Haec intelligere mihi videor, sed ubi deinde cognosco quid postero die iactet Patroclum allocutus (Λ 608 sqq.), res prorsus alia fit. Ibi enim hanc rumpit vocem: *νῦν δίω περὶ γούνατ' ἐμὰ στήσεσθαι Ἀχαιοὺς λισσομένους, χρηὼ γὰρ ἱκάνεται οὐκέτ' ἀνεκτόν*, quod post diei proxime superioris legationem absurdum est. An significat demissius Graecos sibi supplicaturos esse quam supplicaverint? Quod aut ne potuit quidem nam principes nobilissimi Aiax Ulixes Phoenix nominatim oraverant ut si minus Agamemnonis, commilitonum tamen eum misereret, omnes inter deos eum honoraturos esse (I 300 sqq.), aut, si ad litteram est accipiendum illud „*περὶ γούνατα στήσεσθαι*", furiosi tyranni erat gaudio exsultare quod eidem quorum humiles preces sprevisset, necessitate coacti ad eius pedes procubituri essent [1]). Fac autem hoc ferendum esse, id quod nego, at fac ferendum

1) vLeeuwen Mnem. 1910 p. 377 (Comm. Hom. p. 25) Achillis verba sic interpretatur: „cuncti mox Achivi ad pedes meos provolventur; non regis legati soli per silentium nocturnum in tabernaculum me sunt adituri, sed totus exercitus supplex circumfusus a me opem petet". Non video quo iure legatos et totum exercitum, noctem et diem inter se opponat vir clarissimus. Neque enim nostro loco legitur *πάντες Ἀχαιοί* sed nude *Ἀχαιοί*, principes autem qui legatorum loco Achillem adierant pro toto exercitu verba fecerant, quod non obscure ex iis significavit Aiax (I 640 sqq.) cum diceret *ὑπωρόφιοι δέ τοί ἐσμεν πλήθεσσ ἐκ Δανάων*. Neque minus clare id indicaverunt Ulixis et Phoenicis verba: „si minus Agamemnonis, at tamen Graecorum ceterorum omnium te misereat qui te inter deos honorabunt" (I 300, 603). Hoc autem si tenetur, etiam discrimen noctis et diei quod ne commemorat quidem poëta, pro nihilo habendum videtur.

Digitized by Google

esse, quid quod paucis horis praeterlapsis eundem Achillem Patroclo dicentem audimus (Π 70 sqq.), se hostes in fugam conversurum fuisse dummodo Agamemnon placato in se animo esset? quid quod pergit (vs. 83 sqq.) „tu mi Patrocle obtempera meis dictis, gloriam et honorem mihi para ut Briseïdem mihi reddant Graeci et augeant me muneribus"? Minime ignoro quid et quantum moliti sint complures viri docti qui omnia potiora ducerent quam ut Homerus non unus esset, ad dicta haec interpretanda quomodo viderentur eidem poëtae tribui posse ac legationem. Sed nulla opus est interpretatione, ea quae nostro loco leguntur per se clara ac perspicua sunt; accommodare ea velle ad Achillis cum legatis colloquium, si quid est hoc est ἀσυγκλωστὰ συγκλώθειν velle. Fingere non potuit, inquam, poëta mediocriter sanus ullum hominem non mente captum, amplissima satisfactione detrectata, die post negantem sibi benignum esse qui illam proposuisset sibi; repudiata virgine dilecta cum sibi offerretur, die post exclamantem: „utinam Briseïs mihi reddatur". Quod quam conspicuum sit luculentissime ostenderunt qui acerrime uni auctori totam Iliadem vindicare studuerunt, Nitsch v. cl. cum aut vss. Π 47—79 delendos censeret [1]) et vs. 73 pro ἤπια: ἄρτια legendum, aut eiciendos vss. 69—73, quo invento tamen nihil iuvamur propter vss. 83 sqq.; Agnes M. Clerke [2]) et C. Rothe [3]) cum Πατροκλείαν Homeri a rhapsodis deformatam esse vellent, quod neminem latet vix futurum fuisse ut eos subiret nisi male eos habuissent Achillis verba de quibus agimus [4]). Ne ita quidem rem expedire licet, ut sumamus Homero in his pro fontibus fuisse duo carmina quorum altero legatio frustra ad Achillem missa, altero eius colloquium cum Patroclo ageretur. Nam ea carmina si extitissent, manifesto condita essent a cantoribus quibus poëma aliquod quo tractaretur Achillis ira esset cognitum; at vero de hoc ipso agimus poë-

1) Die Sagenpoesie der Griechen p. 48.

2) Familiar Studies in Hom. 1893.

3) Die Ilias als Dichtung p. 281.

4) Optime intellegens Rothe suspicione de rhapsodis nemini se persuasurum si ad solos vss. 72 sqq. 83 sqq. eam referret, cunctos versus 69—79 84—90 sibi displicere ait. Sed nihil in iis est, quod per se spectatum iure reprehendas; contra iis omissis verba ἀλλά (vs. 80) et μηδέ (vs. 90) mire frigent.

Digitized by Google

mate in quo Iliadis argumentum vel saltem argumenti cardo consistit neque igitur inter eius fontes haberi potest, sed cuius auctor ipse Homerus est, si quidem Irae Cantor i. e. verus Homerus is est qui primus Achillis iram cantavit. Ab hoc igitur poëmate aperte confiteamur aut Πρεσβείαν abiudicandam esse aut Πατροκλείαν simul cum Achillis verbis de clade Graecorum exsultantis, quae cum illa manifesto cohaerent. Atque eo facilius hoc feremus quia iam in superioribus nobis apparuit, etiamsi discedas a controversia quam nunc tractamus, inveniri in Iliade quae prohibeant totam Irae Cantori tribuere.

Qui autem viri docti post Wolfium et Lachmannium inquirentes de compositione Iliadis, negaverunt fieri posse ut Πρεσβεία et Πατροκλεία eundem auctorem habuerint, tantum non omnes Irae Cantori Πατροκλείαν adscripserunt, denegaverunt Πρεσβείαν. Inter quos honoris causa nomino Naberum τὸν μακαρίτην qui docte et accurate de ea re egit in opere cui titulus „Quaestiones Homericae". Quibuscum tamen ne faciam multa me deterrent. Et primum quidem hoc quod, si Πρεσβείαν ex Iliade demimus sequitur ut Achilles permotus cupidine ulciscendi Patroclum ultro cum Agamemnone in gratiam redierit nulladum ab hoc ei satisfactione oblata. Quod voluisse poëtam et per se alienum est et repugnat crebris indiciis quae contrarium docent. Achilles mandat matri Iovis auxilium implorandum *ut Agamemnon culpam suam agnoscat*, Thetis Iovem orat ut hostibus adsit *donec Graeci suum filium in honorem restituant*, Iuppiter annuit *id sibi curae futurum*. An ullo modo credibile, poëtam haec molientem apud animum sibi proposuisse Agamemnonem peccatum *non* confessurum *ante* quam Achilles ei ignosceret, Graecos *nihil* facturos ad eum honorandum *ante* quam paratum se ostenderet in aciem redire? Minerva e coelo demissa ut a vi eum avertat „tripla etiam dona" inquit „tibi propter hanc superbiam praesto erunt". An id ita accipi voluit poëta ut Achilles *ante* placatum se praebiturus esset, *quam* haec ei offerrentur? Altero autem loco tenendum est Μηνίδος ἀπόρρησιν ne intelligi quidem posse nisi Πρεσβεία antecesserit, nam èt iusiurandum ad quod Ulixes Agamemnonem hortatur (T 175), quid sibi velit nescis, nisi cognoveris Briseïdem intactam reddi, idque cum Ulixe ante legationem communicavisse regem (I 132 sqq.), èt ubi afferuntur

Digitized by Google

septem tripodes quos Achilli dono daturus est Agamemnon, poëta haec verba addit „quos illi promisit", quod promissum regis verbis legati significaverant Achilli (I 264 sqq.). Itaque si Πρεσβεία resecatur Μηνίδος ἀπόρρησις quoque reicienda est *neque ulla omnino satisfactio Achilli ab Agamemnone obvenit.* Ab altera parte mors Patrocli in Μηνίδος ἀπορρήσει vix commemoratur, idque ita ut facillime credas eius mentionem additam esse postquam Πατροκλεία Iliadi inserta sit. Uno loco (T 210 sqq.) ubi *tertium* Achilles verba facit post alia paucis verbis Patroclum memorat, qui versus salvo contextu abesse possunt, sed duobus locis ubi respicere eum debuit altum agit de eo silentium. Nam ita infelicem rixae eventum lamentatus ac si cladem nullam accepisset peculiarem „Utinam" inquit (vs. 60) „Briseïdem Diana in navibus interfecisset, *non tot Graeci occidissent*" et (464) „Diu opinor dissentionem nostram meminerint Graeci, sed hoc mittamus et repellamns hostes". De Patroclo ne verbum quidem, „mittamus de clade", „hostes repellamus". Non ita loquitur quem dolor ob trucidatum amicum angit, qui ardet studio ulciscendi. Neque eum commemorat ubi denuo surgit ad dicendum (vs. 145 sqq.), imprimisque ansa dabatur commemorandi, quippe enim non alio ibi loquitur consilio, nisi ut milites incitet ad pugnandum. Praeterea de Ulixe quid dicendum? qui monens ne impransi dimicent Graeci „non est" inquit (vs. 225 sqq,) „per ventrem cur lugeamus, nimis enim multi densique cadunt, qui tandem finis inveniatur laboris? Sed sepeliamus mortuos, mens immota maneat, unum diem eos defleamus et quicunque super sumus bello cruento, cibi et potus memores simus". In universum dicta haec non sunt indigna viro strenuo atque honesto neque adeo carent vi poëtica, sed in peculiari Achillis propter Patroclum luctu inhumana sunt. Videtur igitur etiam Μηνίδος ἀπόρρησις a Πατροκλείᾳ separanda esse. Itemque Ἀγαμέμνονος ἀριστεία a qua initium capit Graecorum clades altera, gravissima, quae continetur libris Λ—Ο. Ne hac quidem Achilleïs carere potest, cui sive Κολὸν μάχην quoque assignas, in hac alterius cladis mentio fit ubi Iuppiter uxori minatur (Θ 470 sqq.) se proxime sequenti die etiam plures Graecorum milites perditum ire, sive Κόλον μάχην demis hoc ipso illa clade opus est. At vero huius auctor Πατροκλείαν non cognovisse videtur. Nam

Digitized by Google

Iovem inducit (Λ 191 sqq. 206 sqq.) Hectori per Iridem promittentem se sicubi Agamemnon sive hasta percussus sive sagitta, currum ascendat, vires ei additurum ad caedendos hostes donec ad naves perveniat solisque occasu tenebrae oboriantur. At in Πατροκλείᾳ invenimus Hectorem iam multo ante vesperam illius diei quo ad eum Iris missa est non sine magna suorum clade a Patroclo navibus depulsum; deinde autem cum Patroclo necato Graeci se ad castra sua recipiunt et tandem nox subit quae huic diei finem facit (Σ 239 sqq.), Hector non iterum ad naves pervenit. Fieri sane potest ut Ἀγαμέμνονος ἀριστείας auctor etiamsi Πατροκλείαν cognovisset, Iovis verba quae attulimus cum in fontibus suis invenisset — ut re vera invenisse veri similimum est — immutata transsumserit aut discrepantiam non animadvertens aut satius esse iudicans nihil mutare. Sed quamvis sic rem expedire liceat, tamen quoniam cetera quae attuli accedunt, magis in promptu est discrepantiam eo ortam esse quod Graecorum cladi in Achilleïde descriptae recentior manus addiderit Πατροκλείαν.

At, inquis, fac Irae Cantorem Πατροκλείας rationem non habuisse, qua igitur re inductum voluit Achillem redisse in aciem, si minus Patrocli ulciscendi causa? An Graecorum extremo periculo Protesilai nave iam ab Hectore incensa? Sed Achillis res gestae omnes quae deinde narrantur èt ceterae èt Ἕκτορος ἀναίρεσις ita cum Patrocli morte cohaerent et ab hac quodammodo pendent, ut necesse sit, qualia nunc ea habeamus, credantur condita esse ab eo qui Πατροκλείαν inseruerit, aut a poëtis recentioribus. Fieri sane potest ut Irae Cantor de Achillis in proelium reversi fortibus factis multa narraverit quae a recentioribus prorsus sint mutata et in novam formam redacta; sed alia rei expediendae via ostenditur probabilior. Nam in superioribus vidimus legatorum Ulixis Aiacis Phoenicis obtestationes ab Achille repudiatas aliquam molestiam habere comparatis precibus quibus Iovem pro filio Thetis adisset, cum non obscure dea significasset hoc agere Achillem ut iniuriae qua affectus esset satisfactionem impetraret, inde enim sequi ut honorificentissime oblatam non repulsurus esset. Monuimus [1]) quae-

1) Vide supra p. 54 sq.

Digitized by Google

sitius discrepantiam explicari ab iis qui perhiberent matrem filiumque non eadem mente fuisse, hunc voluisse hoc tantum peti ut Graeci plecterentur et Agamemnon suum peccatum agnosceret, non significasse qui modus poenae sibi sufficeret. Verum sumamus in poëmate principali exitum legationis alium fuisse atque in Iliade nostra, contigisse legatis ut Achillem placarent, post Πρεσβείαν continuo secutam esse Μηνίδος ἀπόρρησιν. Sic èt ea quae Achilles agit conveniunt ad ea quae mater Iovem oravit èt Iovis consilium Thetidis causa initum consummatur [1]), èt supervacuum est aliam causam quaerere cur Achilles iram posuerit. Quid et quantum mutaverit quo assequeretur eam Πρεσβείας formam quam nunc habemus is qui Πατροκλείαν addiderit, manifestum est pro certo sciri non posse. Sed satis facile nobis apud animum proponere possumus quid, quomodo, in illa mutari satis sit ut legati redisse narrentur voti compotes. Hunc enim ad finem sufficiet in Πρεσβείᾳ post Achillis verba ὡς εἰ τιν' ἀτίμητον μετανάστην (I 648) id ipsum inserere quod nunc post eadem verba legitur in Πατροκλείᾳ (Π 63—63): ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν· οὐδ' ἄρα πως ἦν ἄσπερχες κεχολῶσθαι ἐνὶ Φρεσίν· ἦ τοι ἔφην γε οὐ πρὶν μήνιθμον καταπαύσεμεν ἀλλ' ὅτε κεν δὴ νῆας ἐμὰς ἀφίκηται ἀντή τε πτόλεμός τε, deinde resectis versibus I 650—655, hoc fere substituere: κῦν ἦ τοι μεν ἔγω παύω χόλον, ὥς γὰρ ἄμεινον (cf. T 67), tum eorum loco quae leguntur I 678—687 tale quid inserere: κεῖνος μήνιθμον ἐθέλει σβέσαι ἠδὲ δέχεσθαι δῶρα τά τοι δώσειs, νοέειν δέ τε θυμὸν ἀνώγει ὅππως κεν νῆάς σαόῃ καὶ λαὸν Ἀχαιῶν, denique tollere vss. 691—709 et vs. 711. Ceterum suspicor etiam verba Achillis ad Ulixem (I 308—429) altera manu refecta et dilatata esse, quam suspicionem movet infinitus orationis anfractus multifariam frigentis. Ut ubi Briseïdem Achilles Helenae comparat (341 sqq.) eamque ex animo se dilexisse dicit, quod et per se minus placet et abhorret ab eius dictis ad Agamemnonem in Μηνίδος ἀπορρήσει (T 59 sq.): τὴν ὄφελ' ἐν νήεσσι κατακτάμεν Ἄρτεμις ἰῷ ἥματι τῷ ὅτ' ἐγὼν ἐλόμην Λύρνησσαν ὀλέσσας. Nec

1) Utrum hoc consilium spectetur A 5, ut recte me iudice, vulgo intellegitur, an Διὸς βουλὴ ibi commemorata nihil aliud valeat nisi Iovis arbitrium quo multi perierint, nostra non refert.

Digitized by Google

minus offendit, quod a matre se audivisse ait duplicem sortem sibi paratam aut mortis maturae in acie aut longae vitae bellum omittenti, scilicet nec mater nec ipse de iniuria ab Agamemnone accepta colloquentes (A 352 sqq. 414 sqq.) dubitaverant quin esset μινυνθάδιοσ. Tum alienum est quod dicit Agamemnonem sine se struxisse murum et fossam, siquidem eam rem, quae narratur in libro H (337 sqq. 436 sqq.) nobis posthac apparebit in Achilleïde non actam esse. Hoc saltem constat, nihil desiderari si ceteris demtis coniunguntur vss. 397—317 344—347 356—364 378—379 388—392 421—429. Praeterea vss. 664—668 nescio quomodo, magis videntur convenire interpolatori quam Irae Cantori.

Κόλον μάχην posthac demonstrabo Achilleïdi abiudicandam esse usque ad Θ 484, nam occasum solis qui deinde commemoratur, olim secutam esse post eam Graecoram cladem quae incipitur ab Ἀγαμέμνονοσ ἀριστείᾳ et terminatur proelio apud naves quod continetur libro O. Cum eis igitur quae leguntur sub finem libri Θ, occasum solis volo et contionem Troianorum, ab initio, ut in Iliade nostra, cohaerebat Πρεσβεία cui successit Μηνίδοσ ἀπόρρησισ. Credibile est poëma desisse in illum versum qui nunc legitur T 276 ὣσ ἀρ' ἐφώνησεν λύσεν δ' ἀγόρην αἰφηρήν [1]), nam concordia redintegrata ita certum erat facile hostes repulsum iri, ut ne opus quidem esset hoc diserte enarrare, neque in carminis prooemio ulla huius rei mentio fit. Absurdum putat El. H. Meyer v. cl. [2]) poëma pangi in quo is qui primas agat partes, nihil agat; sed minime in Achilleïde nostra nihil agit Achilles quamquam nulla eius in acie facta depinguntur; quid

1) Etiam Koechly v. cl. suspicatus erat (Opusc. Philol. II 1882) priscum fuisse carmen de regum rixa in quo Agamemnonis precibus et pollicitationibus perductus iram Achilles deposuisse narraretur (l. l. „so mag jenes alte Gedicht jedenfalls den Streit des Agamemnon und Achilleus, so wie des letzteren Zorn und traurigen Folgen, eine Niederlage durch die Troer, vielleicht auch die Versöhnung des zürnenden Helden durch eine Ehrengesandschaft und Geschenke umfasst haben"). Sed Koechly Lachmanniorum addictus disciplinae prisci huius carminis ne particulam quidem ad nos pervenisse censuit, sed ex eo tanquam fonte haurientes aliis admixtis, complures deinceps poëtas separata pepigisse carmina (l. l. „die beiden grossen Kunstwerke [Ur-Ilias und Ur-Odyssee] in einzelne Lieder aufgelöst und zerstückelt"), quae tandem Pisistratus in Iliadem nostram coniungenda curavisset.

2) Achilleïs p. 378 sqq.

Digitized by Google

autem manu valeat nobis eo indicatur quod ad eum recurrere post unius diu proelium Agamemnon coactus est; nam si putas hoc deberi peculiari auxilio quod Iuppiter hostibus ferat, neque igitur inde sequi ut utique Achillis fortitudine contra hostes careri non possit, perspicuum tamen est poëtam nisi voluisset eum communi consensu longe omnium fortissimum esse, ne potuisse quidem id ipsum de se praedicantem inducere (A 412) et ut Troiani vincerent cum pugna abstineret a Iove petentem, Iovemque annuentem; ridiculum enim fuisset. Qua autem ratione rem significavit fieri non potuit, quin altius penetraret auditorum animos quam si demonstrata esset multis exemplis, cuius generis quidquid noster addidisset heroïs imaginem non amplificasset. Quod autem in Iliade Aiax et Diomedes tales depinguntur qui contra Hectorem suffecturi fuerint nisi Achillis honorandi causa eos prohibuisset Iuppiter, ceteros locos ubi hoc appareat Achilleïdi abrogandos esse, posthac ostendemus, solos id genus locos quos Achilleïs habet, unum ubi Diomedes Hectori galeam tam vehementer hasta percutit ut in genu procumbat caligine oculis offusa (Λ 354 sqq.), alterum ubi poëta animadvertit evitasse Hectorem Aiacis manus (Λ 542) [5]), propterea minus censemus Irae Cantoris mentem reddere, quod eos transsumsisse videtur e fonte qui Achillis rationem non habuerit, carmen antiquum volo, quod Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ pro fundamento fuisse demonstravimus antea [2]). „At poëta non potuit" ita pergit Meyer [3]) „opus suum concludere clade popularium". Id nihil ad rem, neque enim clade sed certa spe victoriae Achilleïs concluditur.

At vero inquiunt, Achilleïdis argumentum quam angustum et tenue! Ita, si comparas Iliadis amplitudinem et ubertatem, non vero si confers cum eis carminibus quae, quantum ex Iliade colligere licet, huic pro fontibus fuerunt. Horum enim singulorum materiem uno excepto de quo mox agemus, nihil est cur credamus fuisse variam et abundantem; sed in Achilleïde aguntur res diversissimae: sacerdotis ad Graecorum naves adventum, eius colloquium cum Agamemnone, Apollinis ab eo implorati

1) Versum sequentem Ζεὺσ γάρ ῥοι νεμέσα ὅτ' ἀμείμονι φωτὶ μάχοιτο omittunt codd. potiores omnes.

2) Mnem. 1913 p. 57. 3) l.l.

Digitized by Google

sagittae, contio ab Achille advocata, Calchantis responsum, regum iurgium, Minervae interventus, Nestor frustra se interponens, praecones Briseïdem abducentes, Chryseïs reducta ad patrem, Achillis querela cum matre, huius missio ad Iovem, Iunonis ira, deorum coetus, Vulcani lepor, somnium fallax, exercituum congressus, pugna commissa, Agamemnonis fortia facta, Iris ad Hectorem missa, Ulixis vulneratio, Aiax protegens Graecorum receptum ad naves, deinde a navibus ipsis vim ignemque defendens, proelium nocte diremtum, Agamemnonis desperatio a Diomede castigata, Nestoris monita, legatio ad Achillem missa, concordiae reconciliatio. Inter carmina antiquiora unum tantum est quantum scire licet, quod Achilleïdi aliqua ex parte comparare liceat; illud volo quo Meleagri res gestae celebratae sunt, quod haud absurde Muelder Achilleïdis πρωτότυπον dixit [1]). Illius carminis argumentum sic fere reddi posse supra vidimus [2]): Ad opprimendum aprum immanem, quem Diana a rege Oeneo cum ceteris deis deabusque sacra faceret neglecta agro Calydonio inmiserat, Aetoli arma consociant cum Curetibus, e qua gente Oeneus Althaeam uxorem duxerat; Meleagrus Oenei filius beluam interficit, inter socios certatur de apri capite ac pelle; bello exorto Meleagrus occidit fratrem Altheae quapropter haec mente furiata filium dis manibus devovet; is iratus proelium deserit; Curetes ipsam urbem Calydonem oppugnant; pater mater sorores sodales frustra orant heroëm ut patriam defendat, tandem, urbe iam ab hostibus incensa uxoris lacrimis pervictus vim propellit. Utrum poëtae qui hoc carmen condidit narrandi genus fuerit nudum incomtum ieiunum, an quale Achilleïdis vividum copiosum ἠθικῶσ excultum, sciri nequit. Sed elaborata illa compositio qua supra monuimus Achilleïdem insignem esse, cum quasi nodus connectatur et dissolvatur, nostro carmini deest. Series rerum gestarum traditur quarum nulla eiusmodi est in qua tanquam in cardine totum poëma versetur; ad solam alteram eius partem Meleagri ira pertinet, neque diutius haec auditores incertos tenet quo sit exitura, nam continuo iratum circumdant sui, tum hostes appropinquant, urbem incendunt,

1) l.l. p. 50.
2) Mnem. 1913 p. 263 sqq.

Digitized by Google

Meleager surgit. Contra Achilleïs paene in exordio statim Achillem iratum habet, Iuppiter eius socium; auditorum interest scire quomodo Graecos victuri sint Troiani, quibus illi quin satis superque sint pares nemo dubitat, quid Agamemnon porro sit facturus; hic a Iove dolose incitatus ad proelium committendum, Iovis arbitratu vulneratur sine suo dedecore, praeclare enim se gerit; etiam Diomedes et Ulixes honorifice proelio propter vulnera excedunt; vulgus tergum dat; Aiax tarde pedem refert, vim et ignem hostium sustinet; in extremo navium discrimine sol occidit; auditores gaudentes agnoscunt antiquorum carminum materiem in novum contextum adhibita. Iam in eo est ut nodus expediatur; silentio noctis Agamemnon fracta iam superbia legatos mittit, placatur Achilles non sine labore. Cum autem argumenti structura Achilleïs longe superet πρώτοτυπον suum, veri simillimum est eam orationis quoque et stili luminibus ab hoc se distinxisse.

Ingeniose vLeeuwen animadvertit [1]) Iliadem esse τρῶν ἀποριῶν λύσιν, quarum una sit quaestio haec: cur in multis carminibus laudes heroum qui ante Troiam pugnarint habentibus, inter Aiacis Ulixis Diomedis aliorum clara nomina desideretur nomen Achillis omnium clarissimum; altera haec: cur Apollinem deum vero Graecum πατρῷον καὶ κουροτροφον καὶ μάντιν in Phocidis antro Pythio cultum, non Achivis sed Troianis opitulatum ferant plurima, quae ad bellum Troianum spectent carmina vetusta; tertia haec secundae cognata et similis: cur prisca quaedam carmina Iovem deum Olympium Troianis ostendant faventem non Achivis optimo iure Troiam oppugnantibus, quibus ipsa eius uxor Iuno auxilietur. De prima quaestione vir clarissimus ita poëtam secum egisse putat: „Aliquantisper Achilles cum ceteris Achivorum ducibus comes in pugnam non ivit. Cur autem? quod nolebat videlicet. Nam volentem quis prohibiturus erat quominus hostes peteret? Cur autem aliquando noluit bellum gerere iuvenis ille generosus, fortis et audax et laudis appetentissimus? Quinam affectus in eius pectore plus valere potuit quam famae studium? Fuit ira, cuius causam erit poëtae probabiliter fictam enarrare". Quibus verissime dictis additum

1) Mnem. 1910 p. 386 (Comm. Hom. p. 35 sqq.).

Digitized by Google

velim poëtae ut occurreret, ira commotum proelio abstinuisse Achillem, magni momenti fuisse similem Meleagri causam, quam ex antiquo carmine cognitam haberet. Ad quaestiones autem secundam et tertiam quoque prorsus Leeuwenio assentior cum censeat hoc responsum praebuisse poëtae fertile ingenium: contumeliam sacerdoti factam Apollinem suscepisse vindicandam; Achillis iniurias ab eius matre oratum Iovem annuisse se ulturum Graecorum clade. Sed hoc animadversum velim, *τριῶν ἀποριῶν λύσιν* illam non minus pertinere ad Achilleïdem nostram quam ad Iliadem; illius enim argumentum non secus quam huius sufficere ut inveniatur responsum ad quaestionem triplicem. Neque hoc tantum, sed ea in re etiam magis satisfacit Achilleïs quam Ilias. Aperte enim vLeeuwen declarat, Iliadem non ita compositam esse ut omnia quadrent ad responsa alteri et tertiae quaestioni data. Apollinem enim pestilentiae quidem quam Graecis inmisisset finem mox fecisse cum sacerdoti satis datum esset, sed nihilo minus exinde quoque eis esse adversatum; Iovem palam plus semel esse confessum caram sibi Troiam; Hectoremque servaturum fuisse modo fata sivissent; hunc semper ei confisum esse. Negat vLeeuwen, idque suo iure, poëtam, cum in fontibus suis haec invenisset quorum materiem neque negligere neque ex arbitrio suo mutare et transformare posset, vituperandum esse quod *ἀσύγκλωστα συγκλώθειν* non valuerit, fecisse quod posset, sed in ipsius ut in aequalium mente vixisse illa prisca carmina, his aperte contraria dicere non licuisse etiamsi libuisset. Nihilo minus notatu dignum puto, in Achilleïde nostra eam discrepantiam abesse, quippe in qua neque Apollo ullo in proelio se interponat vel omnino ullas in proeliis partes agat, neque Iuppiter Troianos diligere se significet, vel eis adsit amplius quam requiratur ut promisso Thetidi dato satisfaciat. Quod nunc mihi est demostrandum.

b) *Quae Iliadis partes praeterquam* Πατροκλεία *eaque quae cum hac cohaereant, Achilleïdi abiudicandae sint.*

Iliadis pars quae complectitur libros Π—Ω tota, si excipis *Μηνίδος ἀπόρρησιν* quae narratur in libro T, Achilleïdi abiudicanda est, illi enim libri praeterquam Πατροκλεία nonnisi ea

Digitized by Google

continent quae ex hac pendeant; atque his addenda sunt omnia quae in libro Λ leguntur post versum 574, quae item cum Πατροκλείᾳ cohaerent; praeterea libri Λ vss. 501—520 qui locus ab iis separari nequit.

Nunc autem videamus de cetera parte Iliadis. Libri A nullam video certam causam cur quidquam Achilleïdi detrahatur nisi vss. 145—147 ubi commemoratur Idomeneus cuius mentionem mox videbimus in ea non recurrere, qua propter hic displicet. Quodsi praeterea vss. A 430—492 insitivos censes, quibus narratur Chryseïdis reductio, non magnopere refragabor, neque certam tamen neque magni momenti rem esse iudicans. Sequitur Ὄνειρος qui optime cohaeret cum iis quae praecedunt. Sed Διαπείρας causa alia est. Nam eius auctor, id quod in superioribus demonstrasse mihi videor [1]), belli annum decimum agi sibi proposuit, quod quin in Achilleïde aliter se habeat minime est dubitandum. Vulgo enim primus belli annus in Iliade proponitur. Sic ubi Iris a Iove missa (B 788) Troianis nuntiat Graecos approquare, dicitur induisse speciem Politae Priami filii qui speculatoris loco in Aesepi tumulo sederet δεγμένος ὅππότε ναῦφιν ἀφορμηθεῖεν Ἀχαιοί (B 794), quibus indicari tum primum Graecorum a navibus expectari progressum e verbis deae apparet his: „confabulamini ut ante in pace, sed acre bellum ortum est, ne! numquam tot et tales copias vidi" quae luce clarius belli initium spectant. Paullo post, cum exercitus in campo constiterunt foedus facturi, Priamus eos de muro observans Helenam interrogat de principibus (Γ 162 sqq.), quod facere senem anno belli decimo absurdum erat [2]). In pugna quae deinde committitur Diomedes Glacum offendens alloquitur (Z 124): „nequaquam [3]) te ante vidi in proelio" quod incredibile est, si iam decimo anno bellatur. Mox Graeci castra circumdant muro et fossa (H 436 sqq,), decimo demum anno belli id fecisse censebit nemo. In pugna apud naves (N 362 sqq.) Idomeneus trucidat Othryonem

1) Mnem. 1913 p. 54 sqq.

2) Non repugnat illud οὐ νέμεσιν Τρῶας καὶ εὐκνήμιδας Ἀχαιοὺς τοιήνδ' ἀμφὶ γυναῖκα πόλυν χρόνον ἄλγεα πάσχειν (Γ 157 sqq.), neque enim cogimur senis verba sic intelligere quasi dicat iam per longum tempus eos mala passos *esse*.

3) In mss. legitur οὔποτε, desideratur autem σε, qua voce nullo modo hic careri potest. Recte igitur vHerwerden v. cl. legere iubet σέ γε.

Digitized by Google

ὅσ ρα νέον πολέμοιο μετὰ κλέοσ εἰληλούθει. An decimo denique anno belli famam accepit? Priamo ad castra Graecorum iter faciens occurrit Mercurius sub imagine iuvenis „cui prima genas vestibat flore iuventus", (Ω 347 sqq.) dicitque se Achillis esse militem e sex fratribus ei sorte datum, quod manifesto tum evenerat cum belli initio dilectus haberetur, neque tamen octavo vel nono aetatis anno iuvenis militiam inierit. Sex locos attuli, hunc unum afferre satis fuit, nam quoniam ratio fert ut sensim apud hominum animos creverit belli Troiani spatium, Irae autem Cantor antiquissimus est omnium Iliadis auctorum, sequitur ut si unus ex his quisquis fuit significaverit primum belli annum agi, non ex antiquo fonte imprudens id transsumens sed ipse ita rem sibi proponens — at vero nemo censebit ea de Mercurio ex antiquo fonte esse translata — Irae Cantori saltem idem placuerit. Nisi contrarium apparuerit. An apparet e Iovis verbis ubi dicit (A 520) *semper* uxorem sibi temere conviciari quod Troianis in pugnis adsit? Pugnatum iam esse, si minus cum Troiae urbis copiis, tamen adversus oppida circumiacentia quae sub Troianorum dicione vel iis socia essent, eo indicat poëta quod narrat urbem Thebam a Graecis captam esse sed nihil obstat quominus hoc primo belli anno factum sit. Optime igitur potuit poëta fingere Iovem querentem, immerito se ab uxore cum non odio eodem atque ipsa Troianos persequeretur, semper accusari quod iis opitularetur.

Iamvero Διὰπειρα si Achilleïdi abiudicanda est, vix multum a vero aberrabimus statuentes in ea post diei ortum qui commemoratur B 48, 49 statim secuta esse ea quae nunc leguntur B 442—483. Utrum comparationes cunctae, quae deinceps quatuor numero ibi sequuntur, Irae Cantori debeantur an una vel plures ab aliis sint insertae, non constat. Hoc veri similius videtur, nam aut altera B 459—468) aut tertia (B 469—473) prorsus supervacua esse videtur, neutram harum si absit desideres; sed rem parvi momenti omittere licet. Sequitur Catalogus navium qui dicitur. Huius nucleum ante hac vidimus [1]) inter carmina fuisse, quibus celebraretur bellum Troianum ortum ex expeditione in Asiam suscepta a Boeotis Phocensibus aliarum

1) Mnem. 1912 p. 4 sqq.

Digitized by Google

gentium Graecarum hominibus. Perspicuum ibi nullos neque populos neque principes appellatos esse, nisi qui in illius expeditionis partem venirent, nullos igitur praeter Aiacem ex iis qui primas partes egerunt in Achilleïde, Aiax Achilles Agamemnon Menelaus Diomedes Ulixes cum eorum popularibus; itaque Irae Cantor si Catalogum principalem in suum poëma adhibuit ipse hos addidit. Sed populi et principes qui in illo adhibebantur, in hoc, Aiace solo excepto, nonnisi exiguas partes egerunt; neque omnino in bello Troiano verum in Achillis ira enarrarranda versabatur Achilleïs. Multo igitur praestat sumere tum cum Achilleïdis quasi corpus crebris magnisque membris auctum esset, ita ut belli Troiani amplam exhiberet imaginem, extitisse poëtam qui Catalogum principalem et insereret et expleret, quem credibile est ne totum quidem eum constituisse qualem nunc habemus, sed etiam post hunc ab aliis nonnihil esse additum [1]). Irae Cantori hi soli versus (B 786—815) tribuendi videntur quibus narratur Iridis missio [2]). Nam diserte cum descriptum esset (B 455—483) copias Graecorum duce Agamemnone e castris educi, in campo consistere, in catervas a ducibus suis distribui, requirebatur ut eodem modo Troiani Hectore duce in aciem proficisci et instrui narrarentur, quod nullo loco fit nisi nostro. Quod autem Iuppiter Iridem mittit Troianos monitum de hostium adventu, optime quadrat ad somnium fallax Agamemnoni missum. Nihil igitur vetat credere, ea quae nunc leguntur B 786—815 in Achilleïde iuncta fuisse ab altera parte eis, quae nunc leguntur B 483, ab altera eis quae Γ 1—14.

Nam a versu Γ 15 initium capit ἐπεισόδιον maius quod Achilleïde alïenum videtur. Omnia quae abinde eo versu continentur libris ΓΔΕ, nisi forte minora aliqua ἐπεισόδια post addita sunt de quibus nunc non quaerimus, uni haud dubie debentur auctori. Is qui Iliadi inseruit Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν non potest non inseruisse Ὅρκίων σύγχυσιν, quo enim alio modo illam potuit coniungere cum sequentibus? An forte recentior est hac? Sed haec ne cogitari quidem potuit nisi illa

1) Mnem. 1912 p. 13 sqq.
2) Vide supra p. 66 sq.

Digitized by Google

praecessisset. Porro Pandarum ubi a Minerva incitatus Menelao sagittam intendit, poëta, νήπιον vocans simul significat ultrices deas non evasurum, et ab altera parte, ubi narraturus est Pandari mortem, vulnus Menelao inflictum respicit (E 206 sq.). Pandari autem exitus a cetera Διομήδευς ἀριστείᾳ separari nequit, nam cum illo cohaeret Aeneae vulneratio a qua rursus pendet Martis auxilium Troianis latum eiusque cum Diomede certamen. Ea quoque quae continentur libris ZH, rursus si excipis ἐπεισόδια nonnulla quae recentiora esse videntur, ita cohaerent abinde saltem versu Z 73 ut diversis auctoribus dividi nequant; manifesto enim is qui Iliadi inseruit Hectoris colloquium cum uxore etiam eius adventum in fratris domum et profectionem cum fratre in aciem inseruit, atque idem rursus ut ansam sibi praeberet mittendi Hectorem in urbem, Heleni ad matrem mandata confinxit [1]); pugna autem ab Hectore et Paride restituta causa fuit colloquii Minervae et Apollinis, unde pendet Hectoris cum Aiace certamen. Ab alio poëta libros ZH atque ΓΔΕ insertos puto, de qua re alio loco accurate agendum erit, nunc satis est statuere eum qui illos inseruerit, hos cognitos habuisse. Nam ubi Helenus (Z 73 sqq.) Hectorem adhortatur ut matri auctor sit cum ceteris Troianorum matronis grandaevis Minervae adeundi delubrum, ita eas deam placare iubet αἵ κεν Τυδέος υἱὸν ἀπόσχῃ Ϝιλίου ἱρῆσ (Z 97), quibus verbis liquido apparet eum respicere Διομήδους ἀριστείαν, atque ubi Hector fratrem alloquitur δαίμονι' οὐ μὲν καλὰ χόλον τόνδ' ἔνθεο θυμῷ (Z 326) haud obscure tangit huius certamen cum Menelao [2]) non aliter quam

1) Bethe v. cl. („Hektors Abschied" Teubner 1909) recte animadvertit Z 242 ubi Hectori mater obviam ire narretur Priami filios dici domi patris habitare, sed Z 313 Paridem propriam domum habitantem fingi. Versus Z 243—252 interpolatos puto, sed fac genuinos esse repugnantia facile sic explicatur, ut in antiquo carmine unde fratrum colloquium haustum sit (vide Mnem. 1912 p. 324 sqq.) Paris suam habuerit domum, is autem qui hos Iliadi inseruerit, cum paulo ante (Z 242) rem aliter proposuisset repugnantiam non attendisse. Ceteras discrepantias quas in libro Z dispexisse sibi videtur Bethe nullas puto.

2) Cur Naber (Quaestiones Hom. p. 157) hoc neget non intelligo. Nam Γ 451 sqq. legimus Paridem a Venere servatum et domum reductum, cum a Menelao quaereretur neminem Troianorum victori potuisse ostendere οὐ γάρ κεν φιλότητι ἐκύνθανον εἰ Ϝ' ἐΐδοντο, Ϝίσον γὰρ σφιν πᾶσιν ἀπήχθετο κηρὶ μελαίνῃ. Quid mirum igitur Hectorem existimare fratrem eius rei non ignarum, cum civibus suis suscenseret domi latitare.

Digitized by Google

ubi Graecorum principes provocaturus ad certamen secum ineundum (H 69 sqq.) sic dicere incipit ὅρκια μὲν Κρονίδης ὑψίζυγος οὐκ ἐτέλεσσε. Quodsi igitur in eis quae inter se cohaerentia complent maiorem partem librorum ΓΔΕ, aliqua offenduntur quae prohibeant haec adscribere Achilleïdi, nihil iam cunctis libris Γ—H superest quod tribui ei possit.

Est autem aliquid quod pro invicto stet argumento cur illi libri Irae Cantori abnegandi sint, estque hoc, id quod in superioribus iam verbo attigimus, Iovis mens ergo uxorem aliter ab hoc proposita, aliter ab auctore libri Δ. Nam praefracte negandum censemus, qui Olympium anxie sollicitum finxisset (A 517 sqq.) ne uxor intelligeret se suscepisse Troianos iuvandos quippe quae etiam immerito ipsi conviciaretur quod eos iuvaret, eundem paulo post (Δ 5 sqq.) finxisse ultro uxorem ad convicia lacessentem simulando se Troianis etiam magis favere quam faveret re vera. Neque enim serio loquens sed παραβλήδην ἀγορεύων se meditari dicit pacem inter Troianos et Graecos, neque re vera adeo favet Troianis ut prohibiturus sit perduci bellum, cuius exitus ne Iuno quidem metuit ne Graecis adversus sit futurus. Neque tantummodo erga Iunonem sed erga Graecos quoque Iovis mentem aliam proposuit poëta noster atque Irae Cantor. An iis victoriam largiturus somnium fallax Agamemnoni miserat? Non ita, credo. At poëta noster Minervam cum Martem Troianorum socium e proelio abductura sit his usam verbis fingit (E 34) νῶι δὲ χαζώμισθα Διὸς δ' ἀλέωμεθα μῆνιν, quibus satis clare significavit Iovem nihil mali intendere Graecis [1]). Quid? Ubi frater in aciem reversus Graecos opprimit eum *Iove annuente* male mulcatum proturbat, et Iuppiter ultro belli furorem filio increpat. Omnino in Iliade nostra clades Graecorum diutius differtur quam iure expectes post promissum Thetidi datum et somnium fallax. Voluit noster, inquiunt, poësin suam

1) Rogas quid poëtam induxerit ut fingeret Minervam fratrem e pugna seducentem. Veri simile puto ut in fonte suo invenerit belli deum a sinistra parte pugnae — quaequae fuit — sedentem Veneri a Diomede vulneratae currum suum mutuum dedisse (cf. E 355), et secum reputaverit ita sibi explicandam esse hanc Martis stationem — quae in fonte prorsus aliam causam habuisse potest — ut e pugna seductus esset a numine quopiam, ad quam rem nemo Minerva ei videretur aptior esse. Quocum cohaeret quod Δ 439, qui locus haud dubie quoque nostro poëtae assignandus est (vide supra p. 68 sq.), Minervam Graecos Martem Troianos adhortatum esse narravit.

Digitized by Google

locupletari inserenda materie ex antiquis carminibus hausta, quae quamvis ad argumentum poëmatis minus faceret vel etiam aliqua ex parte discreparet, tamen eius cohaerentiam non frangeret. Audio, et eiusmodi rationem credibilem censeo. Etiam veri simile puto in antiquo carmine quod Διομήδευς ἀριστείᾳ pro fonte fuerit ad bellum Troianum non pertinens, Martem Iovis voluntate a Minerva e proelio fugatum esse, favisse deorum regem Diomedi. Sed petulantiam Iovis qua Iunonis iram provocat, nemo censebit petitam e fonte antiquo. Diversitas autem concipiendi eiusdem personae imaginem ut nulla mutationis causa conspicua idem nunc timeat nunc petat, non eiusdem poëtae est, verum multo hoc est certius documentum diversitatis auctorum quam multae discrepantiae in rerum externarum et adventiciarum narratione. Adde quod etiamsi daremus ἐπεισόδιον de quo nunc agimus ipsi tribui posse Irae Cantori, illud tamen immotum manet alia ἐπείσοδια: Πατροκλείαν Διάπειραν Τειχομαχίαν ei abiudicanda esse. Haec reputanti ubi optio datur aut tribuendi Achilleïdis argumenti additamentum nostrum Irae Cantori ipsi aut poëtae recentiori, haud dubium videbitur quin hoc sit probabilius.

Pervenimus ad κόλον μάχην. Hic habemus Graecorum cladem, non vero eam quae adscribi possit Achilleïdi. Nam eius auctor Πατροκλείαν se cognovisse significat. Iovem enim ita loquentem inducit (Θ 474): „tum Achilles surget apud naves cum in summis angustiis de Patrocli corpore certabitur". Accedit quod κόλος μάχη multa habet, quae undique ex Iliade comportata esse videantur, unde sponte movetur suspicio originis recentioris. Nam ut utar verbis Naberi v. cl. qui de hac re accurate egit [1]) „exceptis locutionibus et dimidiatis versibus qui apud Homerum quavis fere pagina occurrunt, sunt praeterea versus plus quam octoginta, qui cum parva nullave mutatione alibi quoque inveniuntur, quorum versuum ea est ratio ut saepe aliunde desumta possint videri, raro autem octavus liber fons sit reliquorum" [2]).

1) l.l. p. 143.

2) Locos comparavit Naber hos: vs. 3 = A 499; 5 = T 101; 28—30 = I 430—432; 39—40 = X 183—184; 41—44 = N 23—26 58—59 = B 809—810; 60—65 = Δ 446—451; 66—67 = Λ 84—85; 68 = Π 777; 69—70 X 209—210; 71 = T 127; 72 = X 212; 105—107 = E 221—223; 222—226 = Λ 5—9; 227 = Λ 275; 228 =

Digitized by Google

Tamen abinde solis occasu qui narratur Θ 485 sqq. rursus habere videmur manum Irae Cantoris. Ad *πρεσβείαν* enim, quam in Achilleïde secutam esse vidimus post proelium apud naves, quod in Iliade continetur libro O, requiritur transitus, isque quem hic habemus; nam legatio ad Achillem noctis silentio mittitur. Transitus igitur aptissimus efficitur eis quae leguntur abinde Θ 485 qui versus optime coniungitur cum postremo versu libro O.

Πρεσβείαν cur exitu mutato Achilleïdi assignemus cum in superioribus copiose demonstraverimus, de cetero praetermittere licebit. Eadem autem nocte atque haec, in Iliade *Νυκτεγερσία* et *Δολονεία* actae finguntur quibus in Achilleïde, utpote in qua statim post *Πρεσβείαν* sequeretur *Μηνίδος ἀπόρρησις*, nullus locus esse potuit; in illa igitur videtur *Ἀγαμέμνονος ἀριστεία* iuncta fuisse versui qui nunc legitur Γ 15. Sed versus Λ 1—84 non quadrant ad ea quae leguntur B 48, 49, 442—483, quae Achilleïdi impertienda esse censuimus; nam diei ortus narratus erat B 48, 49 et Minervae labore in excitandis Graecis (B 446—454) excluditur belli Furoris missio quae libri Λ initio diei ortui succedit (Λ 3 sqq.). Praeterea versus nostri alia ex parte habent quae offendant. Dicuntur enim duces aurigis suis equos prope fossam retinendos mandasse (vs. 47 sqq.), sed paulo post (Λ 192, 270, 280) Agamemnon vulneratus curru vehitur e proelio, quod facere non potuit si currus ad fossam restitisset. Neque omnino video causam cur currum apud fossam remanere opus fuerit, verum M 84 sq. iisdem verbis aptissime duces Troiani castra Graeciorum oppugnaturi currus suos apud fossam reliquisse narrantur, idque iisdem verbis. Deinde vss. Λ 51 sq. displicent cum satis dure pedites dicantur multum praecedere essedarios, hi venire paulo post pedites. Tum Λ 56 aegre desideratur vox *θωρήσσοντο*, sed Υ 3 qui versus idem est ac Λ 56, *θωρήσσοντο* facillime auditur ex versu Υ 1. Porro comparatio adhibita vss. 67—69 minus apta est, neque enim messores sibi oppositi quemadmodum Graeci et Troiani se mutuo

---

E 787; 258—260 = E 40—42; 313—317 = Θ 121—125; 331—334 = N 420—423; 343—345 = O 1—3; 345—347 = O 367—369; 354 = Θ 34; 381—383 = E 719—721; 384—388 = E 733—737; 389—396 = E 745—752; 457—462 = Δ 20—25; 463—465 = Θ 32—34; 493—495 = Z 318—320; 540 - 541 = 827—828.

Digitized by Google

feriunt, sed aristas quae mediae inter eos sunt. Tum vss. 78—83 damnaverunt iam Alexandrini non immerito ineptum rati *omnes* deos suscensuisse Iovi. Postremo vs. 46 Agamemnon dicitur rex Mycenarum, quod ceteroquin in Achilleïde non invenitur, cum contra in Πρεσβείᾳ propter urbes quas Achilli polliceatur in Laconiae confiniis sitas, censendus sit potius Lecedaemoni regnasse [1]). Statuendum igitur videtur, post ea quae leguntur Γ 15 statim secuta esse in Achilleïde ea quae nunc leguntur abinde Λ 85. Postremam partem libri Λ abinde vs. 575 praeterea vss. 501—520 ab Achilleïde separanda esse, quippe quae cohaereant cum Πατροκλείᾳ, supra iam monuimus.

Hanc autem etiam Τειχομαχίαν auctor se cognovisse prodit, ne dicam eo quod Hectoris mortem memorat (M 10 cf. 13), hanc enim ex antiquiore carmine cognitam habere potuit, tamen quia exorditur a mentione Patrocli curantis Eurypylum vulneratum, qua tangit ea quae inveniuntur sub finem libri Λ, a Πατροκλείᾳ, id quod iam saepius monuimus, pendentia. Praeterea Τειχομαχίαν auctor putandus est sibi proposuisse belli spatium decennale siquidem hoc apparet ex eo quod legimus M 15 'πέρθετο δὲ Πριάμοιο πόλις δεκάτῳ ἐνιαυτῷ. Versum hunc eiecit vLeeuwen v. cl. [2]) sed cum post ὄφρα (vs. 10) sequatur (vs. 11) Πριάμοιο ϝάνακτος ἀπόρθητος πόλις ἔπλε, post αὐτὰρ ἐπεί (vs. 13) requiri videtur mentio urbis dirutae, id quod confirmatur versu 16 „Ἀργεῖοι δ' ἐν νηυσὶ φίλην εἰς πατρίδ' ἔβησαν", quae verba frigent illa mentione omissa. Cumque viderimus etiam Διαπείραν auctorem decimum cogitare anni bellum et Helena Hectoris mortem lugens (Ω 762 sqq.) vel vicesimum postquam Troiam venerit annum memoret, minus etiam causae esse videtur cur nostrum versum interpolatum putemus. Ceterum verum quidem est, poëtam nostrum cum decimo belli anno Troiam eversam dicat non totidem verbis pugnam quam descripturus sit eo demum anno commissam dicere, sed quoniam vs. 10 sq. Hectoris vitam Achillis iram urbis salutem ita coniungit ut liquido significet hanc ab illis pendere, satis clare

1) Cf. Mnem 1912 p. 30 sqq.

2) Mnem. 1907 p. 209 Hom. Comm. p. 20. Quod imperfectum v. cl. hinc alienum esse censet, cf. Thuc. I. 9. 2, Xen. Anab. I. 1. 6, Cyrop. III. 3, 1 quibus locis non aliter se habet ac nostro loco.

Digitized by Google

enuntiat non multis annis post, sed continuo eius excidium secutum esse. Praeterea fac cogitavisse nostrum res in Iliade enarratas actas esse primo, expugnationem decimo belli anno [1]), quid igitur sibi proposuit actum esse per tot annos in medio positos? Adventus Memnonis Aurorae filii commemoratur in Odyssea (δ 188, λ 522), Amazonum in carminibus κυκλικοῖσ quae dicuntur, de Memnone autem et Amazonibus quae narrantur ad bellum Troianum pertinentia, recentioris originis notam in fronte ferunt [2]) nedum in Iliade tangantur. Itaque si haec cognita habuerit Τειχομαχίασ auctor, ea ipsa re inter recentissimos Iliadis auctores habendus est.

Transeundum iam est ad Μάχην ἐπὶ ταῖσ ναυσίν, Διὸσ ἀπατήν, Παλίωξιν παρὰ τῶν νεῶν, quae ἐπεισόδια continentur libris N Ξ O. Coniuncte haec tractanda sunt, nonnullis enim locis omissis de quibus mox agemus, nihil in his est quod Achilleïdi vindicari possit nisi cuncta ei assignanda esse apparebit. Nam per totam Μάχην ἐπὶ ταῖσ ναυσίν si paucas aliquas περικοπάσ excipis quibus de hac re siletur, versari Neptunum apparet in exercitu Graecorum, sed qui fiat ut maris deus aliquando discedat, audimus in Παλιώξει παρὰ τῶν νεῶν (O 157 sqq.), quae ab altera parte usu venire non potuit nisi praecessisset Διὸσ ἀπατή. In Παλιώξει nonnulla leguntur quae si constaret genuina esse, in aprico esset poëtam cognovisse Πατροκλείαν. Experrectus enim e somno quo uxoris dolo oppressus erat Iuppiter inter alia ei dicit (O 65) Patroclum ab Hectore interfectum iri. Sed totum locum O 64—71 expunxerunt Zenodotus Aristophanes Aristarchus, propterea quod simul cum eis quae modo attuli hoc quoque cum Iunone communicat Olympius, Graecos confugituros ad Achillis naves, deinde hunc sodalem suum Patroclum

1) Forsitan sic acceperit nostrum versum (M 15) is qui maximam partem libri N Iliadi inscruit. Hunc cognovisse Τειχομαχίαν mox ostendemus; significat autem (N 362 sqq.) de quo loco vide supra (p. 66 sq.) certamina quae depingat, primo belli anno non decimo habita esse.

2) Ut hoc solum afferam: in Ἀχιλλέωσ ἀναστάσει, quae a Πατροκλείᾳ pendet, Thetis filium alloquitur (Σ 96) αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμοσ ἑτοῖμοσ; in Aethiopide interveniunt adventus Amazonum et deinde Memnonis. Iliadis autem versus ille Aethiopidi ita convenit si pro μεθ' Ἕκτορα substituis μετὰ Μέμνονα, fatale enim vinculum quo in Iliade Achillis mors iuncta est Hectoris morti, in Aethiopide imitatum est substituto Memnone pro Hectore.

Digitized by Google

suscitaturum, in Πατροκλείᾳ vero res aliter proponantur, ad naves Achillis Graeci non confugiant, Patroclus ultro hunc adeat. Quod quamvis minime incredibile vel veri dissimile putem deberi inconsiderantiae poëtae negligenter referentis ea quae narrantur in Πατροκλείᾳ, tamen omittam et alia proferam cur ἐπεισόδια nostra Irae Cantori abneganda sint. Nam in Παλιώξει ubi discimus (O 3) Troianos Iove dormiente e castris Graecorum repressos esse usque ad eum locum ubi currus suos reliquissent, Τειχομαχίᾳ tangitur, utpote in qua narrati essent (M 80 sqq.) Polydamantis monitu currus collocasse non procul a Graecorum castris pedibus murum ascensuri. Accedit, id quod non minoris momenti videtur ad dissuadendum ne ἐπεισόδια nostra assignemus Achilleïdi, quod manifesto eorum interventu dies quo Graecorum clades continetur, praelongus fingitur. In Iliade ille dies vere infinitus est quoniam Τειχομαχίᾳ et Πατροκλείᾳ accedunt, sed etiam his omissis habemus: proelium aequo Marte gestum usque ad meridiem — ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ (Λ 84 cf. vs. 86 sqq.) — tum Agamemnonis fortia facta, quibus Troiani usque ad urbem repelluntur — Σκαιάς τε πύλας καὶ φηγὸν ἵκοντο (Λ 170) — deinde Agamemnonis vulnerati discessum e pugna et Hectoris impetum, Diomedis et Ulixis fortitudinem, qui tandem ipsi quoque, alter ante, post alter, vulnerati abeunt, Aiacem fugam Graecorum protegentem usque ad naves se recipientium, Neptuni adventum, longam seriem certaminum qua totus liber N completur, Troianos Iove dormiente e castris eiectos et usque ad fossam repulsos — nam Iunonem Venerem adeuntem, deinde Lemnum profectam ut Somnum arcessat, cum hoc reversam, coniugum caelestium amores, propterea omitto quod tota haec Διὸς ἀπατή cogitari potest eodem tempore acta esse quo postrema ex illa serie certamina — denique redintegratum Troianorum impetum et rursus certaminum longam seriem quae terminatur irrito illorum conatu incendendi naves. Haec si ab uno eodemque poëta composita essent quantum negotii fuit per plures dies ea distribuere? parte eorum post addita facile intelligimus, qui addiderit minus attendisse sponte diem duci omni probabilitate diutius.

At vero, quamvis haec ita se habeant suspicandum tamen est latere in iis, quae contineantur libris N Ξ O, nucleum quemdam

Digitized by Google

qui referendus sit ad Achilleïdem. Neque enim solis occasus qui commemoratur Θ 485 satis apte coniungitur cum eo proelio quod in Achillïde terminari vidimus eo versu qui nunc legitur Λ 574. Nam iure existimes antequam sol occidat Troianos perventuros esse ad naves, quemadmodum Iuppiter futurum esse praedixerat (Λ 193 sq. 208 sq.) Graecos circum maris litus oppressum iri, id quod ut fieret Achilles matrem a Iove petitum miserat. Ab altera parte perlegentem libros N Ξ O fugere neminem potest nonnullas occurrere περικοπάς, quas si per se spectes nullo necessitatis vinculo coniunctas esse appareat aut cum Neptuni interventu, aut cum fraude Iovi facta, aut cum Troianorum a navibus regressu. Hae igitur nunc nobis sunt considerandae, simulque inquirendum, sitne in his aliquid quod in nostrum usum convertere possimus. Cetera ita cohaerent ut ne versus quidem in iis sit, qui non aut contextus vinculo coniunctus sit cum loco aliquo ubi Neptuni mentio fiat, aut ubi aliquid narretur quod pertineat ad Διὸς ἀπατήν aut ad Παλίωξιν παρὰ τῶν νεῶν, loci quos volumus sunt N 136—155 Ξ 1—134 O 306—746. Neque tamen contendimus cunctos hos locos totos olim obvenisse Achilleïdi. Nam statim loci Ξ 1—134 O 390—414 seiungendi sunt, quippe quibus respiciantur ea quae continentur postrema parte libri Λ pertinentia ad Πατροκλείαν. Deinde videamus de loco O 415—746. Invenimus O 415 sqq. Hectorem et Aiacem de eadem nave certantes, quam alter conatur incendere alter defendere ab igne. Sed O 593 sq. legimus Τρῶες δὲ λίεσσι τετοικότες ὠμοφάγοισι νηυσὶν ἐπεσσεύοντο, et O 653 εἰσωποὶ δ' ἐγένοντο νεῶν quod aliter interpretari non licet nisi sic „in conspectum navium venerunt", apertum autem est eos conari non potuisse navem incendere qui multo post demum in conspectum venirent navium, cum praesertim ne verbo quidem indicetur eos post irritum conatum eo usque propulsos esse ut ne in conspectu quidem manerent navium. Qua propter aut locus qui continetur versibus 415—591 — divelli enim eius contextus non potest — aut qui versibus 592—746, ab Achilleïde demendus est et pro interpolato habendus ex altero imitatus. Neque dubium esse potest uter potior sit habendus. Supra enim demonstravimus (p. 72) post ea quae habeat finis libri O olim secutum esse solis occasum, qui nunc invenitur Θ 485 sqq., et

Digitized by Google

animadvertimus eum optime coniungi cum versu O 746. At, inquis, non minus apte quadrat ad versum O 591. Dicam cur hoc negandum esse censeam. Sub finem libri O Graeci versantur in summo discrimine, non tantum ceteri omnes (vs. 655 sqq.) a primis navibus recesserunt et apud tentoria i. e. in litore maris conglobati substiterunt, sed Aiax quoque, qui paulisper remanserat cum illi pedem referrent (vs. 674 sqq.) in transtro navis concursans (vs. 685 sqq.) conto hostes arcens (vs. 677 sqq.) consistere iam non potuit (vs. 727 sqq.), sed paullulum regressus summo labore ignem a navibus defendit; res prorsus eo statu sunt, quem Achilles cum matre querens de iniuria sua cupiverat Iovis ope oriturum esse ut frangeretur Agamemnonis superbia (A 408 sqq.). Contra sub finem loci alterius (O 415—591) minime Graeci versantur in discrimine summo. Nam quamquam iam vs. 415 Caletor Clytii filius Troianus conatus erat e Graecorum navibus aliquam incendere pugna constitit sicubi hic ab Aiace interfectus est, deinde ultro citroque milites caeduntur, ab Hectore Lycophron Mastoris filius, a Teucro Clitus filius Pisenoris, tum ab Hectore Schedius Perimedis filius, ab Aiace Laodamas Antenoris filius, a Polydamante Otys Cyllenius, a Megete Phylei filio Croesmus Troianus, a Menelao Dolops Lampi filius, ab Antilocho Nestoris filio Melanippus, in toto igitur a Graecorum parte tres a Troianorum sex viri cadunt, nullo modo apparet illos a navibus reici et in litore maris compelli. Accedit quod cum sub finem libri summa certaminis ad Aiacem redeat, quem consentaneum erat primas ferre fortitudinis, nostro contra loco auditorum animi ab eo avertuntur fortitudine Teucri, Megetis, Menelai Antilochi, qui ceteroquin in Achilleïde praeter Menelaum ne appellantur quidem. Itaque sic iudicandum puto, vss. 415—591 insertos esse sive ab eo cui debemus maiorem partem librorum N Ξ O, sive ab antiquiore sive a recentiore poëta, neutiquam tribuendos esse Irae Cantori. Qui inseruit, quisquis fuit, non satis attendit propter versum O 653 *εἰσωποὶ δ' ἐγένοντο νεῶν* aliena esse quae ederet de Hectore et Aiace circa eandem navem pugnantibus.

Iamvero etiam vss. O 596—652 Achilleïdi abiudico. Nam O 599[b] sqq. legimus Iovem noluisse ante Graecis succurrere quam Hector in naves curvas ignem coniecisset, expectasse dum

Digitized by Google

oculis cerneret fulgorem navis inflammatae. Revera Π 112—124 legimus navem incensam a Troianis „τῆσ δ' αἶψα κατ' ἀσβέστη 'κέχυτο φλόξ". Sed haec non pertinent ad Achilleïdem, sed ad Πατροκλείαν, ab huius auctore inserta sunt mox narraturo (Π 293 sqq.) Patrocli cum Myrmidonibus adventu Troianis cedentibus flammam extinctam esse; ab Achilleïde aliena sunt, néque enim si Troianis contigisset ut navem incenderent, solis occasu pugna diremta esset, quae incendii luce potuit continuari, néque cum iis conveniunt aut Iridis mandata ad Hectorem (Λ 190[b] sqq. 207[b] sqq.) aut Achillis preces (Λ 408 sqq.) in quibus proponendis poëta vix omisisset incendii navium mentionem facere si id cogitasset.

Porro vss. Ο 306—389 ab Achilleïde demendi sunt. Alteram huius loci partem abinde vs. 367 iam propterea aliena est, quod ibi narrantur vs. 387 sqq. Graeci de navibus pugnare, unde rursus sequitur ut aut haec περιπετή aut vss. 653—736 sint tollendi; neque dubium esse potest post ea quae modo (p. 47 sqq.) disseruimus utrum sit praeferendum. Versus autem 306—366 propter duas causas Irae Cantori abiudicandi sunt. Quarum altera haec est, quod Apollo Troianos ducit qui, quamquam èt in Διομήδουσ ἀριστείᾳ iisque quae cum hac cohaerent haud obscure ab eorum parte stat èt in Πατροκλείᾳ iisque quae ab hac pendent Hectori saepius adest, Patroclum ei caedendum tradit èt in Παλιώξει παρὰ τῶν νεῶν Iovis iussu Hectori succurrit, in Achilleïde si a nostro discedis loco non tantum in pugnis se numquam interponit, sed ne ullo quidem modo significatur favere Troianis — nam quod Λ 354 ab eo galeam accepisse Hector dicitur, id quod haud dubie cum cetera Ἀγαμέμνονοσ ἀριστείᾳ ex antiquo haustum est carmine nullius hac in re momenti est — contra ab Irae Cantore haud obscure indicatur erga Graecos, cum eius sacerdoti filia reddita satisfecissent, placato fuisse animo. Nam Calchas de pestis causa respondens, non prius inquit (Α 97 sqq.) Apollo calamitatem a nobis defendet quam virginem sine pretio patri restituerimus deoque ampla sacra fecerimus, tum vero ἱλασσάμενοι πεπίθοιμεν. Neque frustra Chryseïde reddita Ulixes cum comitibus πανήμεριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο (Α 472); quid enim? ὁ δὲ 'τέρπετ' ἀκούων. Iam scio equidem fieri posse ut poëta mox fontibus usus qui aliam dei mentem ostenderent in-

Digitized by Google

concinna proposuerit, sed propterea hoc minus probabile est quoniam accedit altera causa suspicandi auctorum diversitatem. Nam vs. O 334 sqq. legimus: *τόφρα δ' Ἀχαιοὶ τάφρῳ καὶ σκολόπεσσιν ἐνιπλήξαντες ὀρυκτῇ ἔνθα καὶ ἔνθ' ἐφέβοντο 'δύοντο δὲ τεῖχος ἀναγκῇ.* In Achilleïde fossa vallus murus ceteroquin non commemorantur, atque vix auditores nisi cognovissent fossae oras vallis praeacutis munitas esse, id quod narratur in *Τειχομαχίᾳ* (M 55 sqq.), intellegere poterant quid sibi vellent valli qui a muro distinguerentur et ad eum non pertinerent. Qua propter censendus est loci nostri auctor *Τειχομαχίαν* respexisse.

Postremo locus O 659—673 eximendus videtur. Nam Nestoris adhortatio minus placet. Sic enim loquitur senex: *ὦ φίλοι ἀνέρες ἐστὲ καὶ αἰδόα θέσθ' ἐνὶ θυμῷ*, cum paucis versibus ante poëta Graecos laudavisset (vs. 657 sqq.) *ἴσχε γὰρ αἰδὼς καὶ δτέος, ἀζηχὲς κὰρ ὁμόκλεον ἀλλήλοισι*". Rem actam igitur Nestor agit. Quae autem post eius verba sequuntur (vss. 668—673) iam Aristarchus obelo notavit et merito quidem, dicitur enim ibi Minerva Graecis *ἀχλύος νέφος* ab oculis removisse quasi antea occaecati fuissent, quod neque poëta ullo verbo significaverat, neque intellegi potest. Supersunt igitur e locis quos supra recensuimus hi, qui aptissime coniunguntur, N 136—155, O 593—395, 653—658, 674—746, quibus efficitur nucleus quem dixeramus inesse eis quae continerentur libris N Ξ O. Vix dictu opus est fieri posse ut ab iis cantoribus qui haec in ingentem ambitum augerent et dilatarent, etiam sive pauci sive multi versus quos in Achilleïde invenirent, aut suppressi aut ita mutati sint ut iam agnosci nequeant. Sed hoc non admodum veri simile est quippe cum ipsa stili Epici ratio magnam praebeat facultatem versus ita inserendi ut immota et intacta maneant ea quibus inserantur. Illud saltem constat nihil desiderari si ea inter se iungis quae nucleum illum efficere demonstravimus.

Ad finem igitur perduximus id quod nobis proposueramus inquirentes quae partes Iliadis Achilleïdi adscribendae essent. Nihil enim ex eis quae abinde *Πατροκλείᾳ* sequerentur, huc pertinere vidimus, nisi *Μηνίδος ἀπόρρησιν* i.e. T 1—275 exceptis vss. 3—39 quippe quae pertineant ad armorum munus Achilli a matre allatum, et vss.

1) Locum Λ 47 sqq. ubi fossa commemoratur Achilleïdi abiudicavimus, vide supra p. 72.

Digitized by Google

209—214 cum ibi Patrocli mortui Achilles mentionem faciat. Sequitur ut statuendum sit Achilleïdem ex his fere constitisse versibus:

A 1—144, 148—429, [430—492?], 493—611,
B 1—49, 442—483, 786—815,
Γ 1—14,
Λ 85—500, 521—574,
N 136—155,
O 593—595, 653—658, 674—746,
Θ 485—565,
I 1—317, 344—347, 356—364, 378, 379, 388—392, 421—638,
Π 60—63,
T 67 pro verbis: *οὐδὲ τί με χρή* his substitutis: *ὥσ γὰρ ἄμεινον*, I 649, 656—663, 669—677, 678 ita fere mutato *κεῖνοσ μήνιθμον ἐθέλει σβέσαι ἠδὲ δέχεσθαι* et inserto versu *δῶρα τά τοι δώσεισ, νοέειν δέ τε θυμὸσ ἀνώγει*, 681 mutato *σαόῃσ* in *σαόῃ*, 688—690, 712—713,
T 1—2, 40—208, 215—275.

In hoc poëmate e principum Graecorum numero, quos habet Ilias, alii nulli prodierunt nisi Achilles, Agamemnon, Menelaus, Nestor Aiax Telamonius, Aiax Oilei filius, Ulixes, Diomedes, Phoenix; e Troianorum principibus nulli nisi Hector et Paris. Ex antiquis carminibus quibus ageretur fabula Troiana in suum usum convertit poëta èt quod erat de *Ἀγαμέμνονοσ ἀριστείᾳ* èt quibus celebraretur pugna cum Troianis apud naves, eo imprimis quo ageretur Aiacis fortitudo in navibus defendendis. Praeterea tetigit carmina quibus narrarentur insula Lesbos, urbs Lyrnessa ab Achille captae; satis copiose retulit argumentum carminis alicuius quo Meleagri res gestae ederentur; significavit cognita sibi esse carmina quibus tractaretur Iunonis erga maritum contumacia et insidiae huic structae, gravisque poena a Iove illi inflicta (sive ob aliam causam sive id quod probabile est ob dolum structum nocendi causa Heracli Troia revertenti), Vulcani clades matri auxilio venientis; respexit carmina quibus narraretur Hercules Eurystheo subactus propter patris iactantiam et novercae malignitatem. De quibus omnibus rebus fuse in superioribus egimus. Sed in summa poëmatis prorsus poëta noster suus fuit.

(*Continuabuntur*).

Digitized by Google

AD SOPHOCLIS INDAGATORES.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Vs. mutilos 7—15 Arthurus Hunt, cuius industria et sagacitate factum est, ut nova fabula Sophoclea nobis reddita sit, hoc modo in integrum restituere conatus est:

[ἅπα]ντα Φρ[οῦδα καὶ μάτη]ν ἰχνοσκοπῶ
[λαθ]ραῖ' ἰόν[τα τῆλε βου]στάθμου κάπης
[ἀΦα]νῶς τέχνα[ισιν· ὡς ἐ]γὼ οὐκ ἂν ᾠόμην
[οὔτ' ἀ]ν θεῶν τιν[' οὔτ' ἐΦημ]έρων βροτῶν
[δρᾶσ]αι τόδ' ἔργ[ον ὧδε] πρὸς τόλμαν πεσεῖν.
[ταῦτ]' οὖν ἐπείπερ [ἔμα]θον, ἐκπλαγεὶς ὄκνῳ
[στείχ]ω ματεύω, παντελὲς κήρυγμ' ἔχων
[θεοῖ]ς βροτοῖς τε μηδέν' ἀγνοεῖν τάδε·
[ἀκολο]υθίᾳ γὰρ ἐμμανὴς κυνηγετῶ.

Ad vs. 8 in margine adscripta est varia lectio λα – – –. Fuit procul dubio: λά[θρᾳ]. Vs. 9 ἀΦανῶς idem est quod λάθρᾳ sive λαθραῖ', et vocabula ἀΦανῶς τέχναισιν non optime inter se cohaerent, et *artificia*, quod sciam, plurali numero, nullo adiectivo adiecto, perraro τέχναι dicuntur (Hymn. Merc. 317). Haec vitia omnia simul tolli possent, si [δει]ναῖς τέχνα[ισιν] scribere liceret. Si tamen litterae ως certae sunt, nescio in praesens quo me vertam, nam neque δεινῶς τέχναισί θ' neque δεινῶς τεχνήντως θ' legere mihi placeret. Οὐκ ἂν ᾠόμην legitur etiam Eur. Alc. 1088, Men. Disc. 152; cf. Thuc. VII, 26: ἃ οὐκ ἂν ᾤοντο. Leeuwenius ad Men. l.l. inter-

Digitized by Google

pretatur: *οὐκ ᾠόμην* (*τοῦτο γενέσθαι*) *ἄν*, mihi potius irrealis esse videtur, ut sit: *credere non potuissem*, (*nisi oculis meis vidissem*). Vs. 11 adverbium *ὧδε* admodum languet. Multo praestabit scribere *οὐδέ*. Vs. sq. *ἔμαθον* verum esse potest, sed dubito tamen num potius legendum sit *ἔπαθον*. Vs. 13 [*στείχ*]*ω ματεύω* supplevit Huntius, forsitan ex Eur. Iph. Aul. 854: *στείχω ματεύσων*. Sed ad hoc exemplum si lacunam sanare placebit, cum prima manu papyri scribendum erit [*στείχ*]*ω ματεύων*, nam per asyndeton, si quid video, vix coniungi solent duo vocabula, nisi aut contrarium aut similem sensum exhibent. Melius igitur est supplementum Wilamowitzii: [*ζητ*]*ῶ ματεύω* (cf. vs. 201). Vs. 14 aliquo mendo laborare certum duco, cum accusativus cum infinitivo sensu finali usurpari non possit. Pro *τε* suspicor legendum esse *τοῦ*. Asyndeton *θεοῖς βροτοῖς* (cf. Soph. Ant. 1079: *ἀνδρῶν γυναικῶν*, Arist. Ran. 157: *ἀνδρῶν γυναικῶν*, Aesch. Eum. 1026: *παιδῶν γυναικῶν*, Pers. 404: *παῖδας γυναῖκας*, Soph. Oed. Col. 481: *ὕδατος μελίσσης*) causa scribae fuisse potest, quare *τοῦ* in *τε* mutaret. Dignum notatu est ad vs. 16 in margine a manu altera adscriptum esse *του*. Estne varia lectio, quae a vs. 14 aberravit? Post vs. 14 plene distinguendum est, nam sententia, quae sequitur, iungenda est cum [*ζητ*]*ῶ ματεύω*, neque vis particulae *γάρ* hoc loco causativa est, sed affirmativa. Vs. 15 [*ἀκολο*]*υθίᾳ* pulcherrime Wilamowitzius restituit e Bekkeri Anecd. 367, 32: *ἀκολουθία ἡ ἀκολούθησις· Σοφοκλῆς*. Sed licet grammaticus, qui hoc adnotavit, procul dubio ad nostrum locum Indagatorum respexerit, tamen interpretatio, quam dedit, nihili est. *Ἀκολουθία* est agmen canum venaticorum (Xen. Cyn. X, 5). Canibus igitur cum se vestigia boum persecutum esse dicat Apollo (quod profecto mirum non est, nam quivis, puto, hoc ita faceret), nonne iam verisimile ducis eum revera cum turma canum in orchestram intrasse? Tale quid mihi certe indoli fabulae satyricae non repugnare videretur.

Rationibus subductis, totum locum in hunc modum restituerim:

ἅπαντα Φροῦδα καὶ μάτην ἰχνοσκοπῶ
λάθρᾳ ἰόντα τῆλε βουστάθμου κάπης
. . . νως τεχνᾳ . . . . ὡς ἐγὼ οὐκ ἂν ᾠόμην
οὔτ' ἂν θεῶν τιν' οὔτ' ἐφημέρων βροτῶν
δρᾶσαι τόδ' ἔργον οὐδὲ πρὸς τόλμην πεσεῖν.

Digitized by Google

ταῦτ' οὖν ἐπείπερ ἔπαθον, ἐκπλαγεὶς ὄκνῳ
ζητῶ ματεύω, παντελὲς κήρυγμ' ἔχων
θεοῖς βροτοῖς τοῦ μηδέν' ἀγνοεῖν τάδε.
ἀκολουθίᾳ γὰρ ἐμμανὴς κυνηγετῶ.

Vs. 33 sq. ita restituuntur:

[ὡς εἴτε ποι]μὴν εἴτ' ἀγρωτή[ρων τις ἦ]
[μαριλοκαυ]τῶν ἐν λόγῳ παρ[ίσταται].

Papyrus habet: ἀγρωστη − − −. In praesenti tempore παρίσταται offensionis aliquid inest, neque quid sit ἐν λόγῳ παρίστασθαι vel παρεῖναι, ex aliis locis scriptorum notum esse videtur. Conicio legendum esse:

ὡς εἴτε ποιμὴν εἴτ' ἀγρώστης ἤ τις ὤν
μαριλοκαυτῶν ἐν λόγῳ πάρεστ' ἀνήρ.

Cf. Herod. III, 120: σὺ γὰρ ἐν ἀνδρῶν λόγῳ; *Tune in viris adnumerandus es?*

Versibus 77 sqq. Silenum spectatores adloqui censet Robertus. Iocus esset scurrilis et potius comoediae, me iudice, aptus. Alia huius loci vis comica esse videtur. Modo audivimus Apollinem praeconis officio fungentem. Nunc Silenum, qui ilico se boves ei adducturum esse pollicitus est, sed et ipse prorsus ubi lateant illae ignorat, rursus idem facere videmus. Vs. 81, ubi nihil praeter unam vocem μήνυ[τρα] servatum est, indicii partem iis promisisse eum puto, qui sibi in tanta difficultate opem tulissent.

Vs. 93. Papyrus χρηστά, in margine χρῆσθαι e Theonis exemplari adnotatum. Legendum esse videtur χρῆσται. Versibus mutilis 87—93 continentur duae sententiae, quarum altera in fine vs. 91 desinit: ἄγ' εἶα δὴ πᾶς ... (*pro viribus in opus incumbat*) ῥινηλατῶν ... διπλοῦς, ὀκλάζων ... ὕποσμος, ἐν χρῷ (*praedam insectans*), altera hoc modo decurrit: οὕτως ἐρευνᾶν καὶ π − − − ἅπαντα χρῆσται, *ita omnia investigare et percurrere nos oportebit.* Χρῆσται apud Sophoclem legitur Oed. Col. 504 et in fragmento quodam (542 Nauck), quod scholiastes ad hunc locum adfert. Apud Suidam s. v. χρή ter pro χρῆσται scriptum invenitur

Digitized by Google

χρῆσθαι. Ceterum vs. 90 διπλοῦς est *curvatus* (cf. Eur. Hel. 492: διπλῆν ἄκανθαν), ἐν χρῷ autem vs. 91 significat *prope, ex propinquo.*

Vs. 102. Haud scio an praetulerim lectionem, quam diserte abiecit Huntius:

καὶ τοὐπίσημον αὖ τὸ τῶν ὁπλῶν πάλιν.

Editores scribunt: αὐτό. Cf. Soph. Phil. 952: αὖθις αὖ πάλιν.

Vs. 104:

αὖτ' ἐστὶ τοῦτο μέτρον [ἐ]κμε[τρού]μ[ε]νον.

Satyrus examinare videtur mensuram graduum sive Mercurii, cuius vestigia chorus iam vs. 97 deprehenderat, sive unius e bobus.

Vs. 121 sq. Interrogative haec dicta sunt cum irrisione: *echinine instar in dumeto decubuisti? aut simiarum ritu pronus in aliquam furori tuo indulges?* Ἀποθυμαίνειν est *valde θυμαίνειν.* Eadem est vis praepositionis ἀπό in ἀπομαίνεσθαι, ἀπομηνίειν, ἀποστυγεῖν, ἀποσκύζεσθαι, ἀποσκυδμαίνειν, ἀποργίζεσθαι (Men. Sam. 338).

Vs. 128 sq.

ἀ[γχοῦ τις ἦχε]ι κέρχνος. ἰμείρεις μαθεῖν
τ[ίς ἦν];

Supplementum τίς ἦν iam Wilamowitzius improbavit. Vide ne duae sint quaestiones nullo modo inter se cohaerentes:

ἀ[γχοῦ τις ἦχε]ι κέρχνος; ἰμείρεις μαθεῖν
τ[ί δή];

Post vs. 125 chorum repente pedem referre et ad Silenum se recipere vidit Wilamowitzius (Neue Jahrb. 1912, p. 458). Documento sunt verba Sileni vs. 135:

ἐμὸν δίωγμά γ' οὐδαμῶς ὀνήσετε

et perfectum ἐξενίσμεθα (vs. 137), quod ostendit chorum sonum, quo territus est, iam non amplius audire, et maxime id quod dicit Silenus vs. 160: *nisi confestim revertimini* (ἀνανοστήσαντες),

Digitized by Google

male disperibilis. Iam vs. 139—162 satyros iactanter maledictis increpat Silenus. Robertum hunc locum vel tragico cothurno non indignum et Silenum Indagatorum a Sileno Cyclopis Euripidis plane diversum esse aestimare demiror (Herm. 1912, p. 553 sq.). Mea quidem sententia huius personae effigies et hic et illic prorsus eadem est. Summa enim in utraque fabula et timiditate et vaniloquentia excellit. Apud Euripidem proelium eum commemorantem audimus, quod scilicet Libero *προασπιστὴς γεγώς* cum Encelado illo commiserit; deinde quasi tanto mendacio ipse perturbatus subiungit:

8 *φέρ' ἴδω, τοῦτ' ἰδὼν ἔναρ λέγω;*

Idem apud Sophoclem satyros, timidiores et ipsos, obiurgans disserit de triumphis, quos florens aetate non sine gloria militans de ... nymphis reportaverit (vs. 148 sq.), nullis perterritus ... strepitibus, sed summis viribus omnia patrans (vs. 151 sq.). Cf. Hymn. Hom. IV, 262 sq. Nota etiam in fine orationis vocabulum vulgare *ψοφήσετε* (vide Maasii interpretationem), quod a tragico sermone toto caelo distat.

Vs. 163—165 chorus a Sileno petit, ut ipse se comitetur. Callide recusat ille:

ἐγὼ παρὼν αὐτός σε προσβιβῶ λόγῳ κτλ.

Voce et *sibilo* e longinquo choro iter monstrare paratus est, ipse in tuto remanet:

ἀλλ' εἶ', ἑφίστω τριζυγὴς οἴμου βάσιν,
ἐγὼ δ' ἐν ἔργοις παρμένων σ' ἀπευθυνῶ.

Age iam viam insiste, ego vero stationem meam non deserens te in laboribus tuis dirigam (laboribus tuis praeero).

Iam vero, si modo sequentia recte intellego, chorus Silenum solum in loco tuto remanere non sinit. Fugientem senem strenue arreptum vi secum agunt (vs. 174: *ἔχει*, 175: *ἐμὸς εἶ, ἀνάγου*). Vs. 173 non intellego *τρόπ[ῳ]*; intellegerem autem *τρόχῳ* i. e. *δρόμῳ* (cf. Soph. Ant. 1065, Eur. Med. 46, Hipp. 1133). Vs. 175 *ἀνάγου* est *corripe gradum*; *ἀνάγεσθαι* enim proprie est *altum petere*, itaque *pergere, incedere.* Cf. *ἄναγε σεαυτόν* (Men. Sam. 145), *ὀλίγον ἀνάγαγε ἀπὸ τῆς διφροφόρου* (Nicoph. frg. 16 Kock). Itaque vs. 170—175 hoc modo verterim: *ὐὐῦψψαα, dic mihi quid tibi doleat. Cur sine iusta causa stridentes lamentationes tollis et me limis spectare ausus es? Quis in primo cursu deprensus*

Digitized by Google

est? Teneris. Ecce, venit. Meus es, corripe te. Est series quaestionum et exclamationum inter se non arcte cohaerentium, quibus satyri Silenum vim conquerentem frustraque repugnantem lacessunt. Ἐλήλυθεν, ἐλήλυθεν sunt verba illorum satyrorum, qui Silenum corripuerunt, ad alios satyros, ad quos eum iam perducunt. Inde a vs. 176 incipit iter satyrorum cum Sileno capto ad Cyllenium antrum. Invicem se adhortantur nominatim se appellantes nec tamen senem illudere desinunt (vs. 191: ἄ, μιαρέ). Vs. 185: ἔνι βοῦς, ἔνι πονο- - - non dici puto: *hic insunt boves*, sed potius: ἔνεστι βοῦς, ἔνεστι πόνων ἀμοιβὴν λαβεῖν vel tale quid. Maximi vero momenti sunt ea quae leguntur vs. 195:

ἔπιθ', ἔπεχ', εἴσιθ', ἴθι.

Vocabulum εἴσιθι me iudice ostendit chorum iam pervenisse ad aditum antri, e quo mox vs. 215 Cyllene prodibit. Wilamowitzius coniecit pro εἴσιθ' scribendum esse ἔπιθ', propterea quod antrum Maiae subterraneum fuisse putat (l.l. p. 456). Qua de re cum eo consentit Robertus (l.l. p. 538). Ego me aliter sentire fateor, nam e vs. 212 sqq.

ἐξαναγκάσω
πηδήμασιν κραιπνοῖσι καὶ λακτίσμασιν
ὥστ' εἰσακοῦσαι, κεἰ λίαν κωφός τις ᾖ

patet illum, qui haec dicit, pedibus irruere velle in ianuam quandam; *terram* enim si pede ferias, nullus evadat sonus, quo vel surdi excitari possint. Saeculo V⁰, quo tempore orchestrae illi vastae et orbiculatae adhuc nullum aedificium lapideum adiacebat, tamen necessario semper aliqua σκηνή lignea exstruebatur. Quae nisi fuisset, non habuissent actores chorusque locum, unde vestibus et personis induti prodirent, et quo se rursus reciperent, quoties ex orchestra egrediebantur. Frons autem huius σκηνῆς ad spectatores conversa aetate Sophoclis picturis ad singulas fabulas agendas idoneis ornabatur, idque propter temporis angustias nullo alio modo effici potuisse arbitror, nisi linteis pictis superinductis. In his igitur dipinxerint, quoad tunc temporis eius fieri poterat, montes, arbores, aditum secretum antri Cyllenii. Neque haec mera coniectura est, nam Sophoclem frontem σκηνῆς picturis ornandam curasse diserte docet Aristoteles Poet. 4, p. 1449, a, 16: σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς (παρεσκεύασεν). Quod inventum cum apud Vitruvium Aeschylo

Digitized by Google

tribuatur, iam ante annum 456/5, quo ille e vita decessit, consummatum fuisse debet.

Ergo vs. 197 ad antrum perventum est. Iam apparet cum papyro dividendos esse vs. 199 sqq., quos secus dividerunt et immerito immutaverunt viri docti.

(Σι.) σί[γα].
(Χο.) τί ἐστιν;
(Σι.) οὐ μενῶ.
(Χο.) μέν', ε[ἰ] θέλεις.
(Σι.) οὐκ ἔστιν, ἀλλ' αὐτὸς σὺ ταῦθ', ὅπῃ δύνᾳ,
ζήτει τε κἀξίχνευε καὶ πλούτει λαβών
τὰς βοῦς τε καὶ τὸν χρυσόν ...

Haec ultima non choro, sed Sileno tribuenda esse ante me iam viderat Pearsonius. Μέν', εἰ θέλεις est *mane sis*, i. e. *manere te iubeo*. Vs. 200 αὐτός idem fere est quod μόνος (*tu ipse sine me*). Vinctus et coactus adire antrum et sono lyrae perterritus Silenus totum praemium satyris permittit, dummodo abire sibi liceat. Veniam negat dux chori vs. 204 sqq. Deinde vs. 207—210 a choro cantantur, vs. autem 211—214 cum iam a Sileno dici non posse appareat (quomodo enim ex ignavo repente tam petulans factus esset?), τῷ κορυφαίῳ dare non dubito. Unde rursus sequitur, ut vs. 252—255 cum Huntio eidem dandi sint.

Tota versuum divisio, quam supra tentavi, maxime pendet ex interpretatione versuum 166—175, e quibus, ut dixi, efficere posse mihi videor satyros Sileno manum iniecisse. Iam non inutile videtur addere, quid sit quod inprimis faciat ut hoc verum esse credam. Viderunt Wilamowitzius (l.l. p. 459) et Robertus (l.l. p. 539 sq.) Sophoclem eo loco, ubi Cyllene se repente attonitis satyrorum oculis offert, spectaculum praebuisse Atheniensibus, quod iis e fabulis antiquis et e tabulis vasisque pictis notissimum esset. Iam simillima ratione usum poetam hoc de Sileno capiendo excogitasse intellegimus. Vulgatissima enim apud Graecos erat narratio illa de Sileno in hortis Midae capto. Hanc iam invenimus apud Herodotum (VIII, 138), qui in Macedonia hoc evenisse dicit, ita tamen, ut appareat secundum alios alio loco factum esse. In vasis pictis Silenus vinctus plus semel occurrit, sed non semper a Midae satellitibus, verum etiam nonnumquam ab aliis quibusdam capitur (cf. Verg. Ecl. 6).

Digitized by Google

Qua de re cum nuper probabiliter egerit Kuhnertius (Roscher, Lex. myth. s. v. Satyrus, p. 458 sq. et 506), supervacaneum est plura addere. Hac igitur fabula populari a poetis pictoribusque multimodis variata inductus Sophocles in Indagatoribus Silenum a satyris capi fecit.

Vs. 136 *χρόνον τινά* pro *χρόνῳ ποτέ*, *tandem aliquando*, dictum esse videtur.

Vs. 155 initio vide ne, si modo spatium sinit, non *ὅν* supplendum sit, sed *οὗς*.

Vs. 168 scribunt editores:

ἀλλ' εἶ' ἐφίστω τριζύγης οἴμου βάσιν,

age iam insiste trivium, tresque semitas revera in orchestra stratas fuisse sumunt (cf. Wilamowitzius, l.l. p. 456). Duabus de causis vereor ne aliter censendum sit. Primum enim illorum sententiae officit grammatica. Iuxta adiectivum *τρίζυξ* etiam adiectivum *τρίζυγος* in usum venisse non est quod mireris. Nam huius rei et ea exempla praesto sunt, quae in scholiis homericis Ox. Pap. VIII p. 103 extant, et alia bene multa. Sed eiusmodi adiectivorum non solet occurrere terminatio feminina. Cf. Eur. Hel. 357: *τριζύγοις θεαῖς*. Alterum argumentum spectat ad res scaenicas. Cum uno die in theatro tres tragoediae et una fabula satyrica agerentur, vix credere possum exiguo intervallo temporis, per quod orchestra post tragoedias peractas vacua fuerit, tantam molem aggeris et saxorum in eam ingestam esse, ut tres calles eaeque, si dis placet, *acclives*, substrui potuerint. Atqui secundum Robertum propter vs. 215 sq.:

θῆρες, τί τόνδε χλοερὸν ὑλώδη πάγον
ἔνθηρον ὡρμήθητε σὺν πολλῇ βοῇ;

ut fabula recte agi posset, etiam arbores in orchestram inferre necesse erat! Iam quaerendum esse videtur, sitne forsitan nominativo casu legendum *τριζυγής*. Pleraque adiectiva, quae per hanc terminationem a verbis ducta sunt, qualia sunt *τριλαμπής*, *τριπλανής* (Lyc. 846), *τριπλεκής*, *τριφανής*, *τριφυής* nonnisi apud serioris aevi scriptores inveniri solent. Ipsum quoque adiectivum *τριζυγής* tantum uno, quod sciam, loco (Anth. Pal. XI, 77, 4:

Digitized by Google

τριζυγέες χάριτες) occurrit. Adde etiam adiectiva ἀζυγής, ὁμοζυγής, συζυγής recentiora esse. Sunt tamen et alia exempla, quae docent eiusmodi adiectivis etiam in ionico et attico sermone locum esse. Sic e. g. adiectivis διφυής et δικρατής ipse Sophocles (Trach. 1095, Ant. 146, Ai. 251) usus est. Quin etiam apud Homerum (Od. XII, 22) Guilielmus Schulze (Quaest. Ep. p. 19) unius e grammaticis antiquis vestigia secutus δισθανέες e διθανέες ortum esse vidit. Ergo non esset cur adiectivum quale τριζυγής tamquam anomalon a Sophocle abiudicaremus. Si tamen ad sensum respicimus, difficultatem quandam remanere negari non potest. Συζυγής est *trifariam iunctus*, cum sententia nostri loci requireret ut esset *trifariam dispertitus*. Patet vero etiam alia ratiocinandi via. Notum est e Pollucis lexico (IV, 108) chorum aut κατὰ στοίχους aut κατὰ ζυγά dispositum in orchestram intrasse. Vocabula sunt militaria perantiqua. Inde derivata sunt στοιχεῖν, σύστοιχος, συστοιχεῖν, ζυγεῖν, συζυγεῖν. Fierine potest ut poeta dederit:

ἀλλ' εἶ', ἐφίστω τριζυγεὶ 'ς οἴμου βάσιν,

agedum tribus ordinibus dispositus insiste viam? Cf. τριστοιχεί, Il. X, 473, Hes. Op. 727; Suid. Hes. τριστοιχεί· κατὰ (vel ἐπὶ) τρεῖς τάξεις.

Vs. 197 supplent: μῶν ἀληθ[ὲς εἴπομεν]; Mihi satis placeret legere: μῶν ἀληθ[ὲς οὐ τόδε]; vel μῶν ἀληθ[ὲς οὐκ ἄρ' ἦν];

Vs. 208: φθέγμ' ἀφύ[σ]εις. Haec non intellego. Intellegerem: [οὐ] – – – φθέγμ' ἀπύσεις; (cf. Aesch. Pers. 123: ἔπος . . . ἀπύων) vel ἀφήσεις; (cf. Eur. Phoen. 1440: φωνὴν ἀφῆκεν), *vocem emittere te iubeo.*

Vs. 214 aut ᾗ legendum est, aut si cum papyro scribamus: εἶ, praecedenti versu corrigendum sit κραιπνοῖς σε pro κραιπνοῖσι.

Post vs. 219 unum versum excidisse primus vidit Robertus sequentia de Sileno dici ratus. Ego contra de satyris ibi sermonem esse arbitror. Nam εὐιάζειν (sive εὐιάζεσθαι) ἀμφὶ τὸν θεόν non de uno Sileno, sed de tota turba satyrorum dici vi-

Digitized by Google

detur. Lacunam pro viribus expleo, cetera, ut tradita sunt, exscribo:

δεσπότῃ χάριν Φέρων,
ὑμῖν ὃς αἰεὶ νεβρίνῃ καθημμένος
220 δορᾷ χεροῖν τε θύρσον εὐπαλῆ Φέρων
[στρατηλάτει, κισσοστεφεῖς δ' ὑμεῖς ἀεί]
ὄπισθεν εὐιάζετ' ἀμΦὶ τὸν θεόν
σὺν ἐγγόνοις νύμΦαισι καὶ ποδῶν ὄχλῳ.

In his vs. 222 pro ποδῶν, quod sine ullo dubio corruptum est, Wilamowitzius coniecit παιδῶν, sive de *pueris* sive de *servis* cogitavit. Scio Furtwaenglerum disputasse de Sileno puerorum amantissimo (Archiv f. Rel. Wiss. 1907, p. 331 sq.). Verumtamen mihi id quod iam diu in mentem venerat hodieque placet: καὶ ὀπαδῶν sive κὠπαδῶν ὄχλῳ. Ceterum verisimile duco ἐγγόνοις hoc loco non esse ἐκγόνοις, sed ἐνγόνοις i. e. ἐγγενέσι sive ἐπιχωρίαις. Cuius rei licet alia exempla afferre nequeam, tamen cum σύγγονος prorsus eodem sensu usurpetur quo συγγενής, etiam ἔγγονος pro ἐγγενής dici potuisse putaverim.

(*Continuabuntur*).

AD INSCRIPTIONEM ARGIVAM.

Ultima verba inscriptionis argivae, quam nuper publici iuris feci (BCH, 1913, p. 279 sqq.), ita interpungenda sunt: τᾷ Ἥρᾳ ἐν Ἡραίῳ θῦεν βοῦν θήλειαν ἀμΦοτέρονς κοινᾷ, θῦεν δὲ πρὸ Ϝακινθίων, *Iunoni in Heraeo pridie Hyacinthiorum vaccam sacrificanto utrique communiter*. Primus hoc me per litteras docuit Ursulus Boissevain. Iam nihil obstare apparet, quominus de Heraeo argivo sermonem fieri credamus. Sacrificii sollemnis, ut par est, indicatur et tempus et locus.

G. V.

Digitized by Google

AD A. GELLIUM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

III. 3, 5 fragmentum fabulae Plautinae 'Boeotia' traditur:

ut illúm di perdant, primus qui horas répperit
quique ádeo primus státuit hic solárium,
qui mihi comminuit misero articulatim diem.
nam † me puero vénter erat solárium
multo ómnium istorum óptimum et verissimum:
ubivis monebat ésse, nisi quom nil erat.

Ad hunc locum mutilatum sanandum coniecturae multae iam prolatae sunt, quibus Brakmannus noster nuper suam adiecit; in libello enim 'Miscella altera' inscripto proposuit:

nam *me*⟨*met*⟩ puero venter erat solarium.

Equidem maluerim:

non á me puero vénter erat solárium
multo omnium istorum óptimum et verissimum?

Sic èt palaeographice corruptelae origo facile explicatur (*ñ a me* scilicet in *nam me* abiit) èt versuum sermonisque color, a Gellio iam Plautinissimus praedicatus, etiam Plautinior evadere mihi quidem videtur.

VI (VII). 12, 1 Tunicis uti virum prolixis ultra brachia et usque in primores manus ac prope in digitos Romae atque in omni Latio indecorum fuit. Eas tunicas Graeco vocabulo nostri 'chiridotas' appellaverunt feminisque solis vestem longe lateque

Digitized by Google

diffusam indecere existimaverunt ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda.

Quod idem vir pro *indecere* edendum censuit placere mihi non potest, immo vereor ne latinum non sit: feminisque solis vestem longe lateque diffusam *indui decere* existimaverunt. Verbum *indui* quidem optimum est, sed credo fore ut melius loco consuluisset si non *decere* — sed *licere* ei addidisset.

XV. 8, 2 Verba haec, quae adposuimus, Favoni sunt: Praefecti popinae atque luxuriae negant cenam lautam esse, nisi cum lubentissime edis, tum auferatur et alia esca melior atque amplior succenturietur. Is nunc flos cenae habetur inter istos, quibus sumptus et fastidium pro facetiis procedit, qui negant ullam avem praeter ficedulam totam comesse oportere; ceterarum avium atque altilium, nisi tantum adponatur, ut a cluniculis [inferiore parte] saturi fiant, convivium putant inopia sordere, superiorem partem [avium atque altilium] qui edint, eos palatum parum delicatum habere.

Manifesta interpretamenta a me uncis inclusa quantocius tollantur, quorum hoc frigidissimum — illud etiam ridiculum est.

XIX. 10, 6 'non meum', inquit, 'hoc verbum est, sed multorum hominum, quos loquentis id audias; quid autem id verbum significet, non ex me, sed ex grammatico quaerendum est', ac simul digito demonstrat grammaticum, haut incelebri nomine Romae docentem. Tum grammaticus usitati pervulgatique verbi obscuritate motus: 'quaerimus', inquit, 'quod honore quaestionis minime dignum est. Nam nescio quid hoc praenimis plebeium est et in opificum sermonibus quam † notius.

Alii alia inserenda putarunt: Brakmannus librarium per haplographiam *usquam* omisisse suspicatur, ego vero potius voc. *nostris* per eundem errorem ante *notius* praetermissum esse crediderim.

Digitized by Google

DE LEONE DELPHICO CROESI DONO.

SCRIPSIT

I. H. LEOPOLD.

Nota est ratio, qua mente restitui et in tabula delineari solet nobile illud donum a rege Croeso ad Apollinem placandum Delphis dedicatum, ab Herodoto l. I. 50 descriptum. Nempe ex numero illo ἡμιπλινθίων 117, e quibus monumenti basis exstructa fuisse traditur, secernuntur 4 lateres e puro auro conflati, in quibus ipsis aureum illum leonem stetisse manifestum est; reliqui autem sic dividuntur: $113 = 9 \times 7 + 7 \times 5 + 5 \times 3$. Quibus numeris freti viri docti statuunt lateres sic fuisse dispositos, ut basis monumenti per tres ordines gradatim exsurgeret, quorum infimus 63, medius 35, summus 15 lateres contineret. „In dieser durch ihre Zahlensymmetrie überraschenden Weise" restituitur monumentum, „dessen schlichter Grundgedanke der alten Tempelanlage entlehnt ist". Ita Stein, qui praeterea effigiem adiecit, qua lectoribus ante oculos poneret constructionem, quam commendat.

Sunt tamen, quae scrupulum iniciant. Etenim si ad imaginem illam diiudicandam etiam metra et mensuras singulorum laterum adhibemus, qui in longitudinem ἑξαπάλαστοι (0,472 M.), in latitudinem τριπάλαστοι (0,236 M.), in altitudinem παλαστιαῖοι (0,078 M.) fuisse traduntur, si, aio, ex his mensuris totius operis proportiones computamus, exsistit monumentum, cuius infima pars $7 \times 0{,}472 = 3{,}304$ M. longa et $9 \times 0{,}236 = 2{,}124$ M. lata est

Digitized by Google

itaque plus quam 7 M^2 occupat; tota autem basis sese extollit in mirificam altitudinem palmarum quattuor i. e. $4 \times 0{,}078 = 0{,}312$ M.!

Ridiculam hanc esse symmetriam, siquidem symmetria vocari potest, quivis statim videt neque ferendum esse interpretem graviter disserentem de illo „schlichten Grundgedanken", de simplici et sincero consilio, quod huic dispositioni subsit, cum haec sit, credo, cuiusvis fundamenti vel basis munus et virtus, ut operis impositi formam commode aspiciendam praebeat, pulchritudinem vel pretium elucere faciat, vim et maiestatem augeat. Contra rex, si leonem suum, Sardium et regni ipsius notum emblema, pueris illudendum et inequitandum vel supersiliendum tradere, immo si eorum improbitatem et nequitiam ultro illicere voluisset, mehercle vix aptiorem dispositionem et constructionem invenire potuisset.

Accedit etiam alia res. Imagine Steinii recte perspecta patet in primo ordine laterculos 35, in altero 15, in tertio 1 a superimpositis plane tegi, itaque ex toto numero 113 laterum paene dimidium sc. 51 omnino non apparere. Tali autem modo nemo procedit, qui tam pretiosa utitur materia; cupit enim et iure cupit, ut in opere exstruendo opes suae facultatesque et omnes si fieri possit et quam luculentissime appareant; denique id agit, ut sumptuum et munificentiae suae quam maximam admirationem spectatoribus iniciat.

Haec communi virorum doctorum opinioni iure, credo, opponi possunt. Quae omnia in classe exposueram, cum unus e discipulis me adit et, ut est acumine haud vulgari, me admonet numerum illum praecipuum, quo totius operis legem contineri apparet [1]), etiam hoc modo dividi posse, sc. $113 = 3^2 + 26 \times 2^2$; rogat an ex his numeris alia monumenti forma construi possit. Itaque ad calculos et regulam redimus et ecce monumentum ratiocinantibus exsurgit, quod et per se placet et criminibus supra allatis obnoxium non est. Ponuntur pro fundamento novem laterculi; ex his surgunt ordines 26, quorum singuli quaternos lateres continent; sequuntur tamquam ordo vicesimus septimus

1) Quod non perspexit Diod. Sic. XVI. 56, qui numerum rotundans 120 lateres dedit.

Digitized by Google

quattuor illi ex auro puro conflati; his demum imponitur leonis aurea imago. In tali autem dispositione mensuras has consequimur: basis ipsa in longitudinem $3 \times 0{,}472 = 1{,}416$ M., in latitudinem $3 \times 0{,}236 = 0{,}708$ M. patet; ex hac exsurgit columna, quae in longitudinem $2 \times 0{,}472 = 0{,}944$ M., in latitudinem $2 \times 0{,}236 = 0{,}472$ M. patet, in altitudinem autem $27 \times 0{,}078 = 2{,}106$ M. sese attollit.



Habent, puto, hi numeri, quo sponte se commendent; designant enim monumentum, quod et forma et proportione legitima placet neque caret simplici quadam maiestate; iam si tibi finxeris talem columnam in tantam altitudinem se extollentem, totam ex auro et electro [1]), pretiosissimis metallis exstructam, fateberis regum Lydorum unice aptam dispositionem elegisse, ut famosas suas divitias stupentibus Graecis ostentaret et liberalitatis largitionisque suae vividam imaginem sub oculis poneret.

In eligenda autem hac forma monumenti sui regem non suopte ingenio usum esse, sed ad constantem usum et normam Graecorum in votis exstruendis et disponendis sese accommodavisse, quaevis tabula, qua Delphi antiqui illustrantur, docere potest.

1) Lepida est coniectura Gardneri, qui collata obelorum a Phidone in Heraeo dedicatorum historia suspicatus est Croesum, postquam primus nummos ex auro puro et argento cudendos curavisset, copias praesentes staterum electrinorum adhibuisse ad lateres Apollini destinatos conflandos. (Percy Gardner. The gold coinage of Asia before Alexander the Great. p. 10.)

Digitized by Google

FLAVII IOSEPHI LOCUS QUI EST DE IESU CHRISTO.

SCRIPSIT

AL. SLIJPEN.

Reviviscit antiqua de hac re controversia, idque inter viros vere doctissimos. Paucis ante mensibus vir clarissimus Adolfus Harnack, viri Anglici F. C. Burckitt [1]) vestigia secutus, locum defendit [2]). Acerrime tamen iam nunc impugnatus est commentatione v. cl. Ed. Norden [3]) nec puto proelium hoc mox fore finitum. Iuvat igitur paucissima quaedam in medium proferre.

Libentissime quidem concedo argumenta cum d. v. Schürer [4]) tum nova haec d. v. Norden nequaquam esse spernenda. Licet autem sagacissime sint excogitata et elegantissime prolata, nemini tamen plane persuadebunt argumenta ista „interna", dummodo „externa" quae contra sint neglegere nolit.

Ante omnia monere voluerim me vim totius loci minime unquam tanti fecisse quanti facere eam solent interpretes hodierni, praesertim vero ii qui locum interpolatum esse censent. Nihil enim prorsus, me iudice, confert ad demonstrandam divinam originem Christianae religionis; argumentum firmum solummodo praebet quod possit adduci contra eos qui Iesum

1) Theol. Tijdschr. XLVII p. 135 sqq.

2) Internationale Monatschrift. M. Iunii 1913. „Der Jüdische Geschichtschreiber Josephus und Jesus Christus".

3) Neue Jahrbücher fas. 9. 1913. „Josephus und Tacitus über Jesus Christus und eine Messianische Prophetie".

4) Geschichte d. J. Volkes I⁴ p. 544 sqq.

Digitized by Google

Christum vere unquam exstitisse negare non dubitant. Nam, ut haec statim addam: interpolator iste Christianus quem vocant, ceterum quidem sagacissimus fuerit oportet, ut per tot saecula omnibus Iosephi lectoribus, immo hodie viris artis criticae haud ignaris fucum facere potuerit, ineptissime tamen egit si Christianae religionis gloriam interpolando ista quaesivit. Ne consentit quidem cum rebus in Evangeliis narratis [1]). Dicit enim: πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο, de quo facto nil in Ev. reperitur. Adversarios vero statim dicturos puto: „noli grave hoc putare argumentum: de industria id fecit homo acutus ille". Ubi autem interpolator: ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν: „en, aiunt, patet utique Christianum eum esse. Quis enim unquam talia dixit, qui Christianus non esset?" Vir ille acutissimus, prudentiae suae iamiam prorsus immemor, inepte seipsum prodidit — Dein, ubi loci defensores obiciunt interpolatorem illum pro ingenio suo multa prudenter addere potuisse quae omisit, quae tamen proposito eius multo magis consentanea esse viderentur, fit denuo homo sagacissimus, atque falsarius perversissimus. Videtur igitur miserrimus ille vir dotibus ingenii fuisse praeditus mire inter se contrariis.

Iam exponam quare persuadere mihi non possim verba de quibus quaeritur, non a Iosepho esse scripta, sed postea a viro vel Christiano vel nescio quo adiuncta. Christianus enim fuerit annon parum mihi videtur referre. Nobis quidem tot post saeculis viventibus placet fortasse scriptorem Iudaeum quaedam habere de Iesu Christo. Sed, si reapse de Iesu nil retulisset Iosephus, non apparet quae fuerit alicui librario Christiano illorum antiquorum temporum ratio textum ita immutandi [2]). Parum enim curaverit ille, si de Iesu siluisset aliquis Iudaeus, quem insuper scirent omnes esse eclecticum et scepticum. Argumento sit: scriptores apologeticos complures, etiam tum, cum locus hic notus iamdiu esset, nunquam eum laudasse.

---

1) Loci a v. cl. Norden laudati pag. 648, si praeiudiciis non sis captus nullius esse momenti tibi videbuntur. Sic Matth. 16. 20: Τότε διεστείλατο τοῖς μαθηταῖς ἵνα μηδενὶ ε�ίπωσιν ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστός. Quid, quaeso, inde concluditur ad illustranda Iosephi verba: ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν.? Rel. cf. ib.

2) *Si* enim est interpolatio, vetustissima sit oportet, ut adversarii concedunt.

Digitized by Google

Ratio sine dubio est, quod scriptorum illorum iudicio verba Iosephi vim, quam nunc multi illis ingerunt, minime haberent, et quia validius contra Iudaeos certare possent ipsorum libris sacris, quam verbis istius hominis quem, Romanorum favoris avidum, belli quoque contra Iudaeos gesti approbatorem parvi faciebant zelantes Iudaei.

Haec a priori, ut nos loquimur, ad defendendum locum attuli. Quae vero sint rationes firmiores et firmissimae, iam exponam:

1°. Codices omnes Graeci, versiones omnes Latinae verbo illa continent — in sola Hebraïca quadam versione locus non legitur. — At, inquit Schürer, hoc parum refert. Ambrosianus enim qui vetustissimus est codex nonnisi saec. XI scriptus est [1]). Quam inepte hoc argumento utatur vir clarissimus inde elucet quod ipso auctore versiones Latinae multo vetustiores sunt et quod saeculo quarto ineunte Eusebius bis locum nostrum iam laudavit [2]). Omitto testimonia aliorum scriptorum.

2°. Accedit vero quod vix fieri potuit, ut in omnes codices locus hic insereretur. Nam *a.* post Eusebium hoc factum non est. *b.* Factum est igitur, ut aiunt, saeculo tertio. Tunc autem per universum regnum Romanum libri Iosephi legebantur. Romae in bibliotheca publica servabantur et ab ignoto (*τῶν*) *Φιλοσοφούμενα* scriptore adhibiti sunt saeculo tertio. Non multo post Porphyrius, Christianis infensissimus, omnia Iosephi opera se nosse testatur. Unde concluditur cum Christianos tum ethnicos prae manu habuisse scriptorem Iudaeum. Mirum igitur admodum, interpolatorem in omnes codices inserere potuisse locum istum, ethnicis nullo modo adversantibus.

3°. Accedit vero quod — ut Ben. Niese v. d. exponit in sua praefatione — codices nobis noti in duas classes dividuntur.

Atqui Eusebius peioris quae dicitur classis lectionem est secutus.

Ergo iam ante Eusebium divisio illa facta sit necesse est.

---

1) l.l. pag. 546. „Unsere Handschriften haben sie allerdings einstimmig. Aber dies will wenig besagen .... nur in drei Handschriften erhalten, deren älteste erst aus dem elften Jahrhundert herrührt".

2) Hist. Eccl. l. I cap. 11. Dem. Evang. l. III cap. 5. Dicit se ex codice Hierosolymitano descripsisse. Huius autem fides magna est. Neque ausus fuisset fingere hoc Eusebius, quia facillime fraudis argui poterat.

Digitized by Google

Atqui locus hic in utraque classe legitur.

Ergo iam ante divisionem ibi legebatur.

Atqui codicum familiae adeo diversae non decem vel viginti annis constituuntur; atque ideo v. d. Niese concludit tempore Antoninorum, in medio saeculo secundo fontem communem nobis esse quaerendum.

Ergo adversariis iam est relinquendum argumentum illud negativum quod petitur ex silentio Origenis [1]).

Addere nonnulla lubet de ipsis verbis quae plurimum impugnantur:

ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν ..... εἰς ἔτι τε νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.

Arcte haec inter se cohaerent. Et ex ultimis his verbis tandem aliquando intellegitur quo sensu sumpserit Iosephus nomen Christi. Id maxime semper miratus sum quod tot viri docti *nomine* illo quasi fidei professionem contineri putarent. Nomine illo utitur Iosephus, quo auctor religionis seu superstitionis illius novae inter Romanos vere iamdiu erat notus. Ideoque potuit scribere nomen illud et certo certius scripsit ita, ut tamen haudquaquam confessus sit vel crediderit Iesum esse verum *Messiam*. Nomen *Χριστός* nihil aliud hic significat, ut mihi videtur, nisi quod hodie cuivis viro non-Christiano.

Quare non vertimus, ut fieri solet: ‚Hij was de Messias' sed: ‚Hij was die Christus'; ‚dat was nu die bekende Christus'. Iamvero si ita verba intelleguntur corruunt illae difficultates.

Quod confirmare possum monendo Romanis imprimis scriptos esse libros Iosephi. Romane igitur res suas proponit. Nemo enim nescit eum tam parum Iudaeum fuisse, ut affirmare non dubitaverit Vespasianum esse Messiam a prophetis praedictum.

Sic demum melius explicantur verba quae sequuntur: *τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων*. Voces *ἀπὸ τοῦδε* excludere mihi videntur significationem illam postea et hodie suppositam: ‚*de* Messias'.

---

1) Neque parvi haberi hoc argumentum ex verbis v. d. Ed. Norden l.l. 649 satis constat: „Dasz übrigens Origines die Jesusperikope im Pilatusberichte noch nicht las, hätte eigentlich genügen müssen, um die gesamte Erorterung der Echtheitsfrage von vornherein abzuschneiden. Freilich handelt es sich nur um ein testimonium ex silentio, aber es ist so schlagend wie möglich". Cf. etiam Schürer l.l. pag. 546 et 2).

Digitized by Google

Tandem quod attinet ad verba: *εἶγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή* et ea quae sequuntur, non video cur historicus eclecticus non potuerit significare qualis esset multorum hominum iudicio Iesus Christus: non merus *ἀνήρ*. Dein neque hic obliviscendum est quod Iosephi fuerit consilium et quae agendi ratio. Si Christianis Antiquitates suas conscripsisset, hi sane verba illa intellexissent eo sensu quem hodie ingerere eis solemus. Romani vero illius aetatis, qui principes suos consecrari et in deorum numerum extolli quotidie videbant, nequaquam eadem tanti pendebant. Tacitus loco illo notissimo narravit Vespasianum miracula perpetrasse, caecum sanasse. Quid quod Plinius [1]) ne resurrectionem quidem mortuorum a mente Romanorum alienam esse demonstrat.

Quid mirum, quaeso, quod libenter et non sine singulari quodam gaudio Iosephus enarrat Romanis, in sua quoque gente, adeo ab iis spreta ac contempta viros sapientes exstitisse, miracula perpetrantes, quales si Romani fuissent, haud secus ac *ὁ κεντυρίων ὁ παρεστηκὼς ἐξ ἐναντίας αὐτοῦ* [2]) consecrare non dubitassent.

---

1) Nat. Hist. VII. 53 „Post sepulturam quoque visorum exempla sunt".

2) Marc. 15. 39: *„ἀληθῶς οὗτος ὁ ἄνθρωπος υἱὸς θεοῦ ἦν"*. Matth. 27. 54: *ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος*.

AD IUVENALEM I, 160.

Accusator erit qui verbum dixerit: hic est.

Vulgo haec sic accipiuntur: „accusator (illi) erit e. q. s.". Sed ut mittam omissum illud „illi", mire *accusator ei erit* dicitur pro *accusabitur* et ipsum hoc *accusabitur* misere languet. Quidni sic potius interpretemur: „qui verbum dixerit: hic est, *accusator erit*" i. e. „pro accusatore habebitur, poenasque dabit quod homini praepotenti maledixerit"?

J. J. H.

Digitized by Google

ΧΡΗΜΑ – ΧΡΗΜΑΤΑ

APUD

HERODOTUM.

Pollux ἐν τῷ Ὀνομαστικῷ lib. IX, 87 haec scribit: „Κωλύει δ' ἂν οὐδὲν προσθεῖναι τῷ περὶ νομισμάτων λόγῳ καὶ διότι χρήματα μὲν εἴποιεν ἂν οἱ Ἀθηναῖοι, τὸ δὲ χρῆμα παρὰ μὲν αὐτοῖς ἐπὶ τοῦ πράγματος ἢ κτήματος, παρὰ δὲ τοῖς Ἴωσι καὶ ἐπὶ τῶν χρημάτων".

Verane quae Pollux docet? Equidem valde metuens ut Lexicographus vera diceret Herodotum paulo curiosius legere statui, ut confirmarem id quod vellem, Lexicographum falsam doctrinam nobis praebere.

Omnibus Herodoteis locis collectis mihi persuasi apud historicum vocabulum χρῆμα eamdem habere vim, quam πρᾶγμα (Ion. πρῆγμα). Exempla addam haec: III. 80 „κῶς δ' ἂν εἴη χρῆμα κατηρτισμένον μουναρχίη, τῇ ἔξεστι ἀνυπευθύνῳ πρήσσειν τὰ βούλεται;" et 121 „λέγουσι πέμψαι Ὀρσίτεα ἐς Σάμον κήρυκα ὀτευδὴ χρήματος δεησόμενον". V. 23 „ὦ βασιλεῦ, κοῖόν τι χρῆμα ἐν βραχέϊ ἐπεζήτησα" et 78 „δηλοῖ δὲ — παντα χῇ ἡ ἰσηγορίη ὡς ἐστὶ χρῆμα σπουδαῖον" et 96 „Ἱππίης δὲ — πᾶν χρῆμα ἐκίνεε". VII. 49 „πᾶν ἐπιλεγόμενος πείσεσθαι χρῆμα" et 50 „ἢ πᾶν χρῆμα προδειμαίνοντα μηδαμὰ μηδὲν παθεῖν". VIII. 16 „δεινὸν γὰρ χρῆμα ἐποιεῦντο" et 138 „σημαίνει τις τῶν παρέδρων οἷόν τι χρῆμα ποιήσειε ὁ παῖς". Dicit etiam historicus „ἐκλέπουσι πολλόν τι χρῆμα τῶν τέκνων" (III. 109) et „χρῆμα πολλόν τι χρυσοῦ συνελέχθη" (130) et „κομισθῆναί τε

Digitized by Google

δὴ χρῆμα πολλὸν ἀρδίων" (IV. 81) et „συνελέχθη μὲν χρῆμα πολλὸν νεῶν, συνελέχθη δὲ καὶ πεζὸς στρατὸς πολλός" (VI. 43) et „ὑὸς χρῆμα γίνεται μέγα" et „ὑὸς χρῆμα μέγιστον ἀνεφάνη" (I. 36) et „ἦν τε τοῦ χειμῶνος χρῆμα ἀφόρητον" (VII. 188). Similia huius modi exempla Blaydesius diligenter ut solet in editione Aristophanis Nubium p. 207 commemoravit.

Transeamus iam ad illos Herodoteos locos examinandos, ubi omnes interpretes, quod sciam, vocabulum χρῆμα pro argento accipiunt.

In lib. III. 28 occurrit „Δαρεῖος ἐπὶ τῆς ἑωυτοῦ ἀρχῆς καλέσας Ἑλλήνων τοὺς παρεόντας εἴρετο ἐπὶ κόσῳ ἂν χρήματι βουλοίατο τοὺς πατέρας ἀποθνήσκοντας κατασιτέεσθαι· οἱ δὲ ἐπ' οὐδενὶ ἔφασαν ἔρδειν ἂν τοῦτο. Δαρεῖος δὲ μετὰ ταῦτα καλέσας Ἰνδῶν τοὺς καλεομένους Καλατίας, οἳ τοὺς γονέας κατεσθίουσι, εἴρετο παρεόντων τῶν Ἑλλήνων καὶ δι' ἑρμηνέος μανθανόντων τὰ λεγόμενα ἐπὶ τίνι (Dind. τέῳ) χρήματι δεξαίατ' ἂν τελευτέοντας τοὺς πατέρας κατακαίειν πυρί· οἱ δὲ ἀμβώσαντες μέγα εὐφημέειν μιν ἐκέλευον" et 139 „ὁ δὲ Συλοσῶν ὁρέων τὸν Δαρεῖον μεγάλως ἐπιθυμέοντα τῆς χλανίδος λέγει· ἐγὼ ταύτην πωλέω μὲν οὐδενὸς χρήματος, δίδωμι δὲ ἄλλως, εἴπερ οὕτω δεῖ γενέσθαι πάντως".

Verba ἐπὶ τίνι (τεῳ) χρήματι optime vertuntur ἐπὶ τίνι πράγματι et nullo pacto accipi pro πόσου ἀργυρίου possunt. Namque, ut natura veteris sermonis postulat, verba ἀντὶ τίνος χρήματος numquam quantitatis sensu accipere possumus, nisi quis opponere argentum suum argento alterius velit. Noli falli quotidiano nostro sermone, quo τίς etiam pro πόσος ponitur. Dabo exemplum. Τί κωστίζει?, quod latine est *quanti constat*?

In altero Herodoti loco ἐπὶ κόσῳ χρήματι aut κόσῳ in κοίῳ mutandum, aut expungendum verbum χρήματι scribendumque, „ἐπὶ κόσῳ ἂν βουλοίατο τοὺς πατέρας ἀποθνήσκοντας κατασιτέεσθαι· οἱ δὲ ἐπ' οὐδενὶ ἔφασαν· etc.". Cf. Xenoph. Instit. Cyr. III. 1. 43 „καὶ ἐπὶ πόσῳ ἄν, ἔφη, ἐθέλοις τὴν γυναῖκά σου ἀκοῦσαι ὅτι σκευοφορεῖς;" et Plat. Apolog. p. 41. B' „ἢ αὖ Ὀρφεῖ συγγενέσθαι καὶ Μουσαίῳ καὶ Ἡσιόδῳ καὶ Ὁμήρῳ ἐπὶ πόσῳ ἄν τις δέξαιτ' ἂν ὑμῶν" (Vid. Baerius in *Herod.* Vol. II. p. 79²). Etiam verba „ἐγὼ ταύτην πωλέω μὲν οὐδενὸς χρήματος" verterim „ἐγὼ ταύτην μὲν πωλῶ ἀντ' οὐδενὸς πράγμα-

Digitized by Google

τος" vel ut vulgari sermone utar „ἐγὼ δέν την πουλῶ ὅ,τι καὶ ἂν μοῦ δώσῃ κανείς".

Neque vero ignorandum est Herodotum saepissime usurpare pluralem χρήματα tum πραγμάτων — κτημάτων sensu tum ἀργυρίου.

Neque hoc memoratu indignum puto quod Antatticista dicit „Χρῆμα: ἀργύριον· ἀρίθμησον τὸ χρῆμα, Ἡρόδοτος". Ubi autem apud Herodotum est quod dicit elegantissimus grammaticus? Hic Antatticistae mos est, memorare quas nusquam exstant. (Vid. Contus ἐν τῷ Λογίῳ Ἑρμῇ p. 12).

De sequiorum usu, quo χρῆμα significat idem quod χρήματα, alibi agemus. Nunc vid. Herwerdenum in *Lex. Graec. Suppl. et Dialect.* p. 906[1].

Ex iis quae disputavi satis apparet non intellexisse nostrum Grammaticum τὰ Ἡροδότεια χωρία, quae ante oculos eum habuisse, cum scriberet, existimo.

Ch. Ch. Charitonides.

AD HOR. EPL. I, 1, 64.

Pretiosissimam mihi gemmam paucis ante obitum diebus servandam Naberus commisit, quam nunc publici iuris facio.

Ad notum istud *et maribus Curiis et decantata Camillis* annotant editores: „*maribus, pueris*". Si quodvis vocabulum Latinum quidvis potest significare, abstinendum censeo istis scriptoribus sanum legentium turbantibus iudicium. Praesidii enim nihil in C. I, 21, 10 ubi *puellis* opponuntur *mares*. Sensit hoc Naberus reposuitque:

Muribus et Curiis et decantata Camillis.

Hoc vere Horatianum, alterum membrum e duobus nominibus verbisve componere et alterum huic addere simplex: „Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque" et „quod malus aut fur, quod moechus foret" aliaque exempla innumera.

J. J. H.

Digitized by Google

DE LOCIS NONNULLIS STATIANIS.

SCRIPSIT

M. R. J. BRINKGREVE.

P. Papinii Statii Achilleidem [1]) editurus cum Thebaidem in praestantissima illa Klotziana recensione perlegerem, etsi viri clarissimi sagacitatem, doctrinam, diligentiam, sanum de sermone Statiano iudicium valde admirabar, nonnullos tamen locos inveni, ubi neque ea quae Klotzius dedit satisfacere mihi possent neque probabilem ab aliis propositam viderem coniecturam, quos locos addita mea qualicumque emendatione iam enumerare conabor.

Initium faciam a locis duobus ubi constructio paullo intricatior plenam lucem accipiet nonnullis verbis in parenthesi collocatis, qua figura Statium frequentissime usum esse cuivis patebit qui inspexerit Th. III 24 sq., 80, 100, 136 sq., 237 sq., 305 sq., 345 sq., 374, 453, 471, IV 65 sq., 141, 184, 443 sqq . 470 sqq., 607, 746, 750, 753 sq., 758 sq., 787, 848, V 81 sq., 105, 109, 153 sq., 241 sq., 281 sq., 493 sq., 674, 683, 685. Ex quolibet alio poetae libro plures locos conquirere quivis potest, sed exempla allata sufficere credo. Hisce igitur praemonitis iam de III 463 sq. pauca dicam, ubi legitur:

sed mortem obscuram numerosaque funera passi
— heu quantus furto cruor! — et sine laude iacetis!

Ide mater de morte filiorum queritur indignaturque eos quos tantam gloriam quondam adepturos speraverat, nunc omni ho-

1) Apud W. L. et J. Brusse, editores Rotterodamenses, a. 1913 emissa est.

Digitized by Google

nore carentes inter tot alios, rem minime decoram perficientes, insidiis nempe legato structis, finem ingloriosum invenisse. Verba *heu quantus furto cruor* appositionis vice fungi et de filiis dicta esse vulgo creduntur, neque ego Statianum esse negem *quantus cruor* dicere de morte nobilissimorum iuvenum. At contextum perpendamus. Iacent sine laude, cum mortem obscuram numerosaque funera passi sint, i. e. cum inter tot alios (*numerosa funera*) obscurum in modum interfecti sint. Praeterea sermo fit de sanguine furtim effuso. Haec vero nullo modo de iuvenibus istis solis dici possunt, quia neque clam ceteris obierunt neque per fraudem a Tydeo interempti sunt, quae autem, ne si accidissent quidem, matri nota esse poterant. Mitto nunc difficultatem, quae, quamquam Statius talibus in rebus minime lenitati studuit, tamen gravior est, appositionis singulari numero enuntiatae inter subiectum plurale verbumque plurale interpositae, sed rogare velim, nonne verba illa *heu quantus furto cruor* multo melius verbis *numerosaque funera* conveniant? Memorata tot aliorum virorum fortium morte mater maestissima paullulum a luctu suo detrahitur lamentaturque cum indignatione tantum sanguinis perfusum esse, neque id in iusto saltem bello, sed praedonum in modum cum sacrosanctus hostis peteretur.

Simili eget correctione IV 558. Totum locum, Klotzium secutus exscribo:

terrigenae comites illos gens Martia cingunt,
quis aevi mensura dies, manus omnis in armis
omnis et in capulo; prohibent obstantque ruuntque
spirantum rabie, nec tristi incumbere fossae
cura, sed alternum sitis exhaurire cruorem.

Quo modo vir sagacissimus sibi genitivum illum *spirantum* explicarit mihi non liquet. Ne graeco quidem sermone statim post verba tria finita subiectum genitivo casu enuntiari potest, nedum latino. An genitivus absolutus in latina quoque lingua obvius? Verum tamen locus optime se habet, interpungas modo:

omnis et in capulo — prohibent obstantque ruuntque —
spirantum rabie; e. q. s.

sic manifestum est verba *manus* usque ad *rabie* descriptionem esse narrationi intercalatam, descriptioni vero ipsi, quae ad formam habitumque pertinet, parentheseos in modum verba illa

Digitized by Google

inseruntur, quae turbationem vehementem significant. Inde a vocabulo *nec* narratio pergit.

Nunc ad III 513 sqq. transeamus, quem locum Klotzius sic recensuit:

hisne dari, Thymbraee, polum? simul ora recurvo
dente secant rabidae planctumque imitantibus alis
exagitant zephyros et plumea pectora caedunt. 515

Quid illud *simul* sibi velit indagari mihi non contigit. Porro acc. c. inf. *polum dari* usitatum vocari nequit. Lenior, magis perspicuus et meliorem significationem praebens videtur contextus qui evadit si versum primum sic legimus:

hisne dari, Thymbraee, polum sinis? ora recurvo e. q. s.

Paullo infra (vss. 517 sqq.) legitur:

iam tum prima cum pube virentem
semideos inter pinus me Thessala reges
duceret hic casus terraeque marisque canentem
obstipuere duces, nec me ventura locuto 520
saepius in dubiis auditus Iasone Mopsus

vs. 519 vero sic legatur:

duceret, hunc casus terraeque marisque canentem

ita ut *hunc* = *me*. Uberiore commendatione locus egere mihi non videtur.

Porro IV 275 apud Klotzium legimus:

Arcades huic veteres astris lunaque priores
agmina fida datis, nemorum quos stirpe rigenti
fama satos.

In vs. 276 *dati* pro *datis* propono; *fida datis* si sanum est, significare debet *promissis manentia*, at haec laus, ne quid gravius dicam, loco aptissima non est neque cum prioribus neque cum sequentibus cohaeret. Tum verbum desideramus quod ad *Arcades huic* suppleatur, cum nulla causa inveniri fingive possit, cur hoc loco ellipsi poeta usus sit. Coniecturae meae favere eiusdem libri vss. 178 et 475 videntur.

Non solum poeta concinno indigna sed ne hominis quidem qui sana mente praeditus est, mihi ea videntur quae leguntur Th. V 633 sqq.:

hocne ferens onus inlaetabile matris
transfundam gremio? quae me prius ima sub umbras
mergat humus!

Digitized by Google

Hypsipyle dolore excitata loquitur, sed ne furori quidem dolorive furibundo condonanda mihi videtur illa locutio *quae me prius ima .... mergat humus*. Valde probabile est eam dubitare, utrum onus ferat necne, at quis revera credere possit eam deinde secum reputasse, quae terra (si *humus* per metonymiam pro *regione* dici potest, id quod equidem nusquam inveni) se mergeret. Immo exclamationem precativam contextus flagitat, qua orat ut terra revulsa abscondatur. Quae exclamatio verbis *me prius ima sub umbras mergat humus* expressa est. Quid deinde de *quae* censeam? Aposiopesis felicissima est. Hypsipyle in eo est, ut sibi fingat, quibus opprobriis conviciisque mater misera se cumulatura sit (nam ad matrem pronomen relativum *quae* spectat), sed antequam verba invenit, imagine matris iratae et calamitate exterritae mentis oculis surgente ita turbatur ut mortem oret. Interpungendus igitur vs. 634:

transfundam gremio? quae — me prius ima sub umbras

In descriptione certaminis equestris haec verba occurrunt VI 446 sq.:

laxo cum tandem ab orbe reductus
aequoreus sonipes.

vs. 446 finis metro non convenit, quid significet autem manifestum est.

Quamquam inventi fiducia mihi non magna est, tamen conicere velim:

laxo cum tandem adductus ab orbe.

IX 212 sq. Post Tydei mortem Hippomedon equum eius conscendit alloquiturque et alia dicens et haec:

numquam tibi dulce superbi
regis onus.

Quae ellipsim duriorem efficiunt quam quae Statio quamvis eius figurae amanti attribuatur. At ut rem aliquam prorsus abiisse indicet ét rhetorica interrogatione, ubi sit, ét negativa enuntiatione, quae nusquam eam esse dicit, saepe utitur, qua de causa eum scripsisse suspicor:

nusquam tibi dulce superbi e. q. s.

cf. e. g. huius libri vs. 278, Silv. I 2. 35 sq. Ach. I 627 cum annotatione mea.

Sed Thebaidem nunc missam faciamus transeamusque ad

Digitized by Google

Achilleidem, cuius nonnullos locos, ubi a Klotzii recensione recesserim, me tractaturum esse in editionis praefatione promisi. Pauci admodum sunt omissis nempe discrepantiis, quas dicunt, orthographicis levioribusque nonnullis mutationibus quas recensere operae pretium esse non videtur.

vs. 155 tumide *Klotz.*: tumidi *ego.*
timide *P*: tumidi *QK*: tumide *Kohlmann.*

Cur coniectura Kohlmanniana opus sit non video: adiectivum cum magis ex more Statii est, tum magis aptum, propterea quod animorum descriptione multo magis opus est quam minandi definitione modali.

265 has *Klotz.*: hac *ego*
hae *P*: has *QK*: hac *Postgate, Damsté.*

Thetis multis exemplis e mythologia allatis filium adhortatur. Ut quid faciat? Ut se integrum esse sinat? At nihil melius cupit neque ideo exempla illa necessaria sunt. Ut vero unam illam viam salutis quam Thetis ei monstravit, ineat, non nisi gravibus argumentis expositis adduci potest. Eam ob causam exempla citavit; pergere ergo debet:

hac sine e. q. s.

306 impulsam.

Lectionem Klotzianam recepi, quamquam ceterae editiones *impulsum* exhibent. Utrum v. cl. per coniecturam an per errorem eam lectionem dederit an forte genuinam formam solus servaverit, cum codices mihi non praesto sint discernere non possum. Sed potior sine dubio lectio est, quandoquidem de signis animi perturbationis in facie obviis sermo fit neque quicquam attinet ceteras corporis partes fortasse etiam sudavisse, quae res ipsa minus credibilis est. Nam in vehementioribus animi motibus sudor in fronte plerumque labrisque apparet, (cf. vs. 316) neque alibi, nisi quem forte pavoris dementia diu terruit. Praeterea transitio de facie ad personam ipsam per participii formam solam durior esset.

325 cogi *Klotz.*: cogit *ego*
cogit *Mss.*: cogi *Heinsius.*

Coniectura in deterius locus mutatus est. Vix enim mater puerum dubitantem videt, iam eum cogit; quae cum venustissime cohaereant mutandi causa nulla.

Digitized by Google

326 iniecit *Klotz.*: iniectat *ego.*

iniectat e coniectura introduxi, quoniam ét inter cetera praesentia perfectum admirationem movebat ét nullam causam illius usus invenire poteram.

vs. 676 innumeras mutabant Cycladas *Klotz.*:
innumerae .... Cyclades auras *ego.*

Lectionem traditam, quod duobus modis optime explicari potest servavi. Alteram interpretandi rationem monstravit v. cl. P. H. Damsté, in Serto Naberico qui fuse disputavit de verbo mutandi, quod verbum *minuere* interdum significare docuit, alteram in commentario exposui.

vs. 745 sq. adit *Klotz.*: obit *ego.*
adit *Mss.*: obit *Heinsius.*

Coniectura Heinsii eam compositionem in textum introduxit, quae sola obiecto *totos penates*, quod per metonymiam *totam domum* valet convenit.

931 aspiciamne *Klotz.*: te aspiciamne *ego.*

te in Mss. omissum inserui quoniam verbi obiectum aegre desideramus.

II 42 dixit *Klotz.*: ultro *ego*
dixit *PE*: ultro *QK.*

Dixit post orationem absolutam ponitur, Ulixes vero sermonem ad finem nondum perduxit; itaque *dixit* ferri nequit. Lectio codicum deteriorum talis est, ut per coniecturam excogitanda esset, nisi iam obvia esset; *ultro ... occupat* vult *medio sermone intercipit.*

II 93 primos *Klotz.*: primum *ego*
primum *Mss.*: *aliud alius coniecit.*

Omnes coniecturae inde fluxerunt quod viri docti arbitrati sunt in caesura etiam hiatum a Statio vitatum esse, quam opinionem falsam esse apparet coll. Th. VIII 36, X 441.

Digitized by Google

MANILIANA.

SCRIPSIT

I. VAN WAGENINGEN.

(*Continuantur ex vol. XLI p.* 194—206).

I 631—647. His versibus Manilius lectoribus demonstrare studet circulum meridianum in caelo alium esse aliis terrae incolis sive „cum loco terrae caelum et tempora mutari" (vs. 642), atque hanc mutationem luculenter describit viatorem quendam fingens vel ad orientem vel ad occidentem iter facientem et semper meridianum per alia signa circinatum supra se conspicientem. In hac igitur parte nullus comparationi locus est: res ipsa explicatur. Quare Breiter erravit edens (637 sqq.):

hic (sc. meridianus) *mutat per signa vices: ceu* [1]) *si quis eoos seu petit hesperios, supra se circinat orbem* cet.,

nam illud *ceu*, quod pro codicum lectione *seu* recepit, nullam inducit comparationem neque habet ad quod referatur. Verba enim *volat hora per orbem* (641) non apodosin, ut Breiter vult, sed parenthesin in media sententia condicionali efficiunt. Itaque retinendum esse videtur illud *seu — seu* et *si* post prius *seu* (ut *si* post *nisi*) exemplum est pleonasmi, de quo cf. Löfstedt, Spätlatein. Stud. p. 27.

II 624: *idcirco et pax est signis et mixta querela.*
Vulgo substantivum *querela* fere idem valet atque 'querimonia' vel 'questus', sed nondum in Latino sermone vim rixae vel pugnae habet, sicut in lingua Francogallica. Hoc tamen loco

1) codd.: *seu*, Bentleius: *nam*.

Digitized by Google

ipsa oppositio *pax ... querela* docet significatiom iam mutatam esse, cf. IV 429.

II 970. Post hunc versum in codice Matritensi, cuius imago phototypica a v. cl. Gabrieli Ochoa Blanco confecta, mihi praesto est, leguntur haec verba: *M. Manlii Boetii Astronomicon liber II explicit feliciter, incipit tertius.* Hactenus ubique editum est *Boeni* [1]), sed *Boetii* inest. Editores enim errarunt arbitrantes *n* scriptum esse, ubi TI exaratum est. Librarius autem Matritensis in titulis scribendis forma maiuscula litterae N utitur, non minuscula (*n*). Etiam alibi in M (fol. 43^{r}, IV 817) litterae *ti* eodem modo, atque hoc loco, in aliquo titulo depictae sunt („eclip*ti*cis"), ubi nemo de vocabuli explicatione dubitat. Iam abhinc fere decem annos v. d. Vollmer suspicatus est *Boenus* depravatum esse ex *Boethus* (B. ph. W. 1904, Sp. 107 A) atque haec suspicio codicis scriptura firmatur.

III 611. Agit poeta de numero annorum, quem singula „templa" caeli homini nascenti tribuunt. In qua parte uniuscuiusque templi locum, quem id in caelo obtinet, rursus describit ipso nomine templi omisso (cf. II 856 sqq.). De templo autem duodecimo, quod Typhoeus appellatur, quae regio *„super exortum est a summo tertia caelo"* (II 864) ita canit:

at qui praecedit surgentis cardinis horam
vicenos ternosque dabit nascentibus annos,

sed quoniam sermo est de loco, ut supra dixi, non de tempore, et *cardo surgens* nihil aliud est nisi templum quod II 864 *exortus* sive *horoscopus* appellatur pro *surgentis cardinis horam* legendum est: *surgentis cardinis oram.*

IV 140—151. Audi poetam praedicantem, quae Taurus alumnis suis det:

Taurus simplicibus dotabit rura colonis,
pacatique labor veniet; nec praemia laudis,
sed terrae tribuet partus, cet.

Itaque qui sub Tauro nascuntur, viri erunt simplices, ruri vitam

1) Schanz RLG II 2, 34.

Digitized by Google

laboriosam degentes, laudis non cupidi. Sed quae paulo post sequuntur, cum hac morum notatione pugnare videntur (vs. 150):

laudis amor, tacitae mentes, et corpora tarda
mole valent, habitatque puer sub fronte Cupido,

nam difficultatem non effugiemus statuentes in versu 141 de bellica laude sermonem esse, in vs. 150 de alia. Melius poetae mentem, ut opinor, reddemus, si versum 150 aliter distinguemus, scilicet:

laudis amor tacitae, mentes et corpora tardā
mole valent, habitatque puer sub fronte Cupido.

Amant agricolae illi quidem laudem, sed non clamosam et tumultuantem, praemiis gloriantem. Tardi sunt et mente et corpore, verum a Venere eiusque filio non alieni.

IV 178—181:

ille (sc. Leo) *novas semper pugnas, nova bella ferarum*
apparat et spolio vivit pecorumque rapinis,
hoc habet hoc studium: postes ornare superbos
pellibus cet.

Ita codices, sed quisquis sermonis Maniliani peritus est, hanc geminationem *hoc ... hoc* eamque hoc loco adhibitam, ubi vocabulum *studium* omnino non premendum erat, minime in hanc poesin cadere confitebitur. Quod Fayus proposuit *hoc habet hic studium*, defendi sane potest, nam solet Manilius de ipso signo (de Leone) dicere eique tribuere illa, quae proprie sunt eorum, qui sub illo signo nati sunt. Verum in his versibus Manilius ea quae ipse Leo committit (vv. 178—179), ab iis discernere mihi videtur, quae Leonis alumni agere consuerunt (vs. 180 sqq.). Quamobcausam legendum censeo:

ac dabit hoc studium: postes ornare superbos cet.

Etiam paulo post (vs. 193) poeta hac forma *dabit* utitur, neque temporis discrimen *apparat vivit dabit* lectores a coniectura mea deterreat, si videant Manilium alibi quoque in eiusmodi descriptionibus futurum iuxta praesens adhibuisse, cf. IV 577 *inerit*, postquam *datur* (vs. 574) antecessit.

IV 202 Breiter aliique sic ediderunt:

nec fecundus erit — quid mirum in Virgine? — partus,

Digitized by Google

sed ML¹ hoc loco non praebent *in Virgine*, verum *Virgine*, quod tenendum est et iungendum cum participio *partus* (= creatus, natus), quod editores male pro substantivo duxerunt. Itaque cum optimis codicibus versum hoc modo legendum et interpretandum puto:

nec fecundus erit — quid mirum? — Virgine partus,

h. e. cum sub Virgine natus sit, non fecundus erit, — quid mirum?

IV 220—223:

in bellum ardentis animos et Martia castra
efficit (sc. Scorpio) *et multo gaudentem sanguine civem*
nec praeda quam caede magis.

Ad hunc locum Bentleius annotat: „*Martia castra efficit*? putide et inepte. Cum *efficit* dicit, ingenium et indolem hominum, non ipsorum opera dicit. Repone:

in bellum ardentes animos et Martia corda
efficit".

Optime vir doctissimus vidit Scorpionem non efficere *Martia castra*, sed in verbis traditis ne id quidem inest. Nam illud *Martia castra* non obiectum est verbi *efficit*, ut Bentleius arbitratur, sed per figuram ἀπὸ κοίνου iungendum est cum verbis *in bellum* et ab eadem praepositione *in* pendet. Ergo Scorpio homines efficit, quorum animi et in bellum et in Martia castra ardent. Cf. de praepositionis loco IV 252: *addis et in vestes studium mercemque fugacem* (h. e. studium in vestes et in mercem fugacem); Hor. C. III 25, 2; Kühner-Stegmann II² p. 581.

IV 233: *et totis armenta sequi pascentia campis.*
„ 738: *cinnama nec totis passim nascentia campis.*

Utroque loco *totis* dictum est pro 'omnibus', sicut apud Plautum (Mil. 212: „totis horis") et in sermone vulgari.

IV 294—297. Astrologi, cum viderent homines sub eodem signo natos magnopere moribus inter se differre, ut hanc dissimilitudinem explicarent, miram rationem instituerunt. Nempe tricenas partes (30°) uniuscuiusque signi zodiaci diviserunt in

Digitized by Google

decadas trinas et ab Ariete incipientes fecerunt trina signa continua vim suam exercentia in singula signa. Ita Aries Taurus Gemini fiunt decani sive domini Arietis, Cancer Leo Virgo Tauri, Libra Scorpio Sagittarius Geminorum, Capricornus Aquarius Pisces Cancri ac sic deinceps ζῴδια per reliquum orbem distribuuntur, ut unumquodque signum ter fiat decanus in alio (cf. infra). Hanc rem Manilius poetice hoc modo illustrat:

sed nihil in semet totum valet; omnia (sc. signa) *vires*
cum certis sociant signis sub partibus aequis
et velut hospitio mundi commercia iungunt
conceduntque suas partes retinentibus astris.

Nemo adhuc expedivit, quid esset illud *retinentibus astris*. Quid



DECANI.

Man. Astr. IV 292—372.

astra (= signa) retinent? Nimirum suas proprias vires per omnes partes triginta ac praeterea in unaquaque decade habent aliud signum (quasi hospitem), quod ibi dominatur, sed hôc non erat significandum poetae. Voluit ille describere — quod etiam ex usu verbi *concedendi* apparet — commercium esse

Digitized by Google

quoddam inter signa et alterum alteri partes suas quasi permutatione quadam commodare. Ut haec imago exprimatur integra, nobis legendum est:

conceduntque suas partes reddentibus astris.

Signa enim partes suas aliis concedunt signis, quae sua vice suas reddunt. Ita re vera exsistit commercium inter astra.

In vicinia aliud mendum tollendum est, IV 320—322:

Libra decem partes Geminorum prima capessit,
Scorpius adiunctas, Centauri tertia pars est.
nec quisquam numero discernitur; ordine cedit.

Nonne hoc loco ratio flagitat: *cedunt*? Libra Scorpio Sagittarius aequas partes a Geminis accipiunt. Ergo quod ad numerum partium attinet, nullum inter eos discrimen est, nemo alteri praefertur, sed *ordine cedunt*: Librae primus, Scorpioni secundus, Sagittario tertius datur locus. In asyndeto versus 322 oppositio inest, quae postulat, ut verba (*omnes*) *cedunt* priori parti sententiae *nec quisquam discernitur* opponantur.

IV 422. Hic versus silentio non praetereundus est, quoniam lectio codicum luce clarius hic ostendit, qualis sit inter eos necessitudo. Recte Matritensis praebet:

laudatique cadit post paulum gratia ponti,

sed librarius codicis Lipsiensis, idem archetypum describens, vocabulo *paulum* inductus, scripsit dormiens:

laudatique cadit post paulum gratia xp̃i (= Christi),

deinde idem vel alius librarius, codicem rursus cum archetypo conferens, locum correxit supra scribendo: *ponti*. Quid Gemblacensis? Solam habet lectionem *Christi*, cum ex Lipsiensi ante descriptus sit, quam altera manus hanc correctionem addidit. Nam quominus hunc errorem iam in archetypo fuisse credamus, impedit èt tempus, quo illud scriptum est, et lectio vera codicis Matritensis, qui omni interpolatione liber est, neque veri simile esse videtur duos librarios, alterum separatim ab altero, in eundem hunc errorem incidisse.

Manilius Hellespontum, Propontidem, Pontum Euxinum, Paludem Maeotidem hoc modo deinceps describit:

Digitized by Google

IV 615 sqq.

hic intus iuvenisque fretum mersaeque puellae
truditur invitum faucesque Propontidos artas [1])
Euxino iniungit ponto Maeotis et undis,
quae tergo coniuncta manet pontemque ministrat.

Subiectum horum versuum proprie non est *fretum* (vs. 615), sed *pontus* (vs. 596), qui dicitur tamquam fretum inter Achaiae regiones trudi, deinde Propontidem, tum Pontum Euxinum, denique Maeotidem efficere, id quod unicuique apparebit totum locum perlegenti. Sed mirum in modum poeta, si codicibus fidem habemus, postremum mare fingit *pontem* hominibus ministrans. Eleganter sane hoc dictum esset, si nauta etiam in regiones, quae supra Maeotidem ad septentriones vergunt, penetraret, sed ibi sunt loca non hospitalia, a Scythis habitata. Quare mihi in mentem venit *portumque* pro *pontemque.*

V. 97—100:

hoc genitum credas de sidere (sc. Heniocho) *Bellerophontem*
imposuisse viam mundo per signa volantem,
cui caelum campus fuerat, terraeque fretumque
sub pedibus non ulla tulit vestigia cursu.

Ita mihi videntur edendi esse hi versus, interpunctione in vs. 100 post *sub pedibus* sublata. Bellerophon enim, dum in aere equitat, neque terras neque mare pedibus tangit. Recte igitur terra et mare dicuntur nulla vestigia eius cursus pati. De verbi *tulit* numero singulari cf. Kuehner II² p. 50; Liv. 37, 9, 3: „naves et praesidium Romanum excessit."

V 140—142:

Taurus in aversos praeceps cum tollitur ortus,
sexta parte sui certantes luce sorores
Pleiadas ducit.

Taurus in caelo oriens primas ostendit clunes, deinde reliquum corpus, cf. II 198:

aspice Taurum
clunibus et Geminos pedibus, testudine Cancrum
surgere.

1) Codd.: *apto.*

Digitized by Google

Eam ob causam in vs. 140 praestat legi *artus* pro *ortus*, nam etsi iure *ortus* dicuntur *aversi*, tamen Taurus tollit se non in *aversos ortus*, sed *artus*, h. e. partes aversae corporis aspiciuntur primae.

Tandem aliquando veram lectionem invenisse me puto in V 245. Agitur de iis, qui sub Cratere nati sunt, hominibus minime parcis et sobriis:

V 244: *nec parce vina recepta*
hauriet †emiseris et fructibus ipse fruetur
gaudebitque mero mergetque in pocula mentem.

Pro vocabulo corrupto *emiseris* propositum est: *e mustis* (Vollmer), *e mystris* (Turnebus), *e murris* (Rossberg), *emessis* (Gevartius), sed nulla ex his coniecturis placet, quoniam illi viri docti in loco emendando neque ad vocabula *nec parce* neque ad pronomen *ipse*, quo antithesis aliqua in prioribus requiritur, satis attenderunt. Ego una littera addita versum ita corrigo:

hauriet èt miseris èt fructibus ipse fruetur.

Negatio *nec* cum solo adverbio *parce* iungenda est, quae iunctura per λιτότητος figuram significat: 'large'. Tum *vina recepta* est copia vini in cella iam condita, quam ille Crateris amicus non solum *ipse* bibet, sed etiam *miseris* (aegris et pauperibus), e dolio hauriens, largietur.

Qui sit ordo operum, quibus pistor (idemque molitor) cotidie fungitur, haud incertum est. Primum frumentum molit, deinde farinam macerat, tum eam depsit subigitque in varias formas, denique torret in foco. Neque ordinem illum operum antiquis temporibus alium fuisse credo atque nunc. Idcirco in libro V versum 284 postponere velim versui 285 atque totum hunc locum ita legere:

282 *subdere fracturo silici frumenta superque*
283 *ducere pendentis orbes et mergere farra*
285 *atque unum genus in multas variare figuras*
284 *ac torrere focis hominumque alimenta parare.*

Hac transpositione etiam ad finem reservatur, id quod postremo erat enumerandum: frumentum in *hominum alimentum* mutatum.

Digitized by Google

Iam paucos annos abhinc Manilii editionem, quam Breiter curavit, recensens (Mus. XVI p. 246) mendum latere conieci in versibus, quos poeta de viro violento et superbo, sub Aquila nato, condidit:

V 495: *nec pacem a bello, civem discernet ab hoste;*
ipse sibi lex est, et qua fert cumque voluntas,
praecipitant vires; laus est contendere cuncta.

Sed quod tunc pro verbo *contendere* proposui, sc. *contundere*, iam non placet, cum modum excedere illa locutio mihi videatur. Quoniam autem Matritensis *contenere* exhibet, forsitan vera lectio sit: *contemnere*.

AD TABULAS QUASDAM AEGYPTIACAS.

Inter res in Aegypto erutas, effossas, protractas (vel quo vocabulo hic utar?), quae magni nunc fiunt, haud ultimum tenent locum tabulae quaedam puerorum in usum exemplis impletae verborum accusativum, genitivum, dativum regentium. Inde enim profecti quot iam viri docti quam spissos „de antiquis ludis literariis" scripserunt commentarios! In quarum una caput hominis rudi arte delineatum refert qui primus descripsit. Supervenit vir doctus qui, tamquam si de re gravissima ageretur, annotavit: „praeceptorisne?" Tertius huius „illustrationis" illustrandae gratia locum Luciani adscripsit quendam; quartus *apte* („passend") illum locum allatum annotat. Est autem notissimus ille e *Somnio* 2; ὁπότε ἀφεθείην ὑπὸ τῶν διδασκάλων, ἀποξέων ἂν τὸν κηρὸν ἢ βόας ἢ ἵππους ἢ καὶ νὴ Δία ἀνθρώπους ἀνέπλαττον. Hoc si est „apte afferre", ad quodvis vocabulum Graecum quemvis locum poetae scriptorisve adscribere iam licet.

J. J. H.

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e pag.* 8.)

DE COHIBENDA IRA.

Utilissimus hic libellus suavissimusque, cuius patronum esse voluit Plutarchus Minucium Fundanum virum magnae inter *Romanos* auctoritatis: hunc enim ibi inducit colloquentem cum Sextio Sulla Carthaginiensi et civitatem Romanam adepto. Sullae Fundanus exponit quo modo ex iracundo asperoque lenis sit factus mansuetusque eamque rem tam accurate exponit ut libellus qui initio colloquium fuit exeat in disputationem solius Fundani de cohibenda ira. Bene notus hic nobis Fundanus e Plinii epistolis. Ad illum est lepidissima illa Plinii epistola I, 9 qua demonstratur qui fiat ut in urbe, futilissimarum plena occupationum, singulorum dierum ratio constet, multorum non constet. Epl. IV, 15 Plinius a Fundano, quem in proximum annum consulem creatum iri auguratur, petit ut sibi quaestorem assumat Asinium Bassum, illius Bassi filium qui et Tacito amico utatur. Epl. V, 16 eundem amissa filiola tristem consolatur. Epistola demum VI, 6 eundem rogat ut se adiuvet enitentem ut Iulius Naso honorem quem petit obtineat. „Permultum" ait „interest mea te ostentare, tecum circumire". Hinc aliquatenus intelligimus quamnam illo tempore philosophi Graeci librorum suorum in lucem edendorum sint secuti rationem. Prorsus enim eodem modo, quo Plinius Nasonis patronum fieri Fundanum exoptat, Plutarchus eundem illum Fundanum sui libelli patronum fore sperat. Neque frustra, ut opinor, sperat. Insigni enim

Digitized by Google

se honore a clarissimo illo Chaeronensi affectum sentiet vir consularis, qui in eius libello primas partes agat, neque dubitamus quin daturus sit operam ut libellus ille, in multa discriptus a literatis suis servis exemplaria, omnibus innotescat Romanis, quibus bonae artes cordi sunt quique in republica Romana primarium tenent locum. Simulque hinc discimus cum quibus fere viris Romae familiaritatem contraxerit Plutarchus, quos iam Chaeroneam reversus colere et patronos habere philosophiae suae perrexit. Tacitum Pliniumque amicos habuit et praeterea omnes quos eorum amicos ex Plinii praesertim epistolis cognitos habemus, in eorumque numero et ipsum principem Traianum. Neque iam dubitamus quin egregie Volkmannus apud Plinium (V, 5):

aderam Arrionillae, Timonis uxori, rogatu Aruleni Rustici

pro inepto et ridiculo nomine *Arrionillae* restituerit *Aristyllae*, nomen et bene Graecum et verum Timonis uxoris. Nam Timon ille ne potest quidem diversus esse a Plutarchi fratre Timone, siquidem in *praeceptis coniugalibus*, vere aureo libello, haec Plutarchus ad discipulam suam scribit: „ad cultum muliebrem quod attinet, auctor tibi sum ut fideli serves memoria quae Timoxena scripsit Aristyllae". Iam hic ipsius Plutarchi significari uxorem, quam Timoxenam fuisse nomine pro certo novimus, quis adeo contumacis est perversitatis ut negare velit? Hercle si *non* suam hic nominasset uxorem, id disertis dixisset verbis Plutarchus. Ergo scribebat libros Plutarchi uxor, idque neque nescio neque invito marito, sed scribebat de rebus quas solis feminis notas esse necesse est, neque scribebat populo sed feminis quibuscum arta erat familiaritate iuncta, imprimis illi mulieri quam in matrimonio habebat sui Plutarchi frater. Profecto si unquam prodibit diarium, cuius hoc sit propositum ut „mulierum motus" ille qui dicitur suis sibi coerceatur terminis, TIMOXENA ei detur nomen censeo.

Sed ad Plutarchum eiusque *de cohibenda ira* redeo libellum. Ad cuius hosce locos pauca annotata velim.

p. 453 A. „Prudenter" ait „pictores sua opera identidem examinant, per aliquod temporis intervallum sibi non visa: sic enim minus eos fallunt tabularum suarum vitia quam si semper eas ante oculos haberent". Tum sic pergit:

Digitized by Google

ἐπεὶ τοίνυν οὐκ ἔστιν αὐτὸν αὐτῷ διὰ χρόνου προσελθεῖν .... ἀλλὰ τοῦτ' ἐστὶ τὸ μάλιστα ποιοῦν ἕκαστον αὑτοῦ φαυλότερον κριτὴν ἢ ἑτέρων, δεύτερον ἂν εἴη τὸ τοὺς φίλους ἐφορᾶν διὰ χρόνου.

Incredibili errore ét vetus ét novus editor post *ἑτέρων* semicolo incidunt sententiam. Virgula opus est, nam istud *δεύτερον ἂν εἴη* apodosin efficit protaseos *ἐπεὶ .... ἑτέρων*. Eo loco, quem in citando vacuum reliqui, illud *αὐτῷ διὰ χρόνου προσελθεῖν* sic illustratur:

χωρὶς γενόμενον καὶ διαστήσαντα τῆς συνεχείας τὴν αἴσθησιν.

Si quid ego video, prave haec sunt enuntiata. Quid enim modo dictum est de pictoribus? *τὴν ὄψιν αὐτῶν* (i. e. *τῶν ἔργων*) *ἀφιστάντες τῇ πολλάκις κρίσει ποιοῦσι καινήν.* Suam contemplationem identidem a tabulis suis removentes noyam semper faciunt. Quid ergo optandum erat hominem in se ipso facere posse? Identidem semet ipsum non videre vel sentire sed „sensus continuitatem" interrumpere, quemadmodum pictor contemplationis interrumpit continuitatem. Aut ergo ipse in scribendo lapsus est Plutarchus (quod fieri potuisse non negaverim) aut eius verba *τῆς αἰσθήσεως τὴν συνέχειαν* corrupit librarius.

Ad suum amicum hanc observationem convertens Sulla hoc dicit:

ἐγὼ γοῦν ἐνιαυτῷ μὲν ἀφιγμένος εἰς Ῥώμην δευτέρῳ συνὼν δέ σοι μῆνα τουτονὶ πέμπτον

te cerebrosum illum lenem video placidumque.

Vereor ut vulgo haec recte intelligantur. Sic res se habet: per integrum annum et aliquot dies Sulla Roma afuit; nunc, reversus, iam per quatuor menses cum Fundano esse solet: satis longum ergo fuit ét *non videndi* intervallum ét tempus per quod „quantum mutatus ab illo" iam esset Fundanus posset intelligere.

453 C Eundem illum Erotem, qui ad Sullam iam nuntium hic dicitur de mutato Fundano attulisse, etiam habemus in praeclaro libro *de tranquillitate animi* (p. 464 F). Ibi Romam properare dicitur propter quasdam Fundani literas. Suspicor ergo tunc, cum Roma aberat, ét Sullam cum Plutarcho Chaeroneae fuisse ét Erotem ibidem esse moratum. Nam Eros ille, nisi me fallunt omnia, et ipse „philosophus" fuit, sed qui apud

Digitized by Google

clarissimum illum vicarii fungeretur partibus; ultro citroque iter facere solebat ut patronum suum certiorem faceret quo mentis statu cum maxime hic vel ille esset, quem Romae alibive sibi cognitum Plutarchus in suam receperat curam. Vides illud „mentium medici" nomen, quod Levèquius invenit, non ornamenti tantum causa Plutarcho dari posse sed satis accurate eo describi qua ratione suo officio fungi ille sit solitus. Quo magis rem considerabimus eo magis apparebit philosophi qualis Plutarchus fuit eandem *πρᾶξιν* fuisse quam medicorum qui corporis curant morbos. Ergo quoties in locos eo pertinentes incidero inde quaecunque totam rem illustrare possunt protraham; sic et alia minime spernenda discemus et *rem facere* potuisse illos non minus bene quam corporum medicos hodiernos.

ib. „Narra mihi" Fundanum rogat Sulla „qua cura"
οὕτως εὐήνιον καὶ ἁπλοῦν καὶ τῷ λόγῳ πρᾷον καὶ ὑπήκοον ἐποιήσω τὸν θυμόν.
Nullus hic *simplicitati* locus; antea *nimis* simplicem fuisse Fundanum apparet ex iis quae Sulla dicit. Sed ex iracundo et aspero factus est lenis et .... *mollis* ut opinor. Lege ergo *ἁπαλόν*. Olim *σκληρός* erat Fundanus.

453 D Rectissime Huttenus delet *κατὰ χώραν*, quae verba olim in margine annotata fuerunt ad verba *ἐν τῇ Ὁμηρικῇ πείσῃ μένοντα*. Scatet eiusmodi emblematis Plutarchi textus.

ib. Laudat Fundanus Musonii dictum: eum qui salvus esse velit *semper* curari oportere, additque:
οὐ γὰρ ὡς ἐλλέβορον, οἶμαι, δεῖ θεραπεύσαντα συνεκφέρειν τῷ νοσήματι τὸν λόγον.
Hic, ut opinor, quisque haerebit: si enim *τὸν λόγον* infinitivi illius facimus obiectum, quod eius sit subiectum frustra quaerimus, si subiectum, quid *simul efferre* debet? Sed lege *συνεκρεῖν* pro *συνεκφέρειν*, omnia erunt egregia: helleborus simul cum morbo *effluit* e corpore, hoc *τὸν λόγον* facere non oportet *ἀλλ' ἐμμένοντα τῇ ψυχῇ συνέχειν τὰς κρίσεις καὶ φυλάσσειν*. Optime nunc haec praecedentibus opponi dicere vix opus.

Digitized by Google

454 A *οἱ πολιορκίαν προσδεχόμενοι συνάγουσι καὶ παρατίθενται τἀπιτήδεια.*

Rectissime pro *παρατίθενται ἀποτίθενται* reposuit Naberus *ὁ μακαρίτης* [1]).

454 F *πῦρ ὁ μὴ παρασχὼν ὕλην ἔσβεσε, καὶ ὀργὴν ὁ μὴ θρέψας ἐν ἀρχῇ καὶ μὴ Φυσήσας ἑαυτὸν ἐΦυλάξατο καὶ καθεῖλεν.*

Quis hic cum interprete, qui „neque sese inflat" nobis exhibet, hic de ranae et bovis cogitare vult fabula? Delendum istud *ἑαυτόν* est: liberiore enim metaphorae usu, quem toties apud Graecos Latinosque deprehendimus scriptores, de *ira* hic idem quod de *flamma*, quacum comparatur, dicitur: flamma autem augetur nutriendo afflandoque.

455 B *πρὸ χείματος ὥστ' ἀνὰ ποντίαν ἄκραν στελλόμενος.*

Versus hic saepius a Plutarcho allatus, ubi sermo est de homine prudente qui in tempore cavet ne ira exardescat, ita est emendandus ut cum nauta comparetur ille ante procellam vela colligente.

455 E *ἐγὼ γοῦν, εἰ μὲν ὀρθῶς οὐκ οἶδα, ταύτην δὲ τῆς ἰατρείας ἀρχὴν ποιησάμενος, ὥσπερ οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐν τοῖς εἵλωσι τὸ μεθύειν οἷον ἐστι, κατεμάνθανον τὴν ὀργὴν ἐν ἑτέροις.*

Dele importunam virgulam post *οἶδα* et aeque importunam particulam *δέ* post *ταύτην*. Haec enim est sententia: „irae naturam ego in aliis, ut Lacedaemonii in servis, observabam: utrum recte hoc mei sanandi fecerim initium necne nescio".

456 B *καὶ γὰρ καὶ τὴν Ἀθηνᾶν λέγουσιν οἱ παίζοντες αὐλοῦσαν ὑπὸ τοῦ σατύρου νουθετεῖσθαι καὶ μὴ προσέχειν*

sequuntur versiculi quibus Satyrus ille usus est. „At" sic noster pergit „facie sua in fluvio conspecta fistulas abiecit".

Si editoris annotationem bene intelligo, Reiskius pro *παίζοντες* coniecit *ποιηταί*. Certe nihil est *παίζοντες*, sed neque *poetae* huius esse loci videntur. Equidem totum istud *οἱ παίζοντες* tamquam inutile interpretamentum abiecerim.

---

1) Tribus haec post eius exsequias scribebam diebus.

Digitized by Google

456 D Mare turbatum eiiciendo musco algaque purgatur, sed verba quae ira e pectore eiicit:

τοὺς λέγοντας πρώτους καταρρυπαίνει καὶ καταπίμπλησιν ἀδοξίας, ὡς ἀεὶ μὲν ἔχοντας ἐν αὐτοῖς ταῦτα καὶ πλήρεις ὄντας ὑπὸ δὲ τῆς ὀργῆς ἀνακαλυπτομένους.

Quid certius quam *αὐτοῖς* esse legendum? Haec enim est illa infamia quod ira eos detegere videtur cum semper turpia ista intus habeant.

456 E *οὐδὲν γὰρ ὁ ἄκρατος ἀκόλαστον οὕτω καὶ δυσχερές, ὡς ὁ θυμὸς, ἀναδείκνυσι· κἀκεῖνα μὲν γέλωτι καὶ παιδιᾷ μέλει, ταῦτα δὲ χολῇ κέκραται.*

Praeclara est Madvigii emendatio *παιδιᾷ καὶ μέλει*, pro qua nollem editor suam *παιδιαῖς ἀμέλει* suasisset. Ne quis autem in pluralibus *κἀκεῖνα* et *ταῦτα* haereat, iis significari moneo ea (verba) quae vinum et ea quae ira profert.

458 B *Ἀλέξανδρος δὲ πικρότερος αὐτοῦ γέγονεν ἐν τοῖς περὶ Καλλισθένη καὶ Κλεῖτον. ᾗ καὶ Πῶρος ἁλοὺς παρεκάλει χρήσασθαι βασιλικῶς αὐτῷ.*

Quo iure interpres istud *ᾗ* vertat „itaque" non video, neque quo modo ea vox sit accipienda.

ib. *διὸ καὶ τῶν θεῶν τὸν βασιλέα ˌμειλίχιον' Ἀθηναῖοι δὲ ˌμαιμάκτην' οἶμαι καλοῦσι· τὸ δὲ κολαστικὸν ἐρινυῶδες καὶ δαιμονικόν, οὐ θεῖον οὐδ' ὀλύμπιον.*

Cetera sunt perspicua, sed quibus hic Athenienses opponantur et quid docere nos possit nomen obscurum *μαιμάκτης* in densis latet tenebris.

458 D E *τὸν Νεοπτόλεμον ὁ Σοφοκλῆς καὶ τὸν Εὐρύπυλον ὁπλίσας*
ˌἐκόμπασ' ἁλοιδόρητα·'
Φησιν
ἐρρηξάτην ἐς κύκλα χαλκέων ὅπλων.

Priora sic sanat Badhamus: *ἄκομπ' ἁλοίδορητά τε*, sed quomodo haec cum posterioribus cohaerent?

458 F Mire hic textus traditus in enumeratione eorum quos

Digitized by Google

ira ad prave agendum adducit inter se iungit κυνηγοὺς καὶ ῥήτορας. Pro priore Kaltwasserus acute reposuit συνηγόρους. „Aliud latet" annotat editor. Aliquid tamen, opinor, in eam sententiam.

459 B παῖδ' ἰδὼν πατὴρ ἐπιχειροῦντά τι σιδηρίῳ διελεῖν ἢ τεμεῖν, αὐτὸς λαβὼν τὸ σιδήριον ἐποίησε.

Mire ultima vox friget, fortasse tamen ita scripsit Plutarchus. Certe perspicua haec. Sequitur: καὶ τοῦ θυμοῦ τὴν τιμωρίαν παρελόμενος αὐτὸς ἀβλαβῶς καὶ ὠφελίμως ἐκόλασε τὸν ἄξιον. Optime Plutarchum suum notum habuit Stegmannus qui post παρελόμενος inseruerit ὁ λόγος. Talia in textum non recipi!

Adduntur haec:

οὐχ ἑαυτὸν ὥσπερ ὁ θυμούμενος ἀντ' ἐκείνου πολλάκις

non vero a Plutarcho sed ab inepto magistello.

ib. ὀργαὶ δὲ συνεχεῖς πολλὰ ποιοῦσαι προσκρούματα καὶ σφάλματα διὰ τὴν ἐξουσίαν ὥσπερ ἐν ὀλισθηρῷ χωρίῳ, μηδενὸς ἑνισταμένου μηδὲ κωλύοντος, ὑποφέρουσαι.

Non persanavit locum Reiskius pro ὑποφέρουσαι legendo ὑποφέρουσιν. Bene demum decurrent omnia si scriptum erit simplex φέρουσιν et exemptum participium ποιοῦσαι.

459 C οὐ γὰρ ἔστιν ἀναμάρτητον ἐν πάθει τὸ ἀνυπεύθυνον κατασχεῖν.

Istud ἐν πάθει quid sibi velit non video. Si absit haec habeamus omnibus absoluta numeris: „non potes plenam licentiam praestare immunem peccatis", nisi quod pro κατασχεῖν legere παρασχεῖν praestet.

ib. Video multos δουλεύοντας ἑτέροις ἀπὸ νεύματος καὶ σιωπῇ [καὶ] προθυμότερον ἢ μετὰ πληγῶν καὶ στιγμάτων ἑτέροις.

Quis admonitus non videt inclusum istud καί hinc facessere debere?

459 D οὔθ' ὁ τοξεύειν ἡμᾶς διδάξας ἐκώλυσε βάλλειν ἀλλὰ μὴ διαμαρτάνειν.

Minime obtemperandum editori ἐκέλευσε pro ἐκώλυσε suadenti.

Digitized by Google

E sequentibus enim apparet hoc Plutarchum velle: „non omnino sagittas mittere sed prave mittere me vetabat magister".

„Hoc ergo recordatus" ait „et reputans non eum nobis puniendi eripere potestatem qui apte punire non docet *πειρῶμαι τὴν ὀργὴν ἀφαιρεῖν κτἑ.*".

Quis non videt ante primum vocabulum Graecum virgula, non semicolo opus esse? Sed non vident editores.

459 F *καὶ δεινὸν οὐδέν, εἰ* (servus qui deliquit) *δώσει δίκην βράδιον, ἀλλ' εἰ ταχὺ παθὼν ἀεὶ φανεῖται μὴ ἀδικῶν.*

Pro *ἀεί φανεῖται* Madvigius *ἀναφανεῖται*. Dubito. Eleganter enim *ταχύ* et *ἀεί* inter se opponi videntur: ad poenam sumendam puncto temporis opus erit, si iniustam sumseris poenam insons ille te tota sua vita iniuriae arguet.

460 C *οὐ .... πρὸς ἡδονὴν δεῖ καθάπερ ἀπολαύσματος ὀρέξει τῆς τιμωρίας ἐμφορεῖσθαι.*

Vellem illud *ὀρέξει* abesset: e praecedentibus inutiliter illatum videtur, ubi Aristotele auctore reprehenduntur Tusci quod ad tibiae cantum servos verberent. Hoc enim est *καθάπερ ἀπολαύσματος τῆς τιμωρίας ἐμφορεῖσθαι.*

460 F *ὄνοις ἐμβάλλουσι χαλεπαίνομεν.* „Occurrentibus" dat interpres; fortasse recte, non tamen nunc locos in promptu habeo ubi eodem sensu illud verbum adhibeatur.

461 A „Civis Romanus sum" mulio clamabat cum magistratus eum verberare vellet; tunc ille „at tu certe non es optimo iure civis" reclamans mulum verberabat.

Hanc narratiunculam Romanam et ipsam origine Plutarchus vel eius auctor tam accurate Graecam riddidit ut etiam e Romano cive Atheniensem faceret, quo pacto tota venustas narratiunculae, immo vero ipsa narratiuncula periit. Quid enim Atheniensi cum lege Porcia et magistratibus in provincia virgas expedire iubentibus? *Ῥωμαῖός εἰμι. Σὺ δέ γ' οὐκ εἶ Ῥωμαῖος* sic genuina altercatio Graece fuerat reddenda. Et nunc quoque illud *δέ γε* nostro loco est reponendum, ubi codices praebent *δὲ μέν*, quod editor sic corrigere vult ut fiat *γε μήν*. Verum dedit Co-

Digitized by Google

betus in narratiuncularum Graecarum collectione, quam scholiarum in usum edidit, qua si quis revera Graece discere cupit utatur censeo. Mirari satis non possum praeclarum illud docendi discendique instrumentum nondum in Angliam Galliam Germaniam et quidquid est in Europa cultorum populorum translatum. En latet hic thesaurus .... etiam editoribus qui *rem facere* volunt!

ib Nil magis alit iracundiam quam luxus, mollities, fastidium: *διὸ μεῖζον οὐδὲν εὐκολίας καὶ ἀφελείας ἐφόδιον εἰς πραότητα πρὸς οἰκέτας καὶ γυναῖκα καὶ φίλους.*

Haec sic interpres reddit: „itaque ad mansuetudinem et erga uxorem et amicos non est quidquam plus emolumenti afferens quam facilitas et simplicitas". Male, ut opinor. Haec enim est structura: *οὐδέν ἐστι μεῖζον ἐφόδιον εἰς πραότητα ἢ εὐκολία καὶ ἀφέλεια πρὸς οἰκέτας καὶ γυναῖκα καὶ φίλους.* Qui adversus servos, uxorem, amicos facilis est et *simplex* (i. e. paucis paratisque contentus) is optime instructus est ad mansuetudinem (adversus ceteros omnes).

Adduntur etiam haec: *τῷ δυναμένῳ συμφέρεσθαι τοῖς παροῦσι καὶ μὴ δεομένῳ πολλῶν καὶ περιττῶν.* In quibus *συμφέρεσθαι* fere est *aequo animo uti.* Certe rarior ille verbi huius usus. Contrario idem verbum modo adhibetur *de tranq. an.* 467 A: *ἵνα καὶ τὰ ἐκτὸς ὡς οἰκεῖα καὶ φίλα μὴ χαλεπῶς χρωμένοις συμφέρηται,* ubi non homo rebus sed res homini *συμφέρονται,* quod melius in verbum illud convenit.

461 B *θαλάττης διὰ βάθους κεκινημένης.*

Pro *διά* Abreschius *ἐκ* reposuit, recte, ut opinor. Vix quidquam illius dissertatio Academica habet quod non sit in textum recipiendum.

461 C Morositas et frequentes querimoniae animum obnoxium reddunt iracundiae:

ἐθιστέον οὖν τὸ σῶμα δι' εὐτελείας πρὸς εὐκολίαν αὐταρκὲς ἑαυτῷ γιγνόμενον.

Ne verbo *ἐθίζειν* suus infinitivus desit neve verbis hisce sententia, legendum est *γίγνεσθαι.* Simplici victu corpus nostrum

Digitized by Google

assuefacere debemus ut sibi sufficiat ad bene et iucunde vivendum (*πρὸς εὐκολίαν*).

461 D Socratis dictum illud *οἷόν ἐστι τὸ συμποτικὸν εἶναι τὸν σοφόν* quid significat? Usus eo S. dicitur cum ad cenam panes non adessent.

463 D *δεῖ δ', ὥς που καὶ Παναίτιος ἔφη, χρῆσθαι τῷ Ἀναξαγόρᾳ, καὶ καθάπερ ἐκεῖνος ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ παιδὸς εἶπεν „ᾔδειν ὅτι θνητὸν ἐγέννησα", τοῦτο τοῖς παροξύνουσιν ἕκαστον ἐπιφωνεῖν ἁμαρτήμασι* („sciebam me non emisse sapientem servum" aliaque in hunc sensum).

Interpres *χρῆσθαι* vertit „imitari", satis audacter, u. o. Post Anaxagorae nomen excidisse puto *διδασκάλῳ*. Cum Stegmanno vero quin *ἑκάστοτε* sit legendum pro *ἕκαστον* non dubito.

464 B De ratione qua se ipsum curaverit sanaveritque Fundanus et alia et haec narrat:

ἐπῄνουν δὲ κἀκείνας ὡς οὐκ ἀχαρίστους οὐδ' ἀΦιλοσόΦους τὰς ἐν εὐχαῖς ὁμολογίας, ὁμιλίας ἀΦροδισίων ἐνιαυτὸν ἀγνεῦσαι καὶ οἴνου.

Facessat hinc *ὁμιλίας* quod aut inepte repetitum est e praecedenti *ὁμολογίας* aut insertum a monacho qui de *precibus* aliquid legens intempestive memor fieret sacrae *contionis*. Corruptum praeterea *ἀχαρίστους* videtur, reponendumque *ἀχάριτας*. Etiam latine „elegans" saepe eodem fere sensu quo *sapiens* adhibetur.

Idem vitium in D recurrit ubi ira dicitur *πάθος* quod maximas fert perturbationes et poenitentiam *ἐΦ' ἡδονῇ μικρᾷ καὶ ἀχαρίστῳ*. Immo vero *ἀχάριτι*. Ulciscendi voluptas brevis est simulque *turpis*.

DE TANQUILLITATE ANIMI.

En librum qui quia olim revera *vixit*, nunc quoque vivere potest atque adeo immortalitate dignus videtur. Non docte hic de aliqua virtute disputatur, sed strenue datur opera ut certae cuiusdam virtutis certus quidam homo fiat compos. Homo vero ille sponte nobis notus fit ex iis quae ad eum scribuntur, atque

Digitized by Google

cur ea ad eum scribantur luce clarius nobis apparet. Quid enim intersit inter hodiernam librorum edendorum rationem atque antiquam, nisi aliunde notum esset, hinc discere possemus. Nunc quocunque nobis libro opus est facile eum parare nobis possumus, quamvis neque scriptoris neque libri ipsius notum habeamus nomen. Sed, quamquam raro id fit, fieri tamen potest ut id quod quaerimus omnino scriptum sit nunquam. Tum aut expectandum nobis est aut carendum. Meliore utebantur conditione veteres Graeci Romanique, praesertim qui paulo erant opulentiores. Quidquid legere volebant et de quacunque re, id ut scriberetur ipsi fiebant auctores. Atque aut praesentibus nummis scriptoris remunerabantur laborem studiumque, aut, quae maior merces, librum eius in multa describendum exemplaria et in lucem emittendum curabant. Et erant multi qui legere cupiebant, non solum ut doctiores verum etiam ut meliores fierent, neque deerant in utroque genere qui possent scribere id quod in rem praesentem faceret. Scribendo docebant „philosophi", sed magis etiam *mentium morbos* curabant scribendo et sic praesertim, ut ego opinor, quamquam et praesentia sua adiuvabant multos, insignem illam in vita hominum sibi parabant auctoritatem, quae quanta fuerit nemo Plutarcho melius docet. Hic vero libellus quin revera aegrum persanaverit non dubitamus, ergo nunc quoque utilis esse potest, iis praesertim qui illis laborant morbis, quos hoc tempore natos vulgo creditur, quorum hic unus tractatur curaturque. Quid enim rei est? Scriptus est Paccio cuidam, Paccius eum sibi expetivit, vir in urbe Roma non obscurus et laudis honorisque cupidus (v. p. 465 A; 467 D; 468 B C), sed apparitoribus utitur morosis, difficilibus, querulis, contumacibus; hoc eum tam sollicitum anxiumque reddit ut efficaci sibi opus esse remedio sentiat ne prorsus impar fiat muneri, quo fungitur, vel etiam incidat in morbum gravem et exitiosum. Atque illud a Plutarcho petit, qui quam praeclare mentium medici [1]) fungeretur munere nunquam certius dedit documentum, quam cum hunc ad eum mitteret libellum, e quo sero nata posteritas quoque totam illam artem virosque egregios, qui se ei olim dederunt, potest cognoscere.

1) Ipsa verba ψυχῆς ἰατρός hic leguntur p. 465 D.

Digitized by Google

Quem civium meorum, tam qui Graece scirent quam qui nescirent causa, quam accuratissime elegantissimeque potui in vernaculum sermonem transtuli [1]). Nunc eos, qui hasce annotationes lecturi sunt, a Plutarchi libello recentes fingo cumque iis primum de tota eius natura atque indole pauca quaedam disputo.

Quam admirabilis quamque fidelis mentium medicus fuit Chaeronensis ille! An potuisse eum sic scribere opinamini, nisi perpetuo totam mentem suam intentam habuisset *aegrorum* suorum saluti, tam eorum a quibus consultus iam esset quam omnium illorum qui posthac ab ipso consilium, solatium, auxilium essent petituri? Immo vero persuasum nobis habere possumus Plutarchum quidquid faceret, loqueretur, legeret, audiret, illos semper ante oculos habuisse et in tempore dedisse operam ut iis auxilio venire posset, si res ita postularet statim. Domi suae armarium habebat in loculos divisum plenumque sententiarum, narratiuncularum, praeceptorum quae, suo quodque tempore, aliquam habere possent utilitatem. Non arida atque exsanguis ibi iacebat doctrina, sed viva vitamque datura erat condita sapientia, quam homo hominum amans collegerat disposueratque, quique eam collegerat disposueratque, qua erat prudentia et comitate, quovis erat paratus tempore ad promenda ea unde componeretur medicina cuique maxime profutura morbo. Et quam bene medicus ille cuiusque morbi perspiciebat naturam! Quanta arte — si ars dici potest innata homini virtus, quae nil humani a se alienum putat — repraesentare sibi poterat cuiusque aegri conditionem, ita ut eius dolores penitus sentiret ipse! Quam bene ad eum ab ea parte, unde oportebat, accedere poterat, ita eum erigere ut nullo afficeret dolore, parcere ei simulque morbi aperire naturam, adiuvare hominem neque tamen ita alere eius desidiam, mollitiam, inertiam ut de *suis* disperaret viribus. Patris simul utitur voce consolantis, magistri docentis, amici sustentantis, a solita abducentis tristitia, lenemque interdum excitantis risum. Quibus molestiis laboret Paccius sic sentit, tamquam si ipse in iis versaretur. Ad altiorem adscendere locum homo ille ardenter cupit et strenue dat operam; ut admittatur

1) „De Avondzon des Heidendoms" editionis secundae vol. I p. 181—160.

Digitized by Google

ad aulam principis, magistratum obtineat, ipsum, si fieri potest, principem sibi reddat amicum et suffragatorem nunquam remittit cessatve, immo in dies fit cautior diligentiorque ne sua quidquam eveniat culpa quod aut ut „frigore feriatur potentium" efficiat, aut quod a severissimis censoribus vel leniter possit reprehendi. Sed munus quod ei est mandatum non difficillimum solum est, sed suas sibi habet molestias, plerisque aliis hominibus ignotas; utendum in eo est non prudentia solum curaque sed etiam calliditate quadam atque interdum dolo; commissa ei est aut securitas publica aut pars pecuniae publicae; apparitoribus ergo opus est quibus notae sint arcanae illae semitae quibus investigantur impostores et malefici, adiutoribus quorum ipsorum vita non sit ab omni labe pura. Si, quod ego suspicor, pars quaedam veteris aedilitatis erat commissa Paccio, eam partem dico quae ad securitatem pertinebat urbis, haud parvis praeerat copiis eiusmodi militum, ad suam rem gerendam satis aptorum sed qui interdum et ducibus suis exhiberent molestias. Nam aurea illa Romani imperii aetate, cuius nihil tam laudari solet quam ipsa illa securitas publica, quin ipsius urbis „politia" egregie fuerit instructa non est quod dubitemus. „Quid queruntur homines de hodierna rerum conditione" multo post Plutarchum rogat Plotinus „nonne multae adsunt res quibus gloriemur .... nonne puniuntur mali?" [1]) Haud iniuria hoc ei certissimum videtur aureae cuiusdam aetatis signum; quod si illius tempore omnium oculos in se convertebat, Traiano imperante non defuisse credo. Sed, quidquid est, Paccius praeerat hominibus molestis sed quibus carere non poterat; hi eum sollicitum reddebant, nam non solum morosi erant sed et contumaces; neque solum magistro suo dicto audientes non erant sed saepe suam calliditatem in illum convertebant. Quid mirum si tandem animus Paccium deficiebat, si muneris eum taedebat, si insomnia laborabat, si quivis eum terrebat salutator, nuntius, epistola, denique si corpore et mente se aegrotare sentiebat? O bene, quod in tempore Chaeronensis ei medici in mentem veniebat, qui quantum sua valeret arte aut expertus erat aut ab

1) Enn. II, 9 (apud Volkmannum vol. I p. 196 l. 5 sq. Cf. et p. 520, 17 de *carnificis* utilitate).

Digitized by Google

expertis audierat. Neque eum spes fefellit; inde enim, idque statim, accipit id quo ei opus est. Primum certior fit praeclarum illum mentium medicum sincera sui tangi misericordia. Nam ut Chaeronea a se proficiscatur Romam nuntius qui nil boni apportet Paccio, viro illi tam gravi laboranti morbo, hoc a se impetrare non potest Plutarchus; ergo, quamvis urgeat tempus, Paccio paretur medicina: parata iacent omnia unde illa componatur, et quid quantumque inde sit sumendum novit dominus. Solatium mittitur sed additur admonitio ne res ad hanc vitam et ad hominum reipublicaeque conditionem pertinentes nimis magni faciat. Multo vero maxime Paccius id facere vetatur quo facile decurrunt homines, qui iisdem quibus ille conflictantur molestiis, ut aut, matura iam aetate, ad alios transeant labores, aut ad vitam privatam tamquam ad portum confugiant. Ingratus esset Paccius, si idem faceret: an obliviscitur quam multa bona ei contigerint in clamosa illa urbe? Hospes qui ibi per colles illos reptat et saepe frustra viam quaerit, quo pretio Paccius esse vellet, vir ille ubique notus civibus, quem verentur multi et suspiciunt. Si in se ipso non satis habet praesidii Paccius, illos respiciat quorum durior sors. Sed ante omnia semet sic exhortetur: non desperabo, sed omnes intendam vires ut ad propositum perveniam finem; id tamen nullis nisi *bonis* artibus: nam mentiri, fallere, dolis malis uti neque volo neque possum.

Atque haec ei praecepta dantur non ab arrogante et tristi magistro, qui de sua arce Paccium despiciat. Immo vero semper semet ipsum iis adnumerat qui monendi sunt corrigendique. Quid quod ipsa monentis vox tristem potest excitare. Multa audit Paccius quae post longum intervallum risum ei excutiant. Nonne enim lepidae sunt illae historiolae de Diogene, Socrate, de viro pro cane novercam percutiente? Nonne iam etiam de molesto illo munere suo cum leni quodam poterat cogitare risu cum homines illos, qui ipsi tanta exhiberent negotia, comparari videret cum instrumentis quibus utuntur *dentium* medici, quae ideo tantam habeant utilitatem quod tam sint tortuosa, incurva, acuta, seque ipsum cum eiusmodi medico, qui quamvis sit utilis laborantibus crudeli illo dolore, tamen ut ultro ab hominibus expetatur nunquam postulabit.

Digitized by Google

Et est Paccius orator amansque literarum. Nonne qui ei aliquid ex illis profert similis est prudenti illi viro, qui cum amicum offenderet graviter iratum, statim eum placaret conversis in gemmam quandam oculis, quam ab illo maximi fieri cognoverat. Hic vero legenda praebentur Paccio multa quae ei cordi esse debeant, quaeque simul quam maxime huius sunt temporis. Egregius profecto hic mentium medicus est qui liberis orbum solatur exemplis Romuli et Numae Pompilii, qui et ipsi orbi sunt mortui. Nihil illis ex antiqua historia exemplis notius viro in republica versato atque etiam, ut opinor, in Livio, Virgilio, Varrone! Quam praeclare hic inter se opponuntur Perseus, qui ideo miser est dicendus quia imperium amisit necopinato et Aemilius Paulus qui libenter suum imperium deposuit quia annuum illud esse multo ante noverat. Quis unquam aptiorem suo proposito ex Homero attulit locum quam Plutarchus narrans quando Ulysses immotum servarit vultum et quando in fletum eruperit.

Denique non est in philosophiae historia hospes Paccius. Possuntne non movere eum praecepta illa de contemnendis rebus ad externam hominis pertinentibus conditionem; nonne confirmabit eum conscientia virium illarum, quae in mente sua nunc lateant fortasse sed in lucem protrahi et possint et debeant? Et cum tandem ad praeclarum illum pervenit locum de vita hominis, Dei templo, in quo mortalibus versari non liceat nisi vultu hilari et animo grato, nonne tum se erigit et bonae spei plenus curriculum suum currere pergit?

„At haec omnia Plutarchus compilavit ex ....“ Facesse hinc moleste interpellator, meque Plutarchum meum intelligere id est admirari patere.

De ipso Paccio haec addo; 27es illud nomen in inscriptionibus legitur, sed nulla earum quidquam nos docet de maiore aliquo magistratu quem *noster* gesserit Paccius. Non videntur fuisse homines magnae in republica auctoritatis. Antiquissima inscriptio (anni 66 a Chr.) commemorat L. *Lutatium Paccium thurarium de familia Reg. Mitredates.* Neque *senator* ille Paccius Africanus, qui a. 70 tamquam qui delator fuerit imperante Nerone, senatu movetur neque Corbulonis centurio Paccius Orfitus, qui pessime rem gessit, magnopere gentis augent decus. Hoc quoque accedit

Digitized by Google

quare nostrum Paccium de *plebe*, honestiore quidem sed de plebe tamen, fuisse credam: Eros ille Plutarchi vicarius nuntiusque ab eo mittitur ad Minucium Fundanum sed *ὁδοῦ πάρεργον* ad aegrotantem Paccium suam sibi affert medicinam.

Deinde ad singulos aurei libelli locos haec adnoto et viris doctis perpendenda trado; pauca — nam admodum integer ad nos pervenit —, neque tamen prorsus spernenda.

464 F „Literis tuis" sic in libelli legitur initio
παρεκάλεις περὶ εὐθυμίας σοί τι γραφῆναι.
Nisi vitio laborat vox ultima, rarior hic *passivi* usus.

465 A „Gratulor tibi", sic prudens noster medicus admonendi initium facit aegro *laudando*, quod
τὸ τοῦ τραγικοῦ Μέροπος οὐ πέπονθας, οὐδ' ὡς ἐκεῖνον
εὐδαιμονίζων ὄχλος ἐξέπληξέ σε
ἀλλὰ πολλάκις ἀκηκοὼς μνημονεύεις ὡς οὔτε ποδάγρας ἀπαλλάττει πατρίκιος κάλλιτος [1]) *οὔτε δακτύλιος πολυτελὴς παρωνυχίας οὔτε διάδημα κεφαλαλγίας.*
Egregia haec, sed ad *ποδάγρας* sequentesque genitivos annotavit aliquis *τῶν Φυσικῶν παθῶν*, quae vocabula statim post tragici versum *in textum recepta* omnia corrumpunt. Etenim *hominum ὄχλος* nobis cogitandus est.

465 B Nulla est divitiarum, gloriae, dignitatis utilitas
ἂν μὴ τὸ χρώμενον εὐχάριστον ᾖ τοῖς ἔχουσι καὶ τὸ τῶν ἀπόντων μὴ δεόμενον ἀεὶ παρακολουθῇ.
Plutarcheus hic participii pro infinitivo usus et metus hiatus totam sententiam paulo impeditiorem reddidit. Quivis alius haec sic enuntiasset: *ἂν μὴ παρῇ τὸ εὐχαρίστως τοῖς παροῦσι χρῆσθαι καὶ παρακολουθῇ τὸ μὴ δεῖσθαι τῶν ἀπόντων.*

ib. Oportet *τὸ ἄλογον τῆς ψυχῆς*
μὴ περιορᾶν ἀπορρέον καὶ κατεφερόμενον ὑπὸ τῶν παρόντων.
Pro *ἀπορρέον* equidem aliud compositum (*προρρέον* v. t. a.) exspectaverim.

---

1) Hanc vocem *addendam* praecedenti ego censeo, non (cum X) pro ea reponendum.

Digitized by Google

465 C *τὰ τῆς ψυχῆς διαγριαινόμενα καταπαῦσαι ῥᾳδίως οὐκ ἔστιν ἂν μὴ κτὲ.*

Hiatus vitandi causa istud *ῥᾳδίως* insertum videtur, nam structura sententiae elegantior fieret si abesset; neque *ῥᾴδιον* ibi legi vocabulorum sinit dispositio.

ib. Malus est medicus qui cuivis aegro praescribit

μέν', ὦ ταλαίπωρ', ἀτρέμα σοῖς ἐν δεμνίοις

ait, et cur ita sibi videatur sic docet: *κακὸν μὲν ἀναισθησίας σώματι Φάρμακον ἀπονία.*

Alius morbus hic, ut opinor, requiritur; legendum *ἀσθενείας*, nam *robustius* fit corpus intendendis viribus, non sic *ἀναισθησία* curari potest.

465 E *ἐνίους δὲ καὶ τὸ μὴ πράσσειν αὐτὸ πολλάκις εἰς ἀθυμίαν καθίστησιν.*

Legendum esse *τὸ μηδὲν πράσσειν* docent et sequentes versus Homerici de Achille otiose desidente et philosophi praeceptum *μὴ πολλὰ πρήσσειν* quod 465 C legitur et hic refutatur.

466 A *τῶν γὰρ καλῶν ἡ παράλειψις οὐχ ἧττον ἢ τῶν Φαύλων ἡ πρᾶξις ἀνιαρόν ἐστι καὶ ταραχῶδες, ὡς εἴρηται.*

Excidit, ut opinor, *auctoris* nomen, nam ab ipso Plutarcho haec sententia nondum est pronuntiata.

466 F Diogenes cum venum ibat assurgere nolens sic, ut opinor, praeconem ludibrio habuit: *τί δ' εἰ ἰχθῦν ἐπίπρασκες;* non, ut traditum est, *εἰ δ' ἰχθῦν ἐπίπρασκες;*

468 D Si res humanas recte consideraveris

ἐπιλήσῃ πολλὰ λυπηρὰ συνάγων.

Recte editor pro primo vocabulo *παύσῃ* coniecit.

ib. Sub sole nihil novi esse nusquam magis apparet quam in iis quae nunc sequuntur de philosophis misericordiam poenitentiamque proscribentibus. Fuerunt ergo Nitzscheiani multis ante Nitzscheum saeculis. Nisi quod praeclarae illius sapientiae qui nostra aetate extitit auctor *simulandam* esse misericordiam docuit.

Digitized by Google

468 E et 469 A et multis aliis locis, quos posthac indicare supersedebo, semicolis suis molestias nobis exhibent editores: virgula opus est ante *σκόπει* et ante *τὴν δὲ διάνοιαν*.

469 D *περὶ ἓν ὀχληθέντας* L. *περὶ ἓν ἐνοχληθέντας*.

470 C Citatis versibus *οὔ μοι τὰ Γύγεω κτέ*. haec subiicit *Θάσιος γὰρ ἦν ἐκεῖνος*, quae sic accipit W.: „dixeris: Thasius ille poeta fuit" et egregie hoc sequentibns aptum est. Tamen mihi istud *Θάσιος* corruptum videtur: de *Pario* enim poeta sermo est.

470 D Sapiens suam praedicat felicitatem
ὅτι μυρίων μυριάκις ἐν τοσούτοις εὐδαιμονέστερον ζῇ.
Sententia perspicua, sed verba aliquam contraxisse labem videntur. Recte similia ponuntur *de Fraterne amore* p. 485 C *πολλάκις πολλῶν ἀπολείπεται καὶ μυριάκις μυρίων*.

471 D *οὐδ' οἷς δαίμων οὐκ ἐναντιοῦται μοχθηρός κτέ*.
Primam vocem Naberus delet; dubito, nam sententia haec esse videtur: *neque omnino* hi infelices sunt, quibus non adversatur malus aliquis genius sed sua ipsorum stultitia.

474 C *ἀλλὰ καὶ πλοῦτος εὐφραίνει καὶ δόξα καὶ δύναμις καὶ ἀρχὴ* [*καὶ*] *μάλιστα τοὺς ἥκιστα τἀναντία ταρβοῦντας*.
Voci inclusae nullus hic locus.

475 A Praeclare hic docetur et aptissimis illustratur exemplis haud esse difficile in malo quod exspectaveris placidum esse, sed difficillimum sibi in inexspectato dolore imperare. Sed unum exemplum misere est corruptum:
ὁ μὲν γὰρ Ὀδυσσεὺς τοῦ μὲν κυνὸς θανόντος ἐξεδάκρυσε.
Non adeo fuit et in Homero et in Graeco sermone hospes Plutarchus ut hoc scribere posset. Quis enim Graece unquam *θνήσκειν* pro *ἀποθνήσκειν* in pedestri scripsit oratione? Deinde utique requireretur *ἀποθνήσκοντος*, nam non mortuus erat canis sed eo tempore moriebatur. Et ne illud quidem verum esset: moriebatur canis cum post colloquium cum Eumaeo se ab

Digitized by Google

eo dominus avertisset et aedes intrasset. In lacrimas multo ante eruperat Ulysses cum

οὐρῇ μέν ῥ' ὅ γ' ἔσηνε καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.

Possum hic „probabilitatem palaeographicam" auxilio vocare, possum multa docte disputare de literae θ „pronuntiatione". Sed talia non curo: mihi satis est pro certo scire Plutarchum non θανόντος scripsisse sed .... σαίνοντος.

476 B. ὁ δὲ τὴν τῆς ψυχῆς Φύσιν ἀμωσγέπως ἐπινοῶν magnum habet mortis solatium, unde vitae nascitur tranquillitas. De verbo ἀμωσγέπως dubito.

DE FRATERNO AMORE.

Egregie libellus *de tranquillitate animi* quomodo antiqui mentium medici munere suo fungi sint soliti docet; hic vero totam rem nobis tamquam in tabula picta proponit. Quod optime, ut opinor, apparebit si in universum breviter de eo disputabo et in paucis quibusdam locis, qui praecipue eo faciunt paulo diutius subsistam.

Scriptus est, non ut ille, ad unum hominem sed ad duos; non tamen ut ab illis solis legeretur, immo vero ne ab illis quidem magis quam a ceteris hominibus omnibus. Sunt iis nomina Nigrinus et Quintus; sic certe tradita sunt, sed dubium non videtur quin pro altero *Quintius* sit legendum. Uterque hoc tempore Romae magna florebat dignitate. Siquidem apud Macrobium (VII, 3, 15) legimus de Quinto (i. e. Quintio) quodam qui Domitiano imperante in provincia, cui praetor praeesset, insigne fuerit exemplum innocentiae et integritatis. Non potest hic diversus esse ab illo viro cuius nomen apud Plutarchum (Q. C. II, 5) latet sub absurdo illo Κυητοῦ, nam utrobique iisdem fere verbis hoc datur eius probitatis argumentum quod eum *per risum iocumque* sic refutare quivis potuerit: „quid mirum te ita loqui qui provinciam tuam tantopere diripueris", quoniam quicunque hoc diceret certo scire posset ne umbram quidem dubitationis oborituram Quinto quin prorsus contrarium cogitaret ille. Ad Nigrinum quod attinet, in promptu est coniicere eundem eum esse atque Avidium Nigrinum proconsulem,

Digitized by Google

quocum per literas de re gravissima egit Domitianus (Plin. Epl. X, 65 sq.). Ergo et hic eo tempore vir fuit amplissimus.

Sed de his rebus vix ulla videtur esse inter viros doctos controversia.

Sunt autem *fratres* Quintius et Nigrinus. His suum *de fraterno amore* dedicat libellum Plutarchus lepidissima urbanissimaque hac usus praefatione:

„vetusta illa in Castorum honorem posita donaria Spartani δόκανα appellant: duo sunt ligna aequali inter se distantia spatio et duobus lignis transversis iuncta; solida ea iunctura quin fraternam horum deorum significet amorem dubium non est. Sic nunc ego vobis, Quinti et Nigrine, meum dedico de fraterno amore libellum; decet hoc vos donum, nam est commune utrique. Intelligent enim homines vos non tam ad illam incitari virtutem quam proponi tamquam exempla hominum qui eam colant; vos vero ea re, qua natura duce tam feliciter utimini, ita iam delectabimini ut constantissime in ea perseveretis; sic innata vobis virtus in virtutem convertetur cuius vobis ratione [1]) sitis conscii, cum plaudi vobis videatis a peritis et idoneis spectatoribus".

Quantopere laetatos esse viros illos amplos hac censeamus allocutione, quantoque eos studio functos esse honestisssimo *editorum*, quod sibi a clarissimo philosopho Chaeronensi mandari viderent, munere! Scriptor autem quamvis non plane spreverit neglexeritve lucrum quod ipsi aut statim aut postea allatura esset praeclara illa magistratuum Romanorum de suo opere sententia, hoc tamen praecipue eum spectasse persuasum nobis est ut liber tam utilis legentibus quam plurimorum persolveretur et tereretur manibus. Neque est cur dubitemus quin illorum omnium salus magis ei quam sua gloria cordi fuerit.

Scriptus autem libellus est ut *legeretur* ab iis qui mores suos emendari cuperent. *Orationis* in eo nulla deprehendis signa; nullus locus ita est elaboratus ut ipso sono blandiatur auribus, nulla pars clauditur „peroratione" aequabiliter in cola et commata divisa. Quod ornamenti genus cum ad *dicendum* prodit

1) κρίσις officii ratio philosophica; cf. *de Garr.* 510 D: „affectus nostros vincimus κρίσει καὶ ἀσκήσει".

Digitized by Google

Plutarchus non magis spernit quam quivis de vulgo oratorum. Vix ullus Plutarchi liber tam subito abrumpitur. In fine enim haec legimus (demonstratur amorem inter fratres sororesque vix ulla re confirmari magis quam amore erga fratrum sororumque *liberos* testificando):

„Leucothea, Semele sorore mortua, filiolum eius Bacchum educavit secumque simul inter deos retulit. Quapropter et matronae Romanae, in Leucotheae, quam Matutam vocant, feriis non suos sed sororum suarum filiolos amplexantur osculanturque".

Ubi satis sibi videtur dedisse praeceptorum exemplorumque, „haec omnia si homines observabunt bene est" ait Plutarchus et manum de tabula tollit.

Et tamen quam aureus est ille libellus! Limpidi instar rivi profluit, perspicuitate et orationis nitore inter omnia Plutarchi scripta eminet. Quantam docendi habent vim praecepta, quam commovent animos exempla! Et alibi ea inveniri, etiam apud ipsum Plutarchum, haud infitior — semet ipsum compilare non veretur medicus hic de sola aegrorum suorum salute sollicitus. Quid quod non omnia eius scripta iisdem sunt destinata hominibus. Sed quanto hic omnia splendent lumine, quam sunt efficacia et proposito suo apta. Exempli causa affero narratiunculam illam de Pittaco, quam legere non potes quin tibi oboriantur lacrimae. Essetne aliquid ei opum rex rogaverat; respondit philosophus: „altero tanto opulentior sum, rex, quam esse velim: unicum enim fratrem amisi".

Hoc tamen maximum momentum pretiumque libelli nostri quod hic illic cum totam Plutarchi vitam tum curandarum, qua fungebatur, mentium artem ipsam nobis ponit ante oculos.

Nigrino Quintoque Plutarchus — nisi id iam sciremus, libellus iis dedicatus docere nos posset — amicis utitur; artiore tamen cum iis vinculo iunctus est Plutarchi fratrer Timo; quodque de fratre illo cognitu dignissimum apud Plutarchum invenimus id (quis hoc miretur?) in nostro *de fraterno amore* legitur libello. Velut c. 16 sic scribit: „cum multa egregia a fortuna acceperim, quae grato recordor animo, omnium instar [1]) et

1) Graece: πρὸς ἅπαντα τἄλλα καὶ γέγονε καὶ ἔστι. Hunc praepositionis usum nullo nunc alio possum illustrare exemplo. Tamen hic esse sensus debet. Wytten-

Digitized by Google

semper fuisse fratris mei Timonis benevolentiam et nunc etiam esse, nemini ignotum est, minime vero vobis, qui quotidie eius utimini familiaritate".

„Instar omnium et semper fuit et nunc etiam est" et „vos, proceres Romani, qui Timonis utimini commercio". Ergo Romae [1]) nunc Timo est et iam diu fuit. Cum uxore Aristylla — quemadmodum iam vidimus — inter illos versatur viros qui tunc Romae dignitate, ingenio, doctrina excellebant, Tacitum, Plinium alios. Sed quo labore, quo munere ibi fungitur? In promptu est, ut opinor, coniicere eum explevisse locum quem anno 92 vacuum suus frater reliquerit: docere eum, praecepta dare, quotidie consuli ab iis quibus solatio curaque mentis opus est. Pauca quaedam in libello nostro leguntur quae, dummodo accurate perpendantur, singularem quidem sed minime incredibilem in modum quae inter hos fratres intercesserit ratio nos doceant. Velut p. 478 F sic scribit Plutarchus:

„Hoc, ut opinor, cuivis apparet naturam ex una origine binos ternos pluresve procreasse fratres non discordiae causa, neque ut inter se repugnarent, sed ut eam ipsam ob causam quod separati essent alter alteri opem ferre possent. Nam tricorpores illi et centimani, si fuerunt unquam, quandoquidem omnibus erant inter se concreti membris, nihil poterant agere foris et seorsum. Et hoc praecipue illud est quod fratres habent: possunt alter pro altero [2]) domi manere et peregre versari, capessere rempublicam et agrum colere, dummodo principium caritatis quod innatum iis est servent".

Bono auditori dimidium verbi sufficere proverbium est inter nostrates. Hic vero non dimidiata habemus verba sed quam maxime integra, quaeque prave, vel minus accurate, accipere difficile est. Ipsum illud: „fratres possunt alter pro altero vel

---

bachius et in lexico et in calce paginae sic vertit: „instar omnium est". Est tamen locutio quae admirationem movet: *α πρὸς β μέγα (μικρόν, οὐδέν) ἔστι* hoc quid sit quivis perspicit: in *α πρὸς β ἔστι* id ipsum omittitur quod prae ceteris requiritur. Vitium latere non putaverim. Traditam enim lectionem aliquatenus tuetur id quod est loco notissimo apud Demosthenem or. XIV p. 185 (quamquam non prorsus idem ibi habes): *ὁρᾶτε τὴν πόλιν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι πᾶσαν ταυτηνί. ἐν ταύτῃ χρήματ' ἔνεστιν ὀλίγου δέω πρὸς ἁπάσας τὰς ἄλλας εἰπεῖν πόλεις.*

1) Ipse Plutarchus Chaeroneae est, cf. 479 E *ἐν Ῥώμῃ* et 484 A *παρ' ἡμῖν.*

2) Gr. *δι' ἀλλήλων.*

Digitized by Google

domi manere vel peregre versari" clare et lepide depingit nobis qua ratione illius aetatis philosophi artem suam exercere sint soliti. Si licet paulo familiariori sermone hic uti — non quod debitae sim reverentiae immemor id facio, sed quo melius ipsa res cognoscatur —: frater maior Romae negotium condidit et diligentia sua atque rerum usu effecit ut floreret illud et multos homines sibi teneret devinctos; sed iam dives rus habitatum concedit negotiumque gerendum fratri relinquit, qui nunc sibi inde victum quaerit dum tamen ipsum negotium eius qui condidit nomine appellari pergit, hoc enim praecipuum eius est ornamentum.

An parum dignum hoc exemplum re de qua igitur? Utar alio, minus quidem pervulgato sed quod proprius ab illa abest. Frater maior in magna aliqua consedit urbe ad certum quoddam morbi genus curandum; favit ei Aesculapius, in dies maior ad eum accessit aegrorum numerus ita ut tandem aliquando aedes eius nosocomii instar factae sint; post aliquot annos a quotidiano illo labore se abdicavit; frater, quo iam multo antea adiutore uti coepit, negotii curam in se recipit, tamen nosocomium illud nomen suum, quod a praeclaro illo accepit conditore, retinet, et, si gravior aliquis incidit casus, paratus ille est ad consilium dandum. Non est quare dubitet aeger quisquam ad successorem illum se conferre: eadem semper ibi est curandi ratio et, si non corpore, animo semper adest prior dominus.

En exemplum rei ipsi quam maxime accommodatum. Levequius, cum *mentium medicum* Plutarchum appellaret, acu eam tetegit. Non ornamenti tantum gratia hoc Plutarcho nomen dari posse, sed totum, quo ille fungebatur, laborem simillimum ei fuisse quo hac aetate corporum funguntur medici mox demonstrabo, immo vero tabula quadam proposita ostendam. Sed prius pauca quaedam dicam de ratione quae inter Plutarchum fratremque et liberos eius intercessit, loco usus qui egregie demonstrat duas in Plutarcho fuisse praecipuas virtutes quibus mentium medicus prorsus carere non possit: usum hominum dico et animi clementiam.

Quondam amicus quidam senior mihi narravit de quodam suo amico seniori, qui in re gravissima verbis usus esset et prudentissimis et ad hominum animos commovendos aptissimis.

Digitized by Google

Senex ille duos habebat filios nondum adultos, cumque sibi finem adesse sentiret, sic cum familiaribus saepe loquebatur: „puerorum istorum causa doleo quod mox eos sim relicturus solos .... patruum enim non habent". Timonis vero filii — fac enim illum priorem e vita excessisse — egregium habebant patruum. Quodsi Timo fratri supervixit, bene huius filiis consultum fuit, si patruus fideliter defuncti patris praeceptis obtemperavit. An unquam quidquam de tota hac re praestantius scriptum est quodque melius demonstret quam egregius vir fuerit is qui scripsit et quam bene mentes hominum haberet perspectas quam hoc (p. 491 E. F):

„erga fratris liberos aeque benevolum atque erga suos esse oportet, sed etiam leniorem clementioremque ne si, ut solent adolescentes, peccaverint patris matrisque metu aufugiant, seque ad alios convertant, qui illorum salutem non curant atque adeo longius etiam eos a recta abducunt via, sed et perfugium habeant ad aliquem qui et benevole moneat et ut a parentibus veniam impetrent efficere possit"?

Quodsi quis ipsum illius aetatis mentium *medicum*, dum artem suam exercet vult deprehendere et contemplari, capitis *quarti* legat narrationem (p. 479 E sqq.). Atque primum accurate consideret ipsa a quibus incipit verba: „memini me Romae curandos recipere duos fratres" *ἀναδεξάμενον δίαιταν*. Nonne sic etiamnunc loquuntur medici de aegris quorum corpora curarunt? At hi Plutarchum adierant, vel a parentibus missi ad eum erant, non propter vitium corporis aliquod subitumve morbum, sed quia frater fratrem suum ferre non poterat. Audiamus nunc quomodo eos aggressus sit Plutarchus, certe alterum eorum. Philosophiae ille sibi operam dare videbatur, verum, ut Plutarchi verbis utar, malus erat frater sed non melior philosophus. Videtur fuisse homo qui semper deorsum spectaret, sublimiora curaret nihil, nam a Plutarcho admonitus ut fratre suo uteretur ita ut philosophum uti decet homine qui non philosophus quidem sed frater sit responderat: „profecto non est philosophus iste et quod iisdem natus est parentibus id vero minime me movet", atque illud *iisdem natum esse parentibus* spurcissimis et obscenissimis enuntiaverat verbis. Tum eum Plutarchus hisce corripuerat verbis:

Digitized by Google

„fortasse te omnino non movet quod ullis sis parentibus natus. Ceteri mortales omnes, licet quid illud sit parum intelligant, dicunt tamen canuntque et naturam et leges, quae naturam defendunt, post deos summum tribuere honorem parentibus. Neque quidquam dis immortalibus gratius homines facere possunt quam cum pignore reddere parentibus educatoribusque quae ab iis acceperunt amoris et benevolentiae testimonia; neque ullum est certius impietatis documentum quam si quis in parentes suos commisit aliquid vel negligentiorem se adversus eos praestitit. Ergo tantummodo leges vetant aliis nocere, qui vero non semper stat paratus ad quidvis faciendum dicendumve quod patri vel matri gratum sit futurum, etiamsi nullo eos afficit dolore, hunc omnes impium putant et ipsius religionis adversarium. Et possuntne quidquam liberi vel facere vel sentire quod maiore possit afficere gaudio parentes, quam fratres suos sincera firmaque prosequi benevolentia?"

En hoc est *aegrum curare*! Nonne nunc plane perspicimus quae sit verborum illorum, quae ex *vita Demosthenis* tam saepe citantur, quaeque semper omnibus, qui de Plutarchi vita egerunt, tanti momenti iure visa sunt, sententia? Illa volo verba: „homines qui Roma me *philosophiae causa* adierunt". Non hic intelligendi sunt homines *doctrinae* cupidi, qui logices vel dialectices quaerebant magistrum. Ne quid dissimulem, harum artium alii erant iis quaerendi magistri, a Plutarcho admodum diversi. Sed intelligendi sunt parentes qui vitia quaedam deprehenderant in praetextatorum suorum filiorum mentibus. Horum certe maximus erat numerus. Sed et adulti ad eum sua causa venire solebant; homines qui inter se dissentiebant sed ea erant prudentia ut litem illam disputando finire mallent quam armis iudiciove; viri mulieresque quos dira per noctem perturbarent spectacula, qui mortem metuerent et inferos, monstra portentaque; atque etiam urbis curatores publicanique, quos muneris sui molestiae ad desperationem adigerent, quoniam addiscere artem non poterant apparitorum suorum regendorum, hominum calliditate sibi non minus molestorum quam muneri utilium.

Quam plenum fuisse eius putemus atrium sub tempus, quo celeberrimus ille medicus sui daturus esset copiam! Cum vero multos simul esset curaturus, id est cum oratione omnes esset

Digitized by Google

admoniturus qui verae essent cupidi sapientiae, quanta festinatione iam primo mane occupatas censeamus primores sedes in auditorio, quod philosopho aperuerat Mestrius Florus aliquis?

Profecto non est quod miremur Plutarcho *propter ingentem multitudinem, quae eum philosophiae causa consulere soleret,* defuisse tempus etiam accurate sermonis Latini discendi.

Iam ecquid in singulis locis quod inde protrahendum sit lateat videamus!

479 C Citantur hi versus e Menandro:

οὐκ ἐκ πότων καὶ τῆς καθ' ἡμέραν τρυφῆς
ζητοῦμεν ᾧ πιστεύσομεν τὰ τοῦ βίου
πάτερ; οὐ περιττὸν οἴετ' ἐξευρηκέναι
ἀγαθὸν ἕκαστος, ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν;

Singulari acumine Madvigius e verbis tantum non sensu cassis lepidissimam effecit sententiolam *interrogandi* illis addendo signo. Perficietur, ut opinor, emendatio, si pro τρυφῆς Grotii recipietur emendatio τροφῆς. Nunc quamquam ignoratur e qua illi versus sint sumpti fabula (ad *incertas* eos refert Meinekius), tamen fere quod illius fuerit argumentum efficere possumus, dummodo simul rationem habeamus alterius loci Plutarchei (de amic. mult. p. 93 C), unde discimus verba haec esse νεανίσκου. Ergo sic adolescentulus nescio quis patrem suum alloquitur: „nonne vides unumquemque sibi amicum quaerere et fortunatum sibi videri si vel umbram amici nactus sit? Sic fit ut saepe commoda nostra committamus hominibus quibuscum aliquamdiu sumus epulati." Sponte nunc haec sic supplemus: „et a me tu postulas ut illud multorum annorum vinculum rumpam." Iubetur ergo a patre filius missum facere aliquem quo diu amico usus est, quia ad inopiam est redactus ille, aut (et huc magis inclino) divortium facere cum uxore, quam amat et fidelem sibi iam per aliquot annos est expertus, quoniam aliam invenit pater dotatam nobilemque. Est ergo fabula simillima illi in qua pater filiam iubet maritum suum missum facere, e qua nobis servatum est fragmentum illud ὦ πάτερ ἐχρῆν μὲν οὖς ἐγὼ λόγους λέγω, τούτους λεγειν σέ κτἑ., quod nostra aetate in lucem est protractum.

Digitized by Google

480 A Ceteris omnibus tantummodo male facere vetamur
μητρὶ δ' αὐτοῦ καὶ πατρὶ τὸ μὴ παρέχειν ἑαυτοὺς δρῶντας ἀεὶ καὶ λέγοντας ἀΦ' ὧν εὐΦρανοῦνται
impium videtur.

Aptissime haec corrigit editor Graecus *ἑαυτούς* delendo et *αὐτούς* legendo pro *αὐτοῦ*, cui nullus hic locus.

480 B Summam parant felicitatem parentibus filii
ὅσον ἡ Φύσις τοῖς σώμασι διέστησεν ἐπὶ ταὐτὸ τοῖς πάθεσι καὶ τοῖς πράγμασιν ἀποδιδόντες.

Corrupta haec non videtur persanasse Wyttenbachius pro ultimo vocabulo *ἐπιδιδόντες* vel *ἀπονεύοντες* coniiciendo. Requiritur fere: *τοῦτο .... ἀναπληροῦντες*. Corpore disiuncti sunt fratres, sed, si boni fratres sunt, illud spatium supplent affectibus actionibusque.

480 D *χαλεποὶ πόλεμοι γὰρ ἀδελΦῶν*
ὡς Εὐριπίδης εἴρηκεν, ὄντες, χαλεπώτατοι τοῖς γονεῦσιν αὐτοῖς εἰσιν.

Immo vero *αὐτῶν*.

480 F Ioculare est *ἔτυμον* in hisce:
Μουσῶν .... ἃς ὁμοῦ δι' εὔνοιαν ἀεὶ καὶ ΦιλαδελΦίαν οὔσας οὕτως ὠνόμαζον.

Μοῦσαι = *ὁμοῦ οὖσαι*. Sed non grammaticam spectat philosophus noster verum morum emendationem.

ib. Amoris erga parentes praeclarum documentum est amor erga fratres; idem ille adversus liberos egregium est *δίδαγμα καὶ παράδειγμα ΦιλαδελΦίας·*
καὶ τοὐναντίον αὖ πονηρὸν ὥσπερ ἐξ ἀντιγράΦου πατρῴου τὴν μισαδελΦίαν ἀναλαμβάνουσιν.

Non intellexit haec interpres qui sic vertit: „sicut ab altera parte pessimum mutuo odia gerendi studium iidem specimen parentum secuti suscipiunt? Dicuntur enim fratrum discordium filii illam discordiam tamquam *testamento* accipere, *πονηρὸν παράδειγμα μισαδελΦίας*.

Digitized by Google

481 C *αἱ μὲν ὑπὸ χρείας συνημμέναι φιλίαι κἂν διαστῶσιν οὐ χαλεπῶς αὖθις ἀναλαμβάνουσιν.*

Ultimum vocabulum „redintegrantur" vertit interpres. Mihi excidisse obiectum videtur quod responderit vocabulo *κόλλησιν* in praecedenti imagine.

481 E Discordes fratres ne amicos quidem et hospites communes habere volunt, *ἐχθρὰ πάντα τὰ προσφιλῆ τοῖς ἀδελφοῖς νέμοντες.*

νέμοντες pro *νομίζοντες* positum rarum apud Plutarchum.

482 A Qui eodem est patre eademque matre prognatus ei *καὶ τῶν ἁμαρτημάτων εἰκός ἐστιν ἐπιχωρεῖν ἔνια καὶ παρείκειν λέγοντα [πρὸς ἀδελφὸν ἐξαμαρτάνοντα]*

τοὔνεκά σ' οὐ δύναμαι προλιπεῖν δύστηνον ἐόντα.

Inclusa delet Wyttenbachius. Utinam semper sic sentirent editores quae verborum ubertas ferri possit, quae non possit!

482 F Oportet, cum frater in aliqua re fuit negligentior, *καιρὸν ἢ πρᾶξιν ἑτέραν ἢ τὴν φύσιν αἰτιᾶσθαι, ὡς μᾶλλον πρὸς ἄλλα χρησιμωτέραν καὶ σημνοτέραν οὖσαν.*

Pro *σεμνοτέραν* legatur *ἀνυσιμωτέραν*. Praeclara haec est emendatio Bernardakii cui nunc certatim maledicere solent viri docti.

ib. Continuo sequitur:

εὖ δ' ἔχει καὶ τὸ τοῦ Ἀγαμέμνονος, ὡς

οὔτ' ὄκνῳ εἴκων οὔτ' ἀφραδίῃσι νόοιο,

ἀλλ' ἐμέ τ' εἰσορόων καὶ ἐμὴν ποτιδέγμενος ὁρμήν

κἀμοὶ τοῦτο παραδοὺς τὸ καθῆκον.

Male ultima sic vertit interpres: „sibi hoc muneris a Menelao relictum dicens". Neglexit enim constantem Plutarchi usum verbis e poeta citatis statim sua annectendi. E proxima vicinia (482 A) hoc cito exemplum

τοὔνεκά σ' οὐ δύναμαι προλιπεῖν δύστηνον ἐόντα

καὶ φαῦλον καὶ ἀνόητον.

Ultima Plutarchi sunt, quae sicut nostro loco fratri alicui ex suis amicis praebet. Post *ὡς* aut excidit aut cogitatione est supplendum *ἐνέλιπες*.

Digitized by Google

483 B *γίγνεται δὲ κατήγορος ἀδελφοῦ σφοδρότατος πρὸς αὐτὸν ὁ προθυμότατος ὑπὲρ αὐτοῦ συνήγορος πρὸς τοὺς γονεῖς γενόμενος.*

Quam languida haec et tantum non vitiosa: quo enim modo istud *πρὸς αὐτόν* cum ceteris iungamus? Sed quam fiunt diserta si *κατήγορος ἀδελφοῦ* deletur: quo quis magis se strenuum praebuit in fratre apud parentes defendendo, eo potest esse adversus ipsum fratrem vehementior.

483 C Post patris mortem et aliis rebus benevolentiae mutuae documenta dare oportet fratres et *διαβολὰς ἑταίρων ἑτέροις αὐτοὺς προσνεμόντων ἀπωθουμένους.*

Sic B cum R. In codicibus est *ἑτέρῳ αὐτούς*, ante W. vulgo edebatur *ἑτέρως αὐτοῖς*. Parata emendatio; legatur aut *ἑτέρων ἑτέροις* aut *ἑταίρων ἑτέρων ἑτέροις*. Insidiosi illi comites, ut fratrum rixas provocent, se alii huic alii illi adiungunt. Sed ipsum vocabulum *comites* (*ἑταίρους*) significans hic non est necessarium.

483 E *οἱ δὲ καὶ τίτθας ἀποσπῶντες ἀλλήλων καὶ συντρόφους καὶ συνήθεις παῖδας ὑπερβαλλόμενοι τοῖς διωγμοῖς*

rem maximi pretii, fratrum amorem, amittunt.

Agitur hic de fratribus, post mortem patris bona eius inter se dividentibus. Ultimum vocabulum haud dubie corruptum est, pro quo quod dedit Emperius *διαλογισμοῖς* parum intelligo, neque editoris *διωσμοῖς* probo. Requiritur vocabulum quod „licitationibus" significet.

ib. *ἐνίους δὲ καὶ ἀκερδῶς φιλονεικίας ἕνεκα χρησαμένους τοῖς πατρῴοις οὐδὲν ἐπιεικέστερον ἢ λαφύροις ἴσμεν.*

Isto *ἀκερδῶς* carere malim.

484 B *ὁ μὲν οὖν Σόλων ἀποφηνάμενος περὶ πολιτείας, ὡς ἰσότης στάσιν οὐ ποιεῖ, λίαν ἔδοξεν ὀχλικός, ἀριθμητικὴν καὶ δημοκρατικὴν ἐπεισάγων ἀναλογίαν ἀντὶ τῆς καλῆς γεωμετρικῆς.*

Sincerum restituit sermonem Wyttenbachius *ὀχλικῶς* et *ἐπεισάγειν* legendo, quam emendationem editor ne commemorat quidem.

ib. Qui vero aut Platoni obsecutus „meum" et „tuum" tollit e republica aut certe monet ut „aequo" homines sint contenti

Digitized by Google

καλὴν κρηπῖδα καὶ μόνιμον ὁμονοίας καὶ εἰρήνης καταβαλλόμενός ἐστι.

Insolita etiam apud Plutarchum structura.

484 D Oportet fratrem qui supra fratrem eminet

ἐνδιδόντα καὶ συγκαθιέντα τῷ ἤθει τὴν ὑπεροχὴν ἀνεπίφθονον ποιεῖν.

Verba notata interpres sic vertit: *demittendo se placide.* Parum accurate, ut opinor. Oportebat fere: concedentem innatae adversus fratrem lenitati.

485 B Bonus frater saepe in rebus, in quibus excellit ipse, fratre adutore utitur et monitore:

οἷον ἐν δίκαις ῥητορικὸς ὤν, ἐν ἀρχαῖς πολιτευόμενος, ἐν πράξεσι φιλικαῖς.

Quid hic deesset egregie sensit editor Graecus: addidit enim φιλικός. Sed nunc aut ista ἐν πράξεσι φιλικαῖς statim post ὤν sunt ponenda, aut alterum ὤν addendum est.

485 D ὁ Μέτελλος ᾤετο δεῖν Ῥωμαίους τοῖς θεοῖς χάριν ἔχειν, ὅτι Σκιπίων ἐν ἑτέρᾳ πολει τοιοῦτος ὢν οὐκ ἐγεννήθη.

Verba notata vix concoquo. An *hiatus* vitandi causa addita sunt? Vix hoc crediderim de scriptore qui adeo Isocratem ludibrio habeat.

486 A Ut minor digitus maiorem adiuvat, ita

Κρατερὸς Ἀντιγόνου (Ἀντιπάτρου R.) βασιλεύοντος ἀδελφὸς ὢν καὶ Κασάνδρου Περίλαος ἐπὶ τὸ στρατηγεῖν καὶ οἰκουρεῖν ἔταττον αὐτούς.

Prudenter Graecus editor intellexit ineptissime hic *summum* imperium (τὸ στρατηγεῖν) commemorari et, hiatum non metuens, aptissime reposuit οὐραγεῖν.

486 C Leguntur hic vocabula quaedam quae in promptu habere oportet eum qui literarum Graecarum scribit historiam. „Non invident" ait

τῶν ῥητόρων οἱ δικολόγοι τοῖς σοφιστεύουσιν.

Ergo qui arti dicendi dabant operam (οἱ ῥήτορες) in duas tunc

Digitized by Google

dividebantur partes: *a.* οἱ δικολόγοι, causarum patroni sive, ut eo tempore vulgo dicebantur, advocati. *b.* οἱ σοφιστεύοντες qui artem oratoriam docebant et subinde ingenii ostentandi causa orationes habebant, plerumque in divitum auditoriis.

486 E (Φυλακτέον ἐστὶ) .... γυναικὸς ἔστιν ὅτε τῇ φιλοδοξίᾳ συνεπιτιθεμένης λόγους πονηρούς.

Male hic συνεπιτίθεσθαι interpres vertit „stimulos adhibere". Est enim „impetum facienti opem ferre". Maritum oppugnat gloriae cupido, quam uxor stulta et invida adiuvat huiuscemodi oratione: „frater tuus abundat gratia, te respicit nemo". Egregie hanc vocabuli vim atque adeo totum hunc locum illustrant ea quae leguntur *Quom. adulator* p. 60 F: μάλιστα δὲ περὶ τοὺς ἔρωτας (οἱ κόλακες) τοῖς κολακευομένοις ἐπιτίθενται.

487 A Iure homines ἐπὶ τῆς χάριτος ἀξιοῦσι μείζονα τοὺς λαμβάνοντας ἡγεῖσθαι, μικροτέραν δὲ τοὺς διδόντας.

Sensu cassa haec, nisi (post ἡγεῖσθαι vel alio loco) inseritur τὴν αὐτήν vel τὴν ἴσην.

487 C Parum solita oratione hic inter se opponuntur ἐκ παίδων et ἐπ' ἀνδράσιν (cum ad adultam aetatem pervenissent).

ib. Mira hic et, nisi egregie fallor, incognita historicis narrantur de *potentissimis* ea aetate Graecorum, qui propter Aedepsum eiusque amoenitates internecivum inter se gerentes bellum ad eam sint prolapsi vecordiam ut ad eos coercendos extrema *tyranni* opus fuerit severitate.

488 C Imitari oportet Pythagoreos qui γένει μηδὲν προσήκοντες ἀλλὰ κοινοῦ λόγου μετέχοντες, si forte rixa inter eos orta esset, nunquam non ante solis occasum dextras iunxerint.

Prudenter, ut semper, Stegmannus ante ἀλλά excidisse ἀλλήλοις statuit, cui cur obloquatur editor non video.

489 A Proelio cum Gallis conserto Seleucus nusquam comparuit et cecidisse eum fama erat

πάσης ὁμοῦ τι τῆς στρατιᾶς ὑπὸ τῶν βαρβάρων κατακοπείσης.

Digitized by Google

Verba ὁμοῦ τι non vertit interpres. Sunt tamen minime obscura, et fuisse videntur Plutarcho in deliciis: *tantum non.*

489 D Commemorato praeclaro dicto, quo Euclides iratum fratrem confutavit, sic pergit:

τὸ δ' Εὐμένους τοῦ βασιλέως ἔργον, οὐ λόγος, ὑπερβολὴν οὐδεμίαν πραότητος ἀπολέλοιπεν.

Ab ipso Plutarcho istud οὐ λόγος tam importune additum vix crediderim. Si abest, multo melius elucet oppositio.

489 F Eumenem occisum esse nuntiato, Attalus frater eius

τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ Στρατονίκην ἔγημε καὶ ....

Ioculare est quod additur in codicibus συνῆλθε. Lubenter credimus: θέμις ἦδ' ἀνδρὸς καὶ γυναικός. Sed non commemoravit istud scriptor verecundissimus. Egregie Bernardakius correxit συνῆρχε. Reginae eam loco habuit successor ille aequissimus.

490 C Refutare et abigere oportet malevolum, discordiae serendae causa

ὑπορύττοντα τῶν ἀπορρήτων ἔνια.

Immo ἀνορύττοντα, nam protrahit in lucem quae irreperta melius sita sunt, non ὑπορύττει, quod *delendi* et *infirmandi* vim habet.

491 B „Pluris fratrem quam amicum facere oportet; contrarium non tam est decori amico quam dedecori fratri"

ἀλλὰ περὶ ταύτης μὲν ἐτέρωθι τῆς γνώμης γέγραπται τὰ δοκοῦντα διὰ πλειόνων.

Quemnam librum suum hic respiciat Plutarchus me fugit. Porro documento hic locus est non tantummodo *hiatus vitandi* causa mire interdum vocabula disponere nostrum.

491 C Recte habet versus Menandri:

οὐδεὶς ἀγαπῶν αὐτὸς ἀμελεῖθ' ἡδέως.

Ut evadat *versus*, insere γάρ post οὐδείς.

492 A Singularem vocabuli usum habes in hisce:

πεμπόντων δὲ τῶν Θεσσαλῶν Φρυκτοὺς περὶ βασιλέως πρὸς

Digitized by Google

τὸν θεὸν εἰς Δελφούς, ἐνέβαλε κρύφα τοῦ πατρὸς ὁ θεῖος ὑπὲρ τοῦ Ἀλεύα.

Perspicua est sententia: Delphos Thessali mittebant *sortes*, i. e. literas obsignatas, in quibus singulatim de variis hominibus sic deus consulebatur: „huncine regem creemus?" Tum clam rege sortibus illis haec addebatur: „Aleuamne creemus regem?" Ergo Φρύκτους (sc. κυάμους) hic δέλτων habet vim.

Atque haec narratio Plutarcho facultatem praebet demonstrandi cur non liceat suos sed liceat fratris filios laudare: δοκεῖ γάρ μοι καὶ τοὔνομα καλῶς ὑφηγεῖσθαι etenim est .... θεῖον ὡς ἀληθῶς. Eiusdem illud est qui concordiae admoneat argumento usus Μουσῶν nomine τῶν ὁμοῦ οὐσῶν.

AD APULEI MET. VII 5.

Apuleius latronem corporis mole stupendum depingit, *sed plane centunculis disparibus et male consarcinatis semiamictum, inter quos pectus et venter crustata crassitie reluctabant.*

R. Helm, editor Metamorphoseon recentissimus, Bluemneri coniecturam *relucebant*, quae Vlietio quoque in mentem venit, recepit laudato ad paginae calcem C. W. Vollgraffii proposito *relucitabant* (Mnemos. XXXI p. 254).

Si recte locum intellego, fugit eos quam iusta sit verbi vis et rei quam maxime conveniens: pectus nempe et venter inter centunculos reluctabant, h. e. erumpebant, se tegi non patiebantur, nam male consarcinati erant centunculi ut hic illic corpus perfringeret pannulos. Verbum etiam legitur IV 20 (reluctabat) et III 9 (luctantem — reluctantem *Vlietius*) et Ovid. Ep. 6. 85.

Verbum nullam umquam suspicionem moturum fuisse credo, si verba, quibus Apuleius pectoris ventrisque luctamina illustrare voluisse putandus est, melius se haberent, nam *crustata crassitie* nihili esse h. l. opinor, legendum vero: *eructata crassitie*: pectus scilicet et venter reluctabant eo quod inter pannulos pinguedinem exprimebant.

Verbum eructandi est Lucret. III 1025, Verg. Aen. III 575, 632, VI 297, Sil. Ital. XIII 425 (cf. II 685 et VI 162).

P. H. D.

Digitized by Google

LECTIONES VALERIANAE.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(*Continuantur e Vol. XLI pag.* 301).

V 1, 7 p. 220, 16 (Scipio) *puerum ... ad Masinissam misit, eos victoriae maximos fructus ratus, dis ornamenta, hominibus* [*regibus*] *sanguinem suum restituere.*

Pro *regibus*, quod Kempfius inclusit, Foertschius *regium* scribendum censuit, ego quidem in archetypo exaratum fuisse puto: *egregiis.*

V 1, 10 p. 221, 25 (Cn. Pompei caput) *abscisum a corpore inops rogi nefarium Aegyptiae perfidiae munus portatum est etiam ipsi victori miserabile.*

Post voc. *munus* Gertzius *Caesari* vel plura etiam excidisse censet, sed mihi persuasum est, locum eo sanandum esse quod verbo *portatum* suum praefixum restituatur: emendandum nempe est *adportatum*, cl. Suet. Dom. 6 i. f.: pauloque post occisum Antonium adeo vulgatum est, ut caput quoque adportatum eius vidisse se plerique contenderent.

ibid. p. 222, 4 *Catonis quoque morte Caesar audita et se illius gloriae invidere et illum suae invidisse dixit patrimoniumque eius liberis ipsius incolume servavit.*

Voc. *ipsius* per errorem huc e versu superiore migrasse atque inter verba *suae* et *invidisse* reponendum esse suspicor.

Digitized by Google

V 1 Ext. 2 p. 223, 18 *minime digna vox cui adiciatur eam ex tyranni ore manasse.*

Loci sententia flagitat: *nimirum digna vox* e. q. s. In iis autem quae continuo sequuntur:

in hunc modum filiae iniuriam tulit, suam multo laudabilius

quin post *suam* voc. *etiam* sit praetermissum vix dubito.

V 2, 1 p. 227, 12 *Marcium patriae ** conantem admotoque portis urbis ingenti Volscorum exercitu funus ac tenebras Romano imperio minantem Veturia mater et Volumnia uxor nefarium opus exequi precibus suis passae non sunt.*

Hunc locum mutilum multi iam frustra ad integrum revocare conati sunt, quorum omnium coniecturis meam, quae est *intonantem*, certe propius ad servata lectionis vestigia accedere opinor. Cf. Hor. Epod. 2. 51: Si quos Eois intonata fluctibus / Hiems ad hoc vertat mare, Sil. Ital.: armis intonat urbi.

V 2, 4 p. 229, 12 (Minucius) *et ipse eum patrem appellavit et ab legionibus suis patronum salutari voluit ac deposito aequalis imperii iugo magisterium equitum ... dictaturae subiecit.*

Pro *iugo* corrigendum videtur: *iure.*

V 2, 7 p. 230, 6 *Metellus vero Pius pertinaci erga exulem patrem amore tam clarum lacrimis quam alii victoriis cognomen adsecutus non dubitavit* e. q. s.

Voc. *lacrimis* quantocius expungatur utpote a nescio cuius manu profectum qui, cum Valerii verba non satis intellegeret, aliquid deesse putaret quod vocabulo *victoriis* apte opponeretur. At oppositum illud est *pertinaci ... amore.*

V 2, 9 p. 231, 5 *multa insignia Pompeio, sed nescio an hoc quicquam admirabilius contigerit, quod magnitudine beneficii sui oblivisci Sullam coegit.*

Pompeius non sui, sed magnitudinis suae oblivisci Sullam coegit, ut supra scriptor exposuit. Ergo pro *sui* emendes: *suae.*

Ibid. 15 *perseverantique postulatione extuderunt ut exequiarum*

Digitized by Google

apparatus sestertio nummo ipsis praebendus addiceretur. quorum laudem † adiecta lege condicio auget magis quam extenuat, quoniam e. q. s.

Pro verbis *adiecta lege,* quae hoc quidem loco probabilem interpretationem nequaquam admittunt, alii alia substituere voluerunt: at non emendanda, sed in locum suum reducenda sunt, qui est post verbum *extuderunt.* Verba a librario primum omissa, deinde in margine ascripta, denique a scriba sequenti loco non suo in textum recepta esse credo.

V 2 Ext. 1 p. 232, 3 *Darius privatae adhuc fortunae amiculo Sylosontis Sami delectatus curiosiore contemplatione fecit ut ultro sibi et quidem a cupido daretur.*

Pro *a cupido* adverbium *cupide* auctorem scripsisse opinor cl. vs. 22 huius paginae: quot amplissimae civitates vel amice datae vel pie redditae sunt. Accedit quod in cod. A littera *a* erasa est.

ibid. 21 *itaque nec huius munificentia nec illius tam memor beneficii animus tot verbis laudari potest, quot amplissimae civitates vel amice datae vel pie redditae sunt.*

Sana ratio requirere mihi videtur: *tot verbis ⟨satis⟩ laudari potest.*

V 3, 2*a* p. 234, 20 *Hunc ingrate lapsae mentis errorem consentanea civitatis nostrae paenitentia sequitur.*

Haud dubie corrupta ista lectio est quamquam adhuc nondum, quod sciam, suspecta. Valerius modo Caesarem trucidatum tamquam ingrati animi documentum populo Romano obiecit atque verbis supra descriptis novam paragraphum incohat qua Camillum a civibus suis ingrate tractatum memorat, cuius generis exempla alia deinceps sequuntur: de paenitentia Caesaris interfecti qualicumque, quam populus Rom. deinde egerit, ne verbum quidem. Neque id noster significare voluit: sin minus, non *sequitur* praesenti tempore, sed perfectum *secuta est* nimirum posuisset.

Voc. *paenitentia* corruptum esse aio ex *impotentia*, ita ut verba laudata novam narrationem de ingrato populi Rom. animo

Digitized by Google

secundum morem Valerianum introducant et *consentanea civitatis nostrae impotentia* illa sit qua populus in Camillum grassatus est quaeque illi furori, quo in Caesarem usus est, par fuit. Ceterum cf. p. 237, 8: singulorum ingrata facta liberiore indignatione proscindenda sunt, quia potentes consilii, cum utrumque ratione perpendere liceret, scelus pietati praetulerunt.

ibid. p. 235, 6 *at, inquit, aerario abesse tribunus pl. querebatur XV milia aeris: tanti namque poena finita est. indignam summam, propter quam populus Romanus tali principe careret!*

Verba *tanti namque poena finita est* a loco nostro alienissima sunt atque sciolo, qui ea in margine primum appinxerit, reddenda: Camillum enim in exsilium missum, non pecunia multatum esse Valerius paulo ante tradidit, loco autem nostro de pecuniae summa, qua aerarium defrudasse dicebatur, sermo est ita ut verba a me damnata cursum orationis inepte interrumpant.

V 3, 2*d* p. 236, 8 *duabus enim urbibus, Numantia atque Karthagine, imperio Romano inminentibus ex rerum natura depulsis raptorem spiritus domi invenit, mortis punitorem in foro non repperit.*

Pro *in foro* emendandum est: *foris*, quod Iulium Paridem quoque ante oculos habuisse credo, quippe qui rem ita reddiderit: Africanus minor raptorem spiritus domi invenit, mortis punitorem in urbe non repperit.

Vocabula *domi* et *foris* sibi opponi Georgius in lexico suo s. v. *foris* multis exemplis e poetis ac scriptoribus petitis ostendit.

ibid. 2*e* 11 *qui pestifera Ti. Gracchi manu faucibus conprehensam rem publicam strangulari passus non est.*

Verbum *conprehensam* Kempfius de suo pro scriptura tradita *oppressam* substituit, at sanam librorum mss. lectionem esse mihi constat locis Ciceronianis consideratis, qui sunt Verr. III. 76: Timarchides premit fauces defensionis tuae (h. e. facit ut defendi non possis), Cluent. 31: cum faucibus premeretur (h. e cum ad incitas redigeretur), Verr. III 58: institit, oppressit, non remisit (in quibus *oppressit* ab oppressione faucium ductum est).

Digitized by Google

V 3 Ext. 3 p. 240, 3 *huius tamen summoti ab Atheniensibus Scyros, exule minor insula, ossa mortui cepit.*

Libri mss. non *cepit*, sed *coepit* exhibent; Iulius Paris rem his verbis reddidit: cuius ossa Scyrus insula mortui texit; denique VI 1 Ext. 1, 21 legitur: cuius corpus ... humus ... tumulo contegit. Quae cum ita sint, veram ac genuinam lectionem esse iudico: cooperuit.

ibid. p. 241, 21 *dandi et accipiendi beneficii commercium, sine quo vix vita hominum* † *experet tollit quisquis bene merito parem referre gratiam neglegit.*

Quam misere hic locus corruptus sit varia codicum lectio demonstrat: *exper&tulit* (corr. *expertē tollit*) — *extaret tollit* — *expers tollit* vel *perdit* exaratum videmus. Si quid mihi quoque temptare licet, proponere velim: *sine quo vix vita hominum expetenda est, tollit* e. q. s.

V 4, 5 p. 246, 6 *postquam pro rostris ei legem iam referenti pater manum iniecit, privato fractus imperio descendit e rostris, ne minimo quidem murmure destitutae contionis reprehensus.*

Verba *e rostris*, quae a Valerii manu profecta esse post verba *pro rostris* in versu superiore vix credibile est, interpretatori deberi opinor.

V 4 Ext. 2 p. 248, 5 *nam etsi maximo tibi postea et civi et duci evadere contigit, plus tamen aliquanto laudis in carcere quam in curia adsecutus es.*

Legendum videtur: *quam in* ⟨*acie et in*⟩*curia ads. e.* Vid. pp. 252, 20, 253, 11, 264, 29, 276, 25.

V 4, 7 p. 250, 10 *Eadem caritas Italico bello Pinnensem iuvenem ... tanto animi corporisque robore armavit, ut, cum obsessae urbis suae claustris praesideret et Romanus imperator patrem eius captivum in conspectu ipsius constitutum destrictis militum gladiis circumdedisset, occisurum se minitans, nisi inruptioni suae iter praebuisset, solus e manibus senem rapuerit,* e. q. s.

Vocabulum *manibus* neque si pro dextris neque si pro catervis est, sic nude positum tolerari potest, id quod homo ille iam

Digitized by Google

sensit, qui in codice uno genitivum *eorum* sub linea addiderit. Nec Kempfium, cum roget num forte *manibus hostilibus* sit scribendum, locum sanum duxisse apparet. At causam video nullam, propter quam librarius aliquis pronomen *eorum* vel adiectivum *hostilibus* per neglegentiam omittere potuerit: accedit quod neutrum vocabulum oppositionem idoneam, quam vox *solus* requirit, efficere videtur. Evaderet sane ea oppositio, si *manibus* esset pro catervis, sed scriptorem in hac narratiuncula rhetorice admodum efficta enuntiataque vocabulo tam ambiguo usum esse haud facile quisquam mihi persuadebit neque verbi rapiendi constructio tale quid credere nos sinit: potius verbum eripiendi cum dativo casu ita exspectaverim.

Voc. *manipulorum* quin ante vel post *manibus* propter priorum partium similitudinem sit omissum ego quidem vix ac ne vix quidem dubito.

V 5 Ext. 3 p. 252, 1 *sed eum tum maximo labore et periculo implicatum . . . fidissimus Romani imperi custos Iuppiter comitatus est.*

Nescio an sit corrigendum: *tum maxime.*

V 6 p. 253, 5 *eversa domo integer* [*status*] *rei publicae status manere potest, urbis ruina penates omnium secum trahat necesse est.*

Editor Halmii emendationem *integer* pro *inter*, quod in cod. A legitur, recepit atque eiusdem auctoritatem secutus alterum voc. *status* uncinis inclusit. At tamen vereor ne sit nimium casui fortuito tribuere, si uno eodemque loco èt voc. *integer* corruptum èt voc. *status* per dittographiam repetitum credamus. Veri similius mihi videtur, Valerium pro *interstatus* scripsisse: *intentatus*. Cf. p. 254, 20: cum . . . aruspices adfirmassent conservato eo fore ipsius domus statum feliciesimum, rei publicae miserrimum, Sen. Med. 61 (de vacca): intemptata iugo.

V 6, 4 p. 254, 1 *Genucius laudis huius, qua maior vix cogitari potest, successionem tradit Aelio praetori.*

Ex apparatu critico apud Kempfium videre licet, quam misere corruptus hic locus in libris mss. traditus sit, quem etiamnunc non ab omnibus partibus bene resartum esse puto. Credo enim voculam *ulla* aegre desiderari, quam ante voc. *potest* exaratam

Digitized by Google

fuisse ex eo suspicor, quod libri *excogitari impotest* exhibent, unde Gertzius iam elicere voluit: *vix cogitari civi potest.*

V 6 Ext. 2 p. 257, 28 (Thrasybulus) *cum Atheniensium urbem XXX tyrannorum taeterrima dominatione liberare cuperet parvaque manu maximae rei molem adgrederetur, et quidam e consciis dixisset 'quantas tandem tibi Athenae per te libertatem consecutae gratias debebunt?' respondit* e. q. s.

Emenda: *maximae rei* ⟨*p.*⟩ *molem*, ut saepe in codd. Valerianis est pro: rei publicae. Vitium alterum etiam, quod huic loco inhaeret, tollere posse mihi videor. Editor enim lectionem *per te* recepit, quae est a manu secunda in cod. A — scriptum autem ibi fuit *praeter*, in cod. L *perte** (*r* eras.); restituas quaeso: *praetor*, quo vocabulo èt Valerius èt ceteri scriptores Graecum voc. στρατηγός vertere solent.

V 6 Ext. 5 p. 259, 20 *sanctissimisque naturae legibus mirificorum etiam exemplorum † clara mundo subscripsit ubertas.*

Corrupta lectio, quam Perizonius *cara mundo* — Wensky *clara abunde* substituendo emendare conati sunt, ex uno verbo *celebranda* depravata esse mihi videtur.

V 7 Ext. 1 p. 262, 2 *iuxta enim Antiochum sedens, ut eum ad introitum Stratonices rubore perfundi et spiritu increbrescere eaque egrediente pallescere et † excitatiorem anhelitum subinde recuperare animadvertit, curiosiore observatione ad ipsam veritatem penetravit.*

Variant libri mss. in *excitatiorem* et *exercitatiorem* — Halm *sedatiorem*, Novak *tardiorem* scribi iussit. Emendandum est: *extentiorem*, cl. Plin. N. H. X 82, ubi de lusciniae cantu agitur et spiritus 'gravis acutus, creber extentus' distinguuntur.

V 8, 2 p. 263, 17 *tribunus pl. agrariam legem primus tulerat multisque aliis rebus populariter* ⟨*actis*⟩ *animos hominum amore sui devinctos tenebat.*

Gertzio Wenskioque obsecutus editor voc. *actis* inseruit. At potius crediderim in fine vocis *populariter* a librario esse peccatum et scriptum fuisse a Valerio: *popularibus.*

Digitized by Google

V 8, 3 p. 264, 15 *peregerat iam Torquatus severi et religiosi iudicis partis, satis factum erat rei publicae, habebat ultionem Macedonia, potuit tam verecundo fili obitu patris inflecti rigor: at ille* e. q. s.

Kempfius scripturam in codicibus mss. optimis traditam *tamen* in *tam* mutavit: immo potius corrigendum est *tandem*, quod unum sententiae aptum est et accommodatum.

V 9, 2 p. 266, 11 *cum enim eo usque inpietatem eius suspectam et nequitiam invisam haberet, ut Messalam sororis suae filium heredem habiturus, ambitus reum defendens iudicibus diceret,* e. q. s.

Verba *heredem habiturus,* quae aut in margine aut supra lineam primum ab homine inconsiderato insulsoque addita et deinde a scriba imprudenti in textum recepta esse suspicor, omnino eicienda sunt. Hoc missum nunc facio, Hortensium sororis suae filium heredem non habuisse (infra enim legimus: non nepotes, sed filium heredem reliquit), sed quicumque semel admonitus totam narratiunculam attente perlegerit, facile mihi assensurum confido, importunum additamentum id esse, ut rei narratae delicias corrumpat atque vim omnem prorsus tollat.

V 10 Ext. 2 p. 270, 5 *Xenophontis corpus † religioni inmobile stetit et animus in consilio prudentiae stabilis mansit ac dolori succumbere ipsa clade, quae nuntiata erat, tristius duxit.*

Kempfius postquam Madvigium non recte proposuisse annotavit *regione* (de loco et statu) pro *religione,* quod in codd. dett. est, ipse coniecit: *religionis instinctu* vel *inpulsu.* Ego post *religioni* excidisse credo participium *intenti,* ad *Xenophontis* nimirum pertinens.

ibid. 17 *non ignorabit ... ut mori neminem solere qui non vixerit, ita ne vivere* [*aliquem*] *quidem posse qui non sit moriturus.*

Editor voc. *aliquem* inclusit — immo emendandum est: *aliquantulum.*

VI 1, 9 p. 273, 25 (senatus) *in qualicumque enim statu positam Romano sanguini pudicitiam tutam esse voluit.*

Nonne corrigendum est *posito*?

Digitized by Google

VI 2, 2 p. 278, 9 *Sic in senatu loqui Privernas ausus est: L. vero Philippus consul adversus eundem ordinem libertatem exercere non dubitavit: nam segnitiam pro rostris exprobrans alio sibi senatu opus esse dixit.*

Iulium Paridem Valerii verba saepe male intellexisse res satis nota est, cuius tamen hoc exemplum viros doctos adhuc fugisse videtur. Paris enim his verbis factum rettulit: *L. Philippus cos. adversus collegam usus nimia libertate alio sibi senatu opus esse dixit.*

In hisce Halmius pro *collegam* scribendum putat *collegas*. Utrum legatur parum refert, verum Paridem locum Valerianum perperam interpretatum esse moneo: voc. *eundem ordinem* ad senatum referenda esse non perspexit, sed de ordine magistratuum (h. l. de consulari ordine) dici ratus verba *adversus eundem ordinem* sua interpretatione *adversus collegam* reddere sibi visus est.

VI 2, 3 p. 279, 10 *recens ipsius victoria ... ac duorum regum ... catenatae cervices totius tunc fori ⟨ora⟩ clauserunt.*

Displicet ratio ista qua Kempfius lacunam supplevit: persuasum est mihi, post *cervices* voc. *voces* per haplographiam omissum esse. Cf. Liv. XLIV 45, 12: horum ferocia vocem Euandri clausit, Quint. I 5, 31: neutra (littera) claudet vocem Latinam.

VI 2, 8 p. 281, 8 *cum Pompeius ... ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset, 'non mentiris' inquit, 'Pompei: venio enim ab inferis, in L. Libonem accusator venio.*

Restituas quaeso: *vero enim ab inferis in L. Libonem accusator venio.* Est *vero* illud affirmantis, pro *recte*, itemque concedentis atque responsionibus inservit, cuius exempla affero haec: VII 4, 5 p. 348, 20, ubi codex unus perperam quamvis Kempfio probante vocem omisit, Cic. Div. I 47: vero, mea puella, cedo tibi sedes meas, Tusc. II 26: fuisti saepe, credo, cum Athenis esses, in scholis philosophorum? Vero ac libenter quidem.

ibid. 24 *obducta iam vetus⟨tis⟩ cicatricibus bellorum civilium vastissima vulnera municipali homini ... inpune renovare licuit.*

Codices praebent *vetus* praeter unum librum saec. XII, in quo *vietis* est. Non *vetustis* emendandum esse censeo, sed *veteribus* cl. Curt. X 5, 13: novis vulneribus veteres rumpendas cicatrices,

Digitized by Google

nec non suspicio me tenet, pro *revocare* vel *revocari*, quae libri mss. exhibent, non cum Lipsio *renovare* esse reponendum, sed *refricare* cl. Cic. de Leg. Agrar. 4: ne aut refricare obductam iam rei publicae cicatricem viderer, Flacc. 54: cum venisset Laelius ad iratos et illud Castricianum volnus dicendo refricuisset, ad Att. V 15, 2: Appii vulnera non refrico, XII 18, 1: quae res forsitan sit refricatura vulnus meum, de Or. II 199: dolorem ... oratione refricabam.

VI 2 Ext. 2 p. 284, 10 *quod ubi is cognovit, non debitam sibi admiratus benivolentiam arcessivit eam et quid ita hoc aut quo merito suo faceret interrogavit. tum illa 'certa est' inquit 'ratio propositi mei: puella enim, cum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam. quo interfecto aliquanto taetrior arcem occupavit.*

Duobus locis in hisce aliquid excidisse tam sana ratio quam Iulii Paridis epitome comprobant. Valerium nempe scripsisse arbitror: ⟨*in arcem*⟩ *arcessivit eam* et deinde: *quo interfecto* ⟨*alter*⟩ *aliquanto taetrior arcem occupavit*, cl. Paridis verbis: ob quam rem in arcem perducta causam tyranno interrogante, 'cum' inquit 'puella essem et tyrannum haberemus, carere eo cupiebam. quo interfecto alter aliquanto taetrior arcem occupavit.

Supplementum illud minime dubitandum simul ostendit, Maium ordinem Paridis verborum *in arcem perducta* in: *perducta in arcem* immutandum haud recte censuisse.

VI 3, 1*a* p. 285, 13 *Manlius eras mihi, cum praecipites agebas Senonas: postquam imitari coepisti, unus factus es ex Senonibus.*

Scribendum videlicet est: *mutari*, at non librario sed typothetae mendum hoc imputandum esse suspicor. Idem erravit p. 290, 26, ubi *Romana* pro *Romanae* legitur.

VI 3 Ext 3 p. 291, 18 (Cambyses) *mali cuiusdam iudicis e corpore pellem detractam sellae intendi in eaque filium eius iudicaturum considere iussit. ceterum et rex et barbarus atroci ac nova poena iudicis ne quis postea corrumpi iudex posset provisit.*

Voc. *iudicis* inducendum puto, quod postea esse adiectum scriptura quae in libris mss. optimis varia exstat indicio esse videtur.

Digitized by Google

VI 4, 1 p. 292, 7 (Manlius Torquatus) *denuntiavit, si quis sociorum inter patres conscriptos sententiam dicere ausus esset, continuo eum interfecturum.*

In codicibus optimis manus posteriores post voc. *continuo* addiderunt *se*, quod ibi eas inseruisse credo quia apud Iul. Paridem, reliqua ad verbum repetita cum sint, una vocula *se* post *continuo* adiecta est. Veri tamen similius duco, id ante *si quis* per haplographiam neglectum esse.

VI 4, 4 p. 296, 3 *intolerabilibus enim oneribus civitatem eorum inplicanti, si quid morte gravius imperare perseveraret, mortem se praelaturos responderunt.*

Tollendum est illud emblema importunum *morte*, quod legatorum Lacedaemoniorum dictum minime, hercle, gloriosum, verum potius frigidissimum efficit.

VI 5, 5 p. 299, 25 *erat in eodem pectore et inimicus et Domitius* [*et dominus*], *diversa aestimatione nefarium indicium perpendens.*

Perizonius verba *et dominus* delenda esse vidit; cui editor noster optimo iure obsecutus est: ad originem autem additamenti lectoris animum paucis advertere velim. Scilicet eam eiusdem generis esse suspicor atque emblematis *et athius*, quod ad III 2 Ext. 5 p. 127, 10 indicavi: verba enim *et Dominus* pio monacho deberi credo, qui in margine primum ea ascripserit.

VI 6, 3 p. 303, 28 (patres conscripti) *L. Minucium et L. Manlium Karthaginiensium legatis, quia manus his attulerant, per fetiales a M. Claudio praetore dedendos curaverunt. se tunc senatus, non eos, quibus hoc praestabatur, aspexit.*

Apud Iul. Paridem legitur: (senatus) 'L. Minucium et L. Manlium Carthaginiensium legatis, quia manus intulerant, per fetiales a M. Claudio praetore dedendos curavit', ad quae Kempfius annotavit: '*fort.* manus iis *Halm. recte, ut vid.*' Minime credo, verum persuasum habeo Paridem lectionem genuinam servasse. Virgula enim tam apud Paridem quam apud Valerium, quae post voc. *legatis* nunc posita est, post nomen *Manlium* traiecta apud utrumque legendum esse censeo: L. Min. et L. Manl., Karthaginiensium legatis quia manus intulerant, per fetiales e. q. s.

Praeterea pro *aspexit* corrigendum est: *respexit*, cl. p. 313, 15:

Digitized by Google

nobilitati, beneficio paenitentiae se ipsam admonitae respicere. Cf. etiam ad IV 4, 11 p. 193, 7.

VI 6, 5 p. 304, 17 *quam ut civitas nostra semper benignam praestitit, ita in sociorum quoque animis constantem recognovit.*

Verbis hisce, quae ultimo ex exemplis Romanis male nunc adhaerent, Valerius exempla ex exteris gentibus desumpta haud dubie more suo introduxit. Signum igitur *Ext.* 1, quod post *recognovit* nunc est, post verbum *dixerit* collocari iubeo.

ibid. 29 *crediderim tunc ipsam Fidem humana negotia speculantem maestum gessisse vultum.*

Emenda *spectantem* et cf. p. 311, 7: nam cum aliorum fortunas spectando ex condicione abiecta atque contempta emersisse claritatem videamus.

VI 7, 1 p. 305, 21 Uxor Africani, cum viro suo ancillam ex suis gratam esse sciret, dissimulavit, *ne domitorem orbis Africanum femina † magnum virum inpatientia e reum ageret.*

Coniecturarum copiam, quibus hunc locum viri docti restituere conati sunt, Kempfius in apparatu critico congessit neque ego repetam, cum praesertim una modo litterula deleta locum sanare posse mihi videar. Quidni scribimus: *ne domitorem orbis Africanum femina — magnum virum inpatientia reum ageret?* Ut enim femina domitori Africae, sic magno viro impatientia (sc. eiusdem feminae) concinne iam opponitur. Cf. VII 8, 2 p. 362, 25: testamentumque matris patientia honorare quam iudicio convellere satius esse duxit.

VI 7, 2 p. 306, 9 *cum ceteri proscripti in alienis et hostilibus regionibus per summos corporis et animi cruciatus vix evaderent.*

Gertzius ante voc. *vix* addendum censet *exitium* vel simile aliquid, sed cf. p. 307, 15: consulem . . . cuniculi latebris frustra evadere conatum, neque quicquam desiderari videbit.

ibid. 17 *nec recusavit se ipsam proscribere, ut ei fides sua in coniuge proscripto constaret.*

Pronomen *ei* a loco alienum est, qua de causa corrigas quaeso: *uti fides.*

VI 8, 5 p. 309, 3 *qui, cum a triumviris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore vitae genere et odore unguenti oc-*

Digitized by Google

cultam salutis custodiam detexit: istis enim vestigiis eorum, qui miseros persequebantur, sagax inducta cura abditum fugae eius cubile odorata est.

Immo, opinor, *sagax inducta* ⟨*cani*⟩*cula.*

VI 9, 7 p. 313, 20 *nec indignati sunt socii eius parere fascibus, quem aliena tribunalia adulantem viderant. gessit etiam se integerrime atque splendidissime.*

Lege *gessit enim se* e. q. s.

VI 9, 14 p. 315, 20 *Iam C. Marius † maximae fortunae luctatione: omnes enim eius impetus qua corporis qua animi robore fortissime sustinuit.*

Lectionem vitiosam et alii emendare conati sunt et Kempfius, qui post voc. *luctatione* inserere voluit: *insignis.* Equidem *conspicuus*, vocabulum scriptori nostro adamatum, excidisse potius crediderim, cum praesertim in versu superiore *conspectum* legatur. Cf. p. 318, 12: Ad invidiam usque Polycratis Samiorum tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitae fulgor excessit.

VI 9, 14 p. 316, 5 *ex illo Mario tam humili Arpini, tam ignobili Romae, tam fastidiendo candidato ille Marius evasit, qui* e. q. s.

Nomina *Arpini* et *Romae* in marginem releganda sunt, id quod nemo, credo, dubitabit qui priorem huius capituli partem attente perlegerit. Ceterum libri mss. ipsi interpretamenta coarguunt: *arpini* nempe in uno libro recentiore est, *arpina* est codicum optimorum lectio, *arpinate* a manu secunda in altero eorum exaratum.

VI 9 Ext. 1 p. 317, 8 *nec contentus tam deformi introitu consedit etiam, ut clarissimum eloquium et prudentissima praecepta temulentiae lasciviis elevaret.*

Nescio an scriptum fuerit: *elatissimum eloquium.*

VI 9 Ext. 7 p. 319, 25 (humana) *incertissimo flatu fortunae huc atque illuc acta quos sublime extulerunt inproviso recussu destitutos profundo cladium miserabiliter inmergunt.*

Maluerim *incertissimae flatu fortunae.* Cf. p. 320, 5: volubilis fortunae conplura exempla retulimus, constanter propitiae admodum pauca narrari possunt.

(*Continuabuntur*).

Digitized by Google

AD SOPHOCLIS INDAGATORES.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(*Continuantur ex p.* 90).

Vs. 87—93, qui in papyro choro, i. e. coryphaeo, tribuuntur, apud Huntium Sileno assignati sunt. Perperam. Nam his versibus satyri admonentur, ut proni humi omnia circum investigent, quod ipsum Silenus vs. 118—124 eos facere indignatur. Ergo recte locum Sileno vindicavit Robertus l.l. p. 542.

Ad ea, quae ad vs. 173 adnotavi, probanda afferri potest Arist. Hist. anim. VII, 29, p. 579, a, 6 sqq.: *ὑπερβάλλουσα γὰρ γίνεται τοῦ θέρους (ἡ παχύτης) αὐτῶν* (sc. *τῶν ἐλάφων*), *διὸ καὶ οὐ δύνανται θεῖν, ἀλλ' ἁλίσκονται ὑπὸ τῶν διωκόντων ἐν τῷ δευτέρῳ δρόμῳ καὶ τρίτῳ*, imprimis vero Xen. Cyn. VI, 18: *ἐὰν μὲν ἐκλωκὼς ᾖ ἐν τῷ πρώτῳ δρόμῳ* (sc. *ὁ λαγώς*), *ἀνακαλεσάμενον τὰς κύνας ζητεῖν ἄλλον*. Cf. V, 14.

Ad vs. 176 sqq. Ad Roberti opinionem, qui primus nomina satyrorum in hoc carmine agnovit, firmandam, memorare libet etiam in aliis fabulis choreutas, dum per orchestram incedunt, se invicem nominatim compellare. Cf. Arist. Lys. 254: *χώρει, Δράκης, ἡγοῦ βάδην*, 259: *ὦ Στρυμόδωρ'*. Eccl. 293: *ἀλλ', ὦ Χαριτιμίδη καὶ Σμίκυθε καὶ Δράκης, ἕπου κατεπείγων*. Vesp. 230: *χώρει, πρόβαιν' ἐρρωμένως. ὦ Κωμία, βραδύνεις*; 233: *ὦ Στρυμόδωρε Κονθυλεῦ, βέλτιστε συνδικαστῶν, Εὐεργίδης ἄρ' ἐστί που 'νταῦθ' ἢ Χάβης ὁ Φλυεύς*;

Digitized by Google

Ad vs. 222, ut coniecturam meam κὠπαδῶν ὄχλῳ stabilirem, laudare poteram locos scriptorum, ubi Maenades Bacchi comites dicuntur:

Soph. Ant. 1150 προφάνηθ', ὦναξ, σαῖς ἅμα περιπόλοις
Θυίαισιν.

Eur. Bacch. 56 θίασος ἐμός, γυναῖκες, ἃς ἐκ βαρβάρων
ἐκόμισα παρέδρους καὶ ξυνεμπόρους ἐμοί.

117 sqq. θηλυγενὴς ὄχλος ἀΦ' ἱστῶν παρὰ κερκίδων τ'
[οἰστρηθεὶς Διονύσῳ.

Hymn. Hom. XXVI, 9 αἱ δ' ἅμ' ἕποντο
νύμφαι, ὁ δ' ἐξηγεῖτο.

Paus. IV, 31, 4 τῶν ὁμοῦ τῷ Διονύσῳ γυναικῶν

Ov. Metam. IV, 25 Bacchae Satyrique sequuntur.

Invicem aliis locis Bacchis Liber comitari dicitur:

Soph. Oed. R. 211 sq. Βάκχον εὔιον Μαινάδων ὁμόστολον

Oed. Col. 678 sqq. ἵν' ὁ βακχιώτας ἀεὶ Διόνυσος ἐμβατεύει θεκτῖς
[ἀμφιπολῶν τιθήναις.

Sero cognovi de vs. 218—222 ante me Maasium plane eadem in medium protulisse atque ego (Deutsche Lit. Zeit. 1912, p. 2784).

Vs. 224—232, ubi narrat Cyllene, quae deinceps ex caverna sua audiverit, operae pretium est diligenter animadvertere, quo ordine res commemoret. Primum enim audivit κέλευμα κυνηγετῶν (vs. 225), simulque (vs. 225, 227: ὁμοῦ ... ὁμοῦ δ') aliquem de furto quodam conquerentem (vs. 227 sq.), deinde quasi praeconem aliquid renuntiantem (vs. 230), postremo satyros cum clamore ingenti adventantes et in aditum antri vi irruentes (vs. 231 sq.). Cum autem κήρυγμα illud non nisi ad praeconium ab Apolline factum (vs. 33—38) referri possit, sequitur iam ut venatores, de quibus hoc loco sermo est, eiusdem ministri sint, qui agmen canum eius ducebant. Confirmantur igitur hisce versibus ea quae supra ad vs. 15 de ἀκολουθίᾳ adnotavi.

Vs. 231 sq. καὶ τ[α]ῦτ' ἀφεῖσα, σὺν ποδῶν λαχ[τίσμασι]
[κ]ηδὼν ὁμοῦ πάμφυρ[τ]' ἐγειτν[ία στέγη].

In altero versu haud scio an praestet scribere πάμφυρ[δ]'. Sed

Digitized by Google

hoc levius. Aliam ob causam verba poetae, quae supra exscripsi, accuratius velim consideres. Unde pendet participium ἀφεῖσα? Si haec recte et tradita et lecta sunt, pro nominativo absoluto accipiendum mihi esse videtur. *Ut vero haec omnia omittam,* dicit Cyllene, *postremum vos vociferantes domicilia nostra invasistis.* Nominativo absoluto, qui, sicut in nonnullis aliis linguis, ita etiam in sermone latino occurrit (qua de re cf. nunc Guilielmus Baehrens, Glotta, 1912, p. 266 sqq.), hodie in grammatica graeca locus negatur. Cf. Kühner-Gerth, Griech. Gramm. II, 2, p. 108, n. 2. Etiam Albertus Thumb, in libro nuperrime edito (Brugmann-Thumb, Griech. Gramm. p. 606) nominativi absoluti mentionem facit ita, ut, re perpensa, talem casus recti usum linguae Graecae abiudicet. Quae enim nominativi absoluti speciem prae se ferunt, in anacoluthorum numerum relegat. Fateor equidem me non videre, qua in re duo exempla, quibus Thumbius l.l. defungitur, a nominativis absolute positis distent. Sunt autem haec: *οἰμωγὴ ἐκ τοῦ Πειραιῶς ... εἰς ἄστυ διῆκεν, ὁ ἕτερος τῷ ἑτέρῳ παραγγέλλων* (Xen. Hell. II, 2, 3). *Ταῦτα ἀτάκτως ἔχοντα, ὁ θεὸς ἐν ἑκάστῳ τε αὐτῷ πρὸς αὐτὸ καὶ πρὸς ἄλληλα συμμετρίας ἐνεποίησεν* (Plat. Tim. p. 69, b). Plane idem hoc esse videtur ac si scriptum esset: *τοῦ ἑτέρου τῷ ἑτέρῳ παραγγέλλοντος, τούτων ἀτάκτως ἐχέντων.* Similium exemplorum magna copia collecta est apud Kuehnerium l.l. p. 106—109. Quae percurrenti multa quidem tibi primo obtutu anacoluthi speciem praebere videri possint. Sunt tamen alia, de quibus hoc modo iudicari non posse censeo. Ex ipso Sophocle apud Kuehnerium locus adlatus est hicce:

Ant. 259 *λόγοι δ' ἐν ἀλλήλοισιν ἐρρόθουν κακοί,*
φύλαξ ἐλέγχων φύλακα.

Huic alter, qui vulgo minus recte intellegitur, addi potest:

Oed. Col. 1119 *ὦ ξεῖνε, μὴ θχύμαζε πρὸς τὸ λιπαρές,*
τέκν' εἰ φανέντ' ἄελπτα μηκύνω λόγον,

ubi vulgaris usus scriptorum *τέκνων φανέντων ἀέλπτων* postulasset.

Tertium locum praebent fragmenta Eurypyli nuper reperta:

67 *πολλὴ δὲ σινδών, πολλὰ δ' Ἰστριανίδων*
ὕφη γυναικῶν ἀνδρὸς ἐρριπτάζετο,
νεκρῷ διδόντες οὐδὲν ὠφελουμένῳ.

Neque aliter iudicandum esse mihi statuo de Oed. R. vs. 59 sqq.:

Digitized by Google

εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι
νοσεῖτε πάντες, καὶ νοσοῦντες, ὡς ἐγώ
οὐκ ἔστιν ὑμῶν ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ.

Cf. quae viri docti Groeneboom et Fraenkel in editione sua ad vs. 60 adnotaverunt. Quamquam fatendum est, si quis hunc ultimum locum separatim a ceteris consideret, facile fieri posse ut ei consilium illorum, qui hic anacoluthon vident, minime absurdum videatur. Vide etiam quae infra de vs. 273 sq. disputabo.

Eadem constructione, quae iam inde ab Homero apud Graecos vulgata fuerat, utitur Aeschylus, Prom. 200 sqq.:

οἱ μὲν θέλοντες ἐκβαλεῖν ἕδρας Κρόνον,
ὡς Ζεὺς ἀνάσσοι δῆθεν, οἱ δὲ τοὔμπαλιν
σπεύδοντες, ὡς Ζεὺς μήποτ' ἄρξειεν θεῶν ...

Vide quae praecedunt et quae sequuntur.

Ex Euripide hi potissimum loci adferendi sunt:

Hec. 970 αἰδώς μ' ἔχει,
ἐν τῷδε πότμῳ τυγχάνουσ', ἵν' εἰμι νῦν.

Hipp. 22 τὰ πολλὰ δέ
πάλαι προκόψασ', οὐ πόνου πολλοῦ με δεῖ.

Iph. Taur. 695 σωθεὶς δὲ παῖδας ἐξ ἐμῆς ὁμοσπόρου
κτησάμενος, ἣν ἔδωκά σοι δάμαρτ' ἔχειν,
ὄνομά τ' ἐμοῦ γένοιτ' ἄν ...

947 ἐλθὼν δ' ἐκεῖσε, πρῶτα μέν μ' οὐδεὶς ξένων
ἑκὼν ἐδέξαθ'.

964 εἰπὼν δ' ἀκούσας θ' αἵματος μητρὸς πέρι,
Φοίβός μ' ἔσωσε μαρτυρῶν.

Phoen. 283 μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος
μαντεῖα σεμνὰ Λοξίου τ' ἐπ' ἐσχάρας,
ἐν τῷδ' ἐπεστράτευσαν Ἀργεῖοι πόλιν.

Palam. fig. 583 πάλαι δή σ' ἐξερωτῆσαι θέλων,
σχολή μ' ἀπεῖργε.

Quod ad ceteros scriptores attinet, satis est laudare nonnullos locos ex Herodoto Thucydide Xenophonte Aristotele. Herod. VII, 157: ἀλὴς μὲν γὰρ γενομένη πᾶσα ἡ Ἑλλάς, χεὶρ μεγάλη συνάγεται. Thuc. II, 53: θεῶν δὲ φόβος ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε, τὸ μὲν κρίνοντες ..., τῶν δὲ ἁμαρτημάτων οὐδεὶς ἐλπίζων ... Xen. Hell. IV, 1, 24: ἅμα δὲ τῇ ἡμέρᾳ ἐπιπεσὼν τῇ Φαρναβάζου

Digitized by Google

στρατοπεδείᾳ, τῇ μὲν προφυλακῇ αὐτοῦ Μυσῶν ὄντων πολλοὶ ἔπεσον, αὐτοὶ δὲ διαφεύγουσι, τὸ δὲ στρατόπεδον ἁλίσκεται. Xen. Cyr. VI, 3, 2: ὄπισθεν δὲ ἡ φάλαγξ ἐφεπομένη, εἴ τι τῶν σκευοφόρων ὑπολείποιτο, οἱ προστυγχάνοντες τῶν ἀρχόντων ἐπεμέλοντο, ὡς μὴ κωλύοιντο πορεύεσθαι. Arist. Resp. Athen. VI: χρεῶν ἀποκοπὰς ἐποίησε ..., ἃ σεισάχθεια καλοῦσιν, ὡς ἀποσεισάμενοι τὸ βάρος. Patet hic subiectum verbi quod est καλοῦσιν diversum esse a nomine, quod ad ἀποσεισάμενοι mente supplendum est. Alii enim aetate Solonis ἀπεσείσαντο τὸ βάρος, alii aetate Aristotelis vocabulo quod est σεισάχθεια utuntur. Iure igitur et Maiorius et Hudius participium hic absolute positum esse arbitrati sunt. Quorum alter scripsit ἀποσεισαμένων, alter ἀποσεισαμένου (sc. Σόλωνος) vel etiam accusativo casu ἀποσεισάμενον. Nominativum vero eadem vice fungi posse nemini, ut videtur, in mentem venit. Omnino operae pretium est videre quomodo in plerisque locis huius generis se torqueant interpretes, ut constructionem, si me audis, simplicissimam explicent. Cf. e. g. quae Jebbius ad Ant. 259 adnotavit. Revera nulla hic est permixtio constructionum, nullum igitur anacoluthon, sed nominativus absolutus. Illud quoque magnopere scire cupio, cur nomina et participia neutrius generis absolute posita (ut e. g. δόξαν, προσῆκον, παρόν, Xen. Hell. III, 2, 19: δόξαντα δὲ ταῦτα καὶ περανθέντα, τὰ μὲν στρατεύματα ἀπῆλθεν. Cf. Kuehner-Gerth, II, 2, p. 88—90) potius pro accusativis quam pro nominativis accipiantur. Quod enim post ὡς accusativus absolute ponitur, nihil refert.

Versus mutilos 234 sqq. partim editoris vestigiis insistens sic legerim:

[Φω]νῶν ἀκο[ύ]σασ' ὧδε παραπεπαισμέν[ων]
[θεῶν ἔ]φ[ην] ἢ [δαιμό]νων ὑμᾶς νοσεῖν
νό[σον διδόντω]ν. τί πτοεῖτ' ἀναιτίαν;

Ultimum hemistichium an ita constitui possit, rogatos velim eos, qui posthac in volumen papyraceum denuo excutiendum operam studiumque conferent. Ad priora cf. verbum δαιμονᾶν, sive κακοδαιμονᾶν, *insanire*, nec non Aesch. Pers. 294 sq.:

ὅμως δ' ἀνάγκη πημονὰς βροτοῖς φέρειν,
θεῶν διδόντων.

Digitized by Google

Eur. Hipp. 1433 ἀνθρώποισι δέ,
θεῶν διδόντων, εἰκὸς ἐξαμαρτάνειν.
Soph. frg. 511 (Stob. IV, 17, 3):
ἦ ποντοναῦται τῶν ταλαιπόρων βροτῶν,
οἷς οὔτε δαίμων οὔτε τις θεῶν νέμων
πλούτου ποτ' ἂν νείμειεν ἀξίαν χάριν.
Men. Disc. 543 πρὸς θεῶν καὶ δαιμόνων.

Vs. 254 papyrus exhibet:
τὸ φθέγμα δ' ἡμῖν τοῦ[θ'], ὅπερ φωνεῖ, φράσον.
Praeeunte Richardsio, Huntius in altera sua editione scripsit: ὃ περιφωνεῖ. Ego, cum admodum dubium mihi videatur, num φράζειν τι esse possit *indolem alicuius rei explicare*, variam lectionem, quae e Theonis recensione desumpta in margine papyri adscripta extat, non spernendam esse censeo:
τὸ φθέγμα δ' ἡμῖν τοῦτο πῶς φωνεῖ, φράσον.
Sed dic nobis, quomodo sonitus ille emittatur. Cf. vs. 253, 302.

Vs. 255 διαχαράσσεται risus captandi causa κατ' ἀντίφρασιν pro τέρπεται positum est. Cf. Wilamowitzius l.l. p. 453, n. 1.

Vs. 259 sq.
καὶ γὰρ κέκρυπται τοὔργον ἐν [θ]ε[ῶ]ν ἕδραις,
Ἥραν ὅπως μ[ὴ πύ]στ[ι]ς ἴξεται λόγου.
Ecquid potius distinguendum est hoc modo:
καὶ γὰρ κέκρυπται τοὔργον, ἐν θεῶν ἕδραις
Ἥραν ὅπως μὴ πύστις ἴξεται λόγου.
Non enim ceteris omnibus Olympi incolis nota, uni Iunoni abscondita fuisse furta coniugis sui dicere vult poeta; sed, ut legitur in hymno homerico, Iuppiter antrum Cyllenium invisebat
λήθων ἀθανάτους τε θεοὺς θνητούς τ' ἀνθρώπους.

Vs. 261—264 paene pessumdatos partim restituere conati sunt Huntius et Murray:
Z[εὺ]ς γ[ὰρ] κρυΦ[αίαν ἐς στέ]γην Ἀτλαντίδος
[τήνδ' ἦκε κἀξέπραξεν ἀβουλ]εύσατο
[.....] υ.[.] φίλας
[.....] λήθῃ τῆς βαθυζώνου θεᾶς.

Digitized by Google

Ad duos ultimos versus intellegendos aliquid conferre potest Hymn. Hom. III, vs. 6 sqq.:

... ἔνθα Κρονίων
νύμφῃ ἐυπλοκάμῳ μισγέσκετο νυκτὸς ἀμολγῷ,
ὄφρα κατὰ γλυκὺς ὕπνος ἔχοι λευκώλενον Ἥρην ...

Quo loco collato, mihi in mentem venit scribere:

Ζεὺς γὰρ κρυφαίαν ἐς στέγην Ἀτλαντίδος
τήνδ' ἦλθε καὶ κατεῖδε κἀνυμφεύσατο.
νυκτὸς δ' ἀμολγῷ περιβολὰς δύ(ν)ει φίλας,
ὡς τοὔμμα (vel ὄμμα) λήθῃ τῆς βαθυζώνου θεᾶς.

Periculosae plenum aleae hoc opus esse quivis videt. Neque forsitan supplementum περιβολὰς δύ(ν)ει, *subit amplexus*, probaveris. Attamen nolui vs. 263 non exempli gratia refingere, ut ostenderem quomodo vs. 264 intellegi supplerique posset.

Vs. 265 sq.

[κατὰ σπέ]ος δὲ παῖδ' ἐφίτυσεν μόνον,
[τοῦτον δὲ] χερσὶ ταῖς ἐμαῖς ἐγὼ τρέφω.

Sic initia versuum Huntius, duce Wilamowitzio, supplevit. Interpretatur autem: „and in a lonely cave he begat a son". Sed adiectivum μόνος illo sensu tam raro occurrit (cf. Eur. Andr. 1221: μόνος μόνοισιν ἐν δόμοις), ut nemo hoc ita intellegeret, sed omnes non admoniti μόνον referrent ad παῖδα. Ita nunc facit Terzaghius (I Cercatori di traccie, Florentiae, 1913, p. 117) vertens: „nella grotta generò un figlio solo". Sed hoc rursus paene ridiculum est; geminos enim peperisse Maiam quis expectat? Difficultati, quam notavi, vereor ut succurri possit, nisi scribendo:

[ὃν εἰς τέλ]ος δὲ παῖδ' ἐφίτυσεν, μόνῃ
[τοῦτόν γε] χερσὶ ταῖς ἐμαῖς ἐγὼ τρέφω·
[μητρὸς γ]ὰρ ἰσχὺς ἐν νόσῳ χειμάζεται.

[εἰς τέλ]ος scripsi respiciens Hymn. Merc. vs. 10 sqq.:

ἀλλ' ὅτε δὴ μεγάλοιο Διὸς νόος ἐξετελεῖτο,
τῇ δ' ἤδη δέκατος μεὶς οὐρανῷ ἑστήρικτο,
καὶ τότ' ἐγείνατο παῖδα ...

Vs. 273 sq.

[οὔπω γ]ὰρ ἕκτον ἦμαρ ἐκπεφασμένος
[γυίοι]ς ἐρείδει παιδὸς εἰς ἥβης ἀκμήν.

Digitized by Google

Primas syllabas utriusque versus ex coniectura supplevit Wilamowitzius. Huntio in mentem venerat [*ἰσχὺ*]*ς ἐρείδει* ..., quod tamen ipse reiecit casum participii *ἐκπεφασμένος* obstare ratus. Si vero sententia, quam ad vs. 231 de participio *ἀφεῖσα* absolute posito proposui, recto talo stat, nihil impedit quominus legatur:

[*μόλις γ*]*ὰρ ἕκτον ἦμαρ ἐκπεφασμένος,*
[*ἰσχὺ*]*ς ἐρείδει παιδὸς εἰς ἥβης ἀκμήν.*

Mercurium paene adultum fecit poeta ea de causa, quod actorum alteri partes Apollinis et Cyllenes, alteri Sileni et Mercurii agendae erant.

Vs. 277 *.....τ.'....' ἐστὶ τοῦ πατρὸς θέσει.*

Τοῦ *πατρὸς θέσει* nihil esse potest nisi: *iussu patris*. Cf. *θεσμός*, *διάθεσις*, *τιθέναι*, *iubere*, Il. XVI, 223. Huntius versum ita refinxit:

δυσεύρετός τ' ἔτ' ἐστι τοῦ πατρὸς θέσει,

et iussu patris adhuc inventu difficilis (i. e. *absconditus*) *est*. Post *δυσεύρετος*, quod proposuit Murraius, propter accentum acutum supra appictum *τε*, non *δέ*, legendum esse monuit Huntius. Particulam encliticam desiderari patet; atqui coniunctio *τε* sententiae non apta esse videtur. Potius igitur post adiectivum in *-τος*, quidquid id fuit, legendum *γε* et sententia cum priore per coniunctionem *καί* connectenda. Neque vero supplementum *δυσεύρετος* multum probabilitatis habet. Equidem tentaverim:

κἀνένδυτός γ' ἔτ' ἐστὶ τοῦ πατρὸς θέσει.

Nutrix: *mirum in modum*, inquit, *puer modo natus iam pubescere incipit, iussu tamen patris adhuc veste caret*. Mercurius enim etiam in hymno homerico, cum boves rapit, adhuc sine pallio degit et *σπαργάνοις* i. e. *pannis* (non *fasciis*, cf. van Hoorn, De vita atque cultu puerorum, p. 6) amictus in lucem atque adeo in Olympum procedit. Atque *σπάργανα* illa satis magnas partes agunt risusque movendi causa non uno loco commemorantur in ludicro illo carmine poetae ionici. Cuius iocosum ingenium ut cognoscatur, maxime attendendum est ad vs. 388, ubi dicit poeta Mercurium in coetu deorum verba facere coactum pannum, quo antea in *λίκνῳ* involutus iacuerat (cf. vs. 268, 301, 306), non abiecisse quidem — alius enim amictus ei non erat — sed *ἐπ' ὠλένῃ*, circum laevum brachium intortum gessisse (ut frequentissime ab artificibus antiquis effictus est). Infantili habitu,

Digitized by Google

nisi quod pro pileo petasus capiti impositus est, ornatum, sed quod ad staturam attinet iam propre ad adultam aetatem accedentem Mercurium cum bobus pinxit Brygus, lepidus ille pictor atheniensis aliquot annis maior natu quam Sophocles; cf. cylicis Vaticanae optimum photographema apud van Hoorn, l.l. tab. 3. Ergo vix dubitandum esse mihi videtur, quin Sophocles quoque Mercurium, cum in posteriore parte fabulae in medium prodiret et cum fratre Apolline congrederetur, panno, non pallio, amictum esse voluerit. Nulla enim causa erat, cur in hac re popularem fabulae formam immutaret, cum nihil indoli fabulae satyricae accommodatius cogitari posset. Nec tamen abs re erat aliquid praemonere et docere spectatores, quamobrem Mercurium adhuc infantili ornatu contentum esse oporteret. Vocabulum quod est *ἀνένδυτος* delibavi ex Hesychio: *ἄφαροι· ἀνείματοι, ἀνένδυτοι.* Ceterum vocabulum nihil moror, dissero de re. Restat ut moneam vim adversativam, quae in supplemento meo coniunctioni *καί* tribuenda est, etiam inveniri Philoct. vs. 29, ubi Neoptolemus, postquam se antrum Philoctetis invenisse significavit, exclamat:

καὶ στίβου γ' οὐδεὶς κτύπος,

nulli tamen pedum crepitus audiuntur. Quo loco in codicibus est *τ'*, sed consentiunt fere viri docti cum Triclinio legendum esse *γ'*.

Vs. 295 papyrus habet *χυτροιδής*, in margine varia lectio *τροχοιδής* adscripta est, Huntius dedit *χυτρώδης*. Mihi lectio tradita non continuo abicienda esse videtur. Primum enim consensus, qui in terminationibus vocum *χυτροιδής* et *τροχοιδής* conspicitur, certo certius ostendit non per merum errorem scribae haec orta esse. Hoc si concedas, deinde rogatos velim illos, penes quos de eiusmodi rebus cum maxime indicium est, possintne *χυτροιδής* et *τροχοιδής* per contractionem provenisse e *χυτροειδής* et *τροχοειδής*. Nam *οει* in *οι* abire notum est (cf. *μισθόει, μισθοῖ*, Brugmann-Thumb, Griech. Gramm. p. 72, 63). Constat quidem cetera adiectiva in *-οειδής*, quoad sciam, omnia contractionem respuere. Sed tamen semel in Odyssea legitur *ἀλλοειδέα* in tres longas syllabas contractum:

XIII, 194 *τούνεκ' ἄρ' ἀλλοειδέα Φαινέσκετο πάντα ἄνακτι.*

Quae utrum synecphonesis vel synizesis (*ἀλλοειδέα*) rectius dicatur

Digitized by Google

an vera contractio (ἀλλοιδῆ), non multum refert, cum ex eiusmodi synizesi contractionem oriri posse consentaneum sit. Probe novi lectionem ἀλλοειδέϊ a multis criticis impugnatam esse et hodie impugnari, qui omnia aggredi solent, quae rariora minusve vulgato usui accommodata sunt, sed frustra: sermo enim homericus ad unam normam exigi non potest. Conferatur modo similis contractio αἰκῶς vel ᾐκῶς ex ἀρεικέως (Il. XXII, 336), quae nec ipsa tentanda fuit. V. Bechtel, Die Vocalcontraction bei Homer, p. 303. Aliter G. Schulze, Quaest. Ep. p. 10 sq.; v. etiam p. 288, 4 de Od. XIII, 194.

Ad vs. 300 sq. Testudo et scarabaeus revera forma inter se similes sunt. Inde est etiam quod aliud genus quoddam scarabaeorum apud Graecos a testudine nomen traxit. Cf. Hesychius: χελωνιάς· ἡ ποικίλη κανθαρίς.

Vs. 302 chorus ubi post multos irritos conatus rescivit animal, quo Mercurius ad lyram fabricandam usus esset, simile esse scarabaei, pergit Cyllenen interrogare hoc modo:

τ[ί δ' αὖ τὸ] Φωνοῦν ἐστιν αὐτοῦ, τοὐντὸς ἢ τοὔξω, Φράσον,

quaenam pars eius voce praedita sit, interior an exterior, dic mihi quaeso. Huic quaestioni aliquo modo responsum esse oportet versu sequenti, cuius lacunas nemo adhuc sanare aggressus est. Sonat autem *interior* sive concava pars testudinis. Sed aliquatenus αἰνιγματῶδες fuisse responsum docent reliquiae. Tentaverim:

[κάτωθεν ἠχεῖ] λο[πὰς] ὀρεινὴ σύγγονος τῶν ὀστρέων.

Ab inferiore parte resonat montana patina ostreis cognata. Κάτωθεν scripsi cogitans statum naturalem vivae testudinis. Sed priora verba supplementi, ut quivis videt, incerta sunt. Magis fido coniecturae λο[πάς], collato vs. 295: χυτροειδής. Cf. etiam vs. 280, et Philoct. vs. 28 sq.

Vs. 318 χαίρει δ' ἀλύων.

Temere pro ἀλύων ἀθύρων coniecit Buchererus (Berl. phil. Woch. 1912, p. 1107 sq.), quem sequitur Maasius (ibid. p. 1429). Nam ἀλύειν proprie dicitur de animi commotionibus, sive gaudio sive dolore sive amore sive musicis oriuntur, quae hominibus sensus eripiunt (cf. ἐξαίρει vs. sq.). Ceterum quod papyrus scribit

Digitized by Google

ἀλυίων, hic non scribae cuiusdam error esse potest, sed aut παραδιόρθωμα grammatici est aut ipsa manus poetae. Cf. ὀπυίειν, φυίειν similia. Apud Homerum θυίειν non uno loco recte traditum esse iure dixit Guilielmus Schulze Quest. ep. p. 314. Apud Sophoclem Ant. 1151 legitur Θυίαισιν (codd. Θυιάσιν), apud Timotheum Pers. 75 ὑπερέθυιεν. Ἀλυίειν quoque idem G. Schulze Homero vindicavit (ibid. p. 310 sq.). Vere attica non esse ἀλυίειν pro ἀλύειν et χυτροιδής pro χυτροειδής concedendum est. Sed quid obstat quominus Sophoclem has voces e carminibus epicis desumpsisse credamus?

Vs. 321 sqq. ὁ(ρθο)ψάλακτός τις ὀμφὰ κατοιχνεῖ τόπου, πρεπτὰ (δ' αὖ) διὰ τόνου φάσματ' ἔγχωρ' ἐπανθεμίζει.

Ante hos versus nostra saltem aetas requireret parepigraphen ψαλμός. Nam chorus ita loqui non posse videtur, nisi rursus fidium cantu exaudito. Quin etiam poetam voluisse putaverim lyram hic praecipue σμερδαλέον κονχβῆσαι, cum verba chori summum, me iudice, terrorem ac pavorem indicent. Qua in re a sententiis hucusque a viris doctis prolatis aliquantum discedere me sentio. Vertit Huntius: „A loud voice goes forth over the land, and through its tones culls clear images of the scene(?)"; Robertus (Die Spürhunde[2], Berolini, 1913, p. 26): „Mit Blumen schmücket sich bei dem Getöne das Waldesgrün. Wie Luftgestalten woget und webet es her und hin"; Terzaghi (l.l. p. 117): „Una voce risonante passa per questo luogo, e mirabili apparizioni per mezzo della musica fioriscono sul paese". Idem adnotat: „Sofocle sa qui accennare ad uno dei più meravigliosi effetti della musica, la quale è capace di dar forma e quasì sostanza a certi sentimenti, che pare assumano parvenze precise e popolino i luoghi ove essa risuona". Libere fatebor? Ea quae dicere tentant mihi adeo non persuadent viri docti, ut longe alium sensum verbis poetae subesse suspicari me cogant. In quo enucleando proficiscendum est a voce πρεπτός, quod adiectivum verbale verbi πρέπειν esse itaque significare *eximius, egregius, excellens, elucens* apparet. Locus autem Hesychii, quem attulit Wilamowitzius: πρεπτά· φαντάσματα, εἰκόνες docet φαντάσματα i. e. *larvas* non solum hoc loco, sed saepius, cum tetra et abominanda esse crederentur, per euphemismum πρεπτά

Digitized by Google

dicta esse. Cf. origo vocis *manes*. Iam quod ad ἐπανθεμίζειν attinet, vix aliud hoc esse potest atque ἐπανθεῖν, *efflorescere, emanare*. Totum igitur locum sic fere verterim: *Argula vox per agros pervadit verendaque huius loci simulacra sono concita exoriuntur*. Subito horrore perculsus chorus imaginatur manes novo sono commotos sepulcris exiisse. Fortasse poetae, cum haec scriberet, ante oculos obversabatur Mercurii in talibus rebus potestas. Quem Graecos non tantum animas defunctorum ad inferos deducere, sed etiam inde rursus elicere posse credidisse docet pictura in lecytho attica musei Ienensis (cf. Harrison, J. H. S. XX, p. 101; Proleg. to the study of greek relig. p. 43).

Post πρεπτά metro cogimur unam syllabam longam inserere. Proxime autem ad lectionem traditam πρὲπτᾱ accedemus scribendo: πρεπτά (τ', ἄ,) διὰ τόνου κτλ. Nam quod interiectio ἄ alibi apud tragicos nonnisi initio versus invenitur, non me movet.

Vs. 324 τὸ πρᾶγμα δ' οὔπερ πορεύω βάδην.

Cum vix credibile sit Sophoclem modo activo verbi πορεύειν pro medio usum esse, iure Wilamowitzium hunc locum corruptum esse dixisse reor. Si tamen πορεύω in πορεύεις corrigere licebit, omnia recte habebunt. Dicet chorus: *quod ad rem attinet, quo me iam sensim adducis*. Pro οὔπερ fortasse οἷπερ legendum esse iam Huntius dixit.

Vs. 357 sq., signo interrogationis addito, ita distinguo:

ἀλλ' αἰὲν εἶ συ παῖς; νέος γὰρ ὢν ἀνήρ
πώγωνι θάλλων ὡς τράγος κνηκῷ, χλιδᾷς.

Numquam tu ex pueris excedes? Quamvis enim iam adulescens sis hircina barba ornatus, (tamen adhuc puerorum more) lascivis.

Vs. 360 [ο]ὐκ ἐκ θεῶν τὰ μῶρα κἀὶ γέλοια χρή
[χ]ανόντα κλαίειν ὕστερ'; ὡς ἐγὼ (λ)έ(γ)ω.

Haec e litteris litterarumque vestigiis voluminis papyracei elicuit Huntius. Sed sententia, textu ita constituto, evadit inanis et falsa: *nonne eum qui stulta et ridicula effutivit ex lege divina poenas dare oportet?* Nam si diis curae esset ut mortales propter stultiloquentiam castigarent, tempus irrito labori deficeret. Summo igitur iure Wilamowitzius ἐκ θεῶν in εἰς θεούς emendavit (Ox.

Digitized by Google

Pap. IX, p. 84; Neue Jahrb. 1912, p. 460, n. 2). Mendum ortum esse videtur e frequentissima permutatione litterarum K et IC, de qua cf. Cobet, Var. Lect. p. 199, 279, I. C. Vollgraff, Stud. palaeogr. p. 56. Itaque cum Wilamowitzio legendum est:

οὐκ εἰς θεοὺς τὰ μῶρα καὶ γέλοια χρή
χανόντα κλαίειν ὑστέρως, ἐγὼ λέγω;

Cf. Soph. Ai. 1226 sq.:

σὲ δὴ τὰ δεινὰ ῥήματ' ἀγγέλλουσί μοι
τλῆναι καθ' ἡμῶν ὧδ' ἀνοιμωκτὶ χανεῖν;

Vide tamen ne viri clarissimi praestantissimum inventum, quod Huntium, Diehlium (Supplem. Soph., Bonnae, 1913, p. 18), Terzaghium consensu sprevisse mirum est, parvo supplemento et quasi fulcimine indigeat. Ante μῶρα καὶ γέλοια abundat articulus, ad χανόντα desideratur. Ellendtius certe, qui in proprietatem sermonis Sophoclei in usu articuli observandam data opera inquisivit, dicit: „*Participia* autem ea libertate non utuntur, ut in certa re substantive dicta articulo careant" (lex. Soph. p. 498). De „certa" autem „re" hoc loco agi docet participium aoristi χανόντα. Nonne igitur pro τά legendum est τόν, ut evadat sententia omnibus numeris perfecta: *nonne eum, qui stulta et ridicula in deos iactavit, posthac poenas dare oportet, inquam?* Ceterum utrum in fine legendum sit: ὑστέρως, ἐγὼ λέγω; an ὕστερ'; ὡς ἐγὼ λέγω. difficile dictu est. Sed hoc minoris momenti est.

Vs. 362 sqq. ὁποίαν θέλεις βάξιν εὕρισκ' ἀπόψηκτον.

Vocem ἀπόψηκτον hucusque ignotam non male vertit Huntius: *well groomed, elaborate*, Terzaghius: *ben rifinita*. Significare videtur: *detersus, limatus, perpolitus, concinnus, callidus, catus*. Aliter Wilamowitzius l.l. p. 453, n. 1.

In fine huius disputationis non possum quin profitear, quantam admirationem in lepidissimae fabulae reliquiis pertractandis mihi moverit ingenium egregii viri, qui voluminis a se inventi primam editionem curavit, eorumque quibus in hoc labore perficiendo ei operam navare licuit.

Digitized by Google

AD DURIDIS FRG. XXXI.

Apud Athenaeum p. 535, f adfertur fragmentum e Duridis Historiis, quo regius cultus Demetrii depingitur: ... *αἱ δὲ χλαμύδες αὐτοῦ ἦσαν ὄρφνινον ἔχουσαι τὸ φέγγος τῆς χρόας, τὸ δὲ πᾶν ὁ πόλος ἐνύφαντο χρυσοῦς ἀστέρας ἔχων καὶ τὰ δώδεκα ζῴδια*. Eadem vestis apud Plutarchum (Vita Demetr. XLI) dicitur *εἴκασμα τοῦ κόσμου καὶ τῶν κατ' οὐρανὸν φαινομένων*. Quod ait Duris *τὸ δὲ πᾶν* Schweighaeusero elliptice dictum videbatur pro *ὥστε τὸ πᾶν εἰπεῖν, ut verbo dicam*. Herwerdenus (Mnem. 1891, p. 214) coniecit scribendum esse: *ἔτι δὲ πᾶς ὁ πόλος* ... Kaibelius in editione Athenaei tantum adnotavit verba *τὸ δὲ πᾶν* sibi suspecta esse. Mihi genuina videntur. Τὸ *πᾶν* enim Graecis philosophis inde a IV^{o} a. C. saeculo est *universum, mundus, ὁ κόσμος, ὁ οὐρανός, ὁ πόλος*. Quod demonstrare vix opus est. Apponam tamen locos nonnullos e Platone et Aristotele. Plato, Politic. p. 270, b: *τὴν τοῦ παντὸς Φορὰν τοτὲ μὲν ἐφ' ἃ νῦν κυκλεῖται Φέρεσθαι, τοτὲ δ' ἐπὶ τἀναντία*. Arist., p. 285, a, 32: *σφαιροειδὲς εἶναι τὸ σχῆμα τοῦ παντός*. p. 287, a, 11 sq.: *κύκλῳ περιΦέρεσθαι τὸ πᾶν*. p. 296, b, 15 sq.: *συμβέβηκε δὲ ταὐτὸ μέσον εἶναι τῆς γῆς καὶ τοῦ παντός*. p. 212, b, 17 sq.: *ὁ γὰρ οὐρανὸς τὸ πᾶν ἴσως*. Cf. etiam Diog. Laert. VII, 143: *τὸ δὲ πᾶν λέγεται, ὥς Φησιν Ἀπολλόδωρος, ὅ τε κόσμος καὶ καθ' ἕτερον τρόπον τὸ ἐκ τοῦ κόσμου καὶ τοῦ ἔξωθεν κενοῦ σύστημα*. Iam apparet verba *ὁ πόλος* ad praecedentia *τὸ πᾶν* illustranda adiecta perperam in ipsum textum irrepsisse. Scripserat Theophrasti discipulus: *τὸ δὲ πᾶν ἐνύφαντο χρυσοῦς ἀστέρας ἔχον καὶ τὰ δώδεκα ζῴδια*.

G. V.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex vol. XLI pag.* 446).

CV.

DE IUDICIIS IN REM DUPLICIBUS.

Pars tertia.

Nunc de praediorum iure Saxonico videamus eo, quod a duodecimo obtinuit saeculo. Et constat iure Saxonico praedii possessorem possessionis suae causam dicere [1]), deinde, si emptionem dicat, necdum diutina possessione tutus sit [2]), auctorem sistere debere [3]), sin praescripserit, quasi iam sui warandum [4]) nullo auctore indigere [5]),

---

1) *Richtst. Ldr.* 26 § 4 (Laband, *Vermögensr. Klagen* p. 176/7; Planck, *Gerichtsverf.* I p. 504; Heusler, *Gewere* p. 227); *Magdeb. Schöffenspr.* III B 42 (I p. 488) (*„so mus er vorbas sagen, von welchen sachen das (der hoff) ym wordin sy"*).

2) Triplex est iure Saxonico praescriptio: immemorialis (e. g. Wasserschl., *Sammlung* (I pag. 431/2) V 86), tricennalis (Laband, op. cit. p. 372-374; Planck, op. cit. I p. 636-641; Heusler, *Gewere* p. 251; id. *Institut.* II p. 105); annalis. Cis Rhenum quoque duodecimo saeculo invenitur quum tricennalis praescriptio (Heusler, *Gewere* p. 341), tum annalis (id., ibid. p. 341/2; Kohler, *Pfandr. Forsch.* p. 24 not. 2).

3) *Richtst. Ldr.* 25 § 2 (Planck, op. cit. I p. 528 (§ 63); Laband, op. cit. p. 261).

4) Susat. iustit. (Gengler, *Stadtrechte* p. 443) § 34.

5) Laband, op. cit. p. 330; Planck, op. cit. I p. 665; Heusler, *Gewere* p. 249; Bruns, *Recht des Besitzes* (1848) p. 319[1]. Regula interdum fallit (Planck, op. cit. I p. 667; Laband, op. cit. p. 335), quin secundum aliquem asinum, ut Longobardice loquar, semper (apud Wasserschl., *Sammlung* (I pag, 16) I 122).

Digitized by Google

sed iureiurando [1]) rem obtinere posse [2]). Qui hereditario iure se defendit, cui de ipsa hereditate quaestio non moveatur [3]), ei perinde ut apud Francos auctoris datio remittitur [4]), modo iuret cum sex testibus hereditatem suam, id est, proprietatem testatoris sui [5]). Ceterum in eius quoque terrae litium monumentis raro [6]) auctor praeterquam beneficii [7]) sistitur, multoque saepius instrumentum comparationis [8]) apud iudicem ostenditur [9]) aut [10]) sistuntur testes [11]), qui negotio interfuerint [12]). Quo evanescit

---

1) Iurare debet, qui annali praescriptione se defendit (Heusler, *Gewere* (§ 17) p. 237). Cur debeat, quaerunt Planck, op. cit. I p. 663; Heusler, *Institut.* II p. 107/8.

2) Cf. Laband, op. cit. p. 346/7; Planck, op. cit. I p. 661-665; Heusler, *Institut.* II p. 107.

3) Ipsa hereditatis controversia suam legem habet (cf. *Richtst. Ldr.* 19 § 1; 23 § 1, § 6, § 7; 24; Laband, *Klagen* p. 353-382; Krom, *oudned. erfhuisrecht*, Diss. Leid. 1878 p. 96/7; Brunner, *Entst. der Schwurgerichte* p. 376/9, et ex iure Longobardico Roth. 153 cum form. (1) et Expos. (§ 10); Roth. 164; Bethmann-Hollweg IV p. 62 (post notam 5); V p. 358).

4) gl. *Ssp.* II 43 § 2 (Laband, op. cit. p. 284; Planck, op. cit. p. 525).

5) Wasserschl., *Samml.* II 219 (I pag. 110); IV 104*a* (I pag. 246/7); Laband, op. cit. p. 178/9; Planck, op. cit. I p. 525[2,4]; *Magdeb. Schöffenspr.* III B 14 (I p. 449 = Wasserschl. V 9); III B 19 (I pag. 453 = Wasserschl. IV 104*a*). — De rebus mobilibus cf. Planck, op. cit. I p. 703/4, 712, 717/8; Laband, op. cit. p. 141/3.

6) In Cod. diplom. Brandenb. (Gercken) IV no. 247 (anni 1347) possessor modo pignoris (§ 1, § 7) modo beneficii auctorem sistere iubetur. Apud Wigand, *Denkw. Beitr.* (1858) VI 1 § 23 offerunt possessores instrumentum et auctorem, iubentur auctorem sistere. Cf. praeterea Wasserschl. IV 191 (I pag. 343).

7) Wasserschl. IV 87 (I pag. 240); IV 173 (I pag. 321); V 17 (I pag. 370); V 34 (p. 386/7); V 87-89 (I pag. 432-434); *Magdeb. Schöffenspr.* passim (cf. Planck, op. cit. I p. 593). Plerumque tamen etiam testes dantur, veluti Wasserschl. IV 59; 118; 163; 168; 169; 176; 179; 186; 196; V 23; 26; *Magdeb. Schöffenspr.* III B 55 (I p. 498) (cf. *Blume d. Magdeb. R.* I 90 = *Richtst. Ldr.* pag 346/7).

8) Publicum („*Schöppenbrief*") requiritur, quatenus translatio iudicem exposcit.

9) Cf. e. g. Wasserschl. II 62 (I pag. 87); II 224 (I pag. 112); *Goslar. Rechtserk.* 4 (Bruns, *Beitr.* (1799) p. 181); *Magd. Fr.* I 3 d. 18, 19; I 4 d. 5. Sero hoc receptum esse docet Planck, op. cit. II p. 193, 196-199.

10) Prorsus est singulare, quod *Schleswig-Holst. Urkundensamml.* II no. 409 (Laband, *Klagen* p. 273) instrumentum proferenti datur potestas per testes probandi.

11) Ex infinita copia cf. e. g. *Magdeb. Schöffenspr.* III B 42 (I pag. 488): „*spricht er denne (der hoff) were ym .... gegebin daz muste er mit .... gezugnisse bewisen*". — Quatenus translatio iudicem exposcit, eatenus privati testes repelluntur. Cf. Laband, *Klagen* p. 254[3].

12) Hoc manifestum est de testimonio iudicis et scabinorum. Ceterum eodem modo intelligo ius civile Monasteriense § 41 (Gengler, *Stadtrechte* p. 306 = Laband, *Klagen* p. 202 = Planck, *Gerichtsverf.* I p. 573) et *Schlesw.-Holst. Urkundensamml.* II no. 409 (Laband, *Klagen* p. 273) de probatione duobus civibus.

Digitized by Google

omnis difficultas circa eum, cuius auctor in orco est [1]), et eum, qui ab ipso petitore se emisse contendit [2]), sed oritur circa eum, qui èt instrumentum velut incendio perdidit èt ipsorum morte testimonio fraudatus est [3]). Quod vero diximus: emptori necessariam esse auctoris praesentiam, solere tamen instrumento vel testibus rem expediri, valde id quidem conturbavit iuris Saxonici interpretes, sed aliter alius nodum solvit. Docet interpolator speculi Saxonici [4]) tamdiu esse auctorem sistendum, quamdiu praedium non sit per iudicem ad novum dominum translatum [5]) (*„he sal ine in der gewere vorstan, dewile* [6]) *he't ime nicht upgelaten ne hevet"*), ea nimirum ratione, quod sit alioquin aut publici instrumenti copia aut futurus testis iudex cum scabinis, sed alibi [7]): auctore opus esse, donec praescriptum sit, quod cum ceteris testimoniis [8]) congruit [9]). Quocirca superioris sententiae neque ratio habenda est neque est habita a novis interpretibus. Sed credit Laband [10]), tunc sistendum esse auctorem, quum non sit contentus reus actoris ius denegavisse (*„(wenn) der Verklagte .... nicht auf einfaches Bestreiten der .... Aktivlegimitation sich beschränk(t)"*), quasi vero liceat reo nuda denegatione adversus in rem actionem se defendere [11]). Ex diverso Planck [12]), tunc non sistendum esse auctorem indicat, quum appareat, quo modo refragetur defensio petitioni (*„falls sich der Zusammenhang der vom Beklagten behaupteten Berechtigung mit dem vom Kläger erhobenen Anspruch klar übersehen .... lässt"*), quasi vero praesentia auctoris effectura sit, ut id magis appareat. Videant igitur, an hic quoque conveniat solutio, quam in causa Onetoris

1) Cf. Planck, op. cit. I p. 547/8 (atque de rebus mobilibus: p. 715 lin. 5-8).

2) Cf. Planck, op. cit. I p. 544; Laband, *Klagen* p. 254[3] (atque de rebus mobilibus: Planck I p. 713/4).

3) Cf. Planck, op. cit. II p. 164 lin. 7 sqq. atque Dipl. Conr. II no. 58.

4) I 9 § 5.

5) Cf. Planck, op. cit. I p. 543[4].

6) Interpretatur Laband, *Klagen* p. 306, acsi scriptum esset *ok dewile* (*„auch schon vor(her)"*).

7) II 42 § 2; III 83 § 2.

8) Maxime cum Susat. iustit. § 34 (Gengler, *Stadtrechte* p. 443).

9) Congruit etiam *Ssp.* III 83 § 3 io. I 29. Cf. Planck, op. cit. I p. 636 sqq.

10) Op. cit. p. 261 (ia. p. 282/3).

11) Non licere supra demonstravimus, sed debere semper possessorem causam dicere.

12) Op. cit. I p. 545.

Digitized by Google

commendavimus: si postuletur, auctorem sisti oportere, alioquin instrumento vel testibus munitum esse possessorem. Sicut autem rei mobilis auctor ad suum auctorem ducere cogitur, donec ad eum perveniatur, apud quem nata sit [1]), ita praedii auctor auctorem rursus sistet [2]), donec [3]) ad eum perveniatur, cui *defensio* [4]) *detur* [5]), id est, qui aut praescriptione tutus sit, cuive propterea auctoris datio remittatur, quod hereditario iure se defendat, quive a petitore ad feudum investitum se dicat. Etenim huic quoque defensio datur [6]) eadem, ni fallor, ratione, quam propter in possessione probanda is, qui se dicit fidelem, domino praefertur [7]). Est autem iure Saxonico *defensio* sive possidentis commodum eius scilicet, cui remittatur auctoris datio vel tituli probatio — non, quod putat Planck [8]): eius, cuius titulus non impugnetur, in tali enim specie nulla defensio requiritur [9]), quodve putant Laband [10]), Heusler [11]): eius, cuius simpliciter [12]) titulus impugnetur; est enim omnimodo a reo disceptatio incipienda [13]), quocirca, quatenus titulum impugnare liceat, ante

1) Plura dabit Laband, *Klagen* p. 128 136.

2) Laband, op. cit. p. 286[5].

3) Putat Laband (op. cit. p. 286) auctorum auctores sistendos esse, *„bis derjenige dem Kläger gegenüberst(eht), der durch seine .... Veräusserung das Recht des Klägers verletzt ha(t)"* (cf. l. Rip. 72 § 1). Quasi vero futurum sit, ut litigetur, si *constet*, actoris iura esse violata. Substituit idem p. 288 *„diejenige Person ...., von welcher sich die Rechte des Klägers und des Verklagten, wie aus einem Kreuzungspunkte ableiten"*. Quasi vero talis persona utique sit.

4) Wasserschl. IV 39*a* (I pag. 171) (eodem sensu): *„der Eid"*.

5) Cf. I Feud. 4 pr. (= Compil. ant. I 6 § 1).

6) Planck, *Gerichtsverf.* I p. 577. 1 (cf. ibid. p. 531 atque Heusler, *Gewere* p. 231. 1).

7) Cf. Laband, op. cit. p. 206; Planck, op. cit. I p. 611; Heusler, *Gewere* p. 262.

8) Op. cit. I p. 575 ima: *„wenn Kläger .... kein besseres Recht .... behauptet hat als der Beklagte"*.

9) Laband, op. cit. p. 178: *„wer sich selbst .... keinen Anspruch auf den Besitz zuschreibt, hat auch nicht die Befugniss den Besitzer zur Nachweisung seines* (= dessen) *Rechtes zu nöthigen"*. Interesse quidem putat Planck, l.l. (not. 22), utrum quis nihil iuris sibi vindicet an non satis (*„kein besseres Recht als der Beklagte"*).

10) Op. cit. p. 181 (cf. p. 178).

11) *Gewere* p. 75/6, 86/7, 151, 228, 234. Cf. *Institut.* II p. 24: *„lässt sich der Kläger auf die Bestreitung des Rechts des beklagtischen Autors nicht ein, ... so erhält der Beklagte das Recht* etc.".

12) Id est, mera negatione.

13) Planck, op. cit. I p. 688: *„das deutsche Recht .... von der Vertheidigung ausgehend* etc.".

Digitized by Google

omnia de titulo constare debet vel probatione vel actoris confessione — est igitur defensio eius, cui remittatur auctoris datio vel tituli probatio: posse quem testibus datis, qui sciant eius, rem retinere; dandi sunt autem testes, sicut in re mobili duo, ita in re immobili sex numero [1]). Quodnisi potest possessor vel eius auctor duobus testibus probare rem apud se natam esse, vel sex testibus [2]) aut feudum suum, quum petitorem dominum agnoscat, aut diutinam possessionem [3]) aut hereditariam adquisitionem [4]), totidem testibus petitor rem evincet. Quamquam in praediorum vindicationibus — de mobilium rerum vindicationibus supra comprehendimus — parum constare videtur, sitne post auctoris defectionem adhuc probatio a petitore exigenda [5]). Ceterum non utique sufficit eum auctorem habuisse, qui praescriptione tutus sit quive hereditario iure se defendat; potest enim a quocumque res evinci, cuius auctori ius non fuerit petitore invito rem alienandi [6]), eaque ipsa est in litium monumentis frequentissima vindicationis causa [7]). Convenit, quod de Onetore diximus, et potuimus idem de ceterorum iuribus observare [8]), nisi Saxonico hoc plus est, quod etiam ab ipso auctore, qui non iure abalienaverit, res vindicari potest, quasi ius

---

1) Planck, op. cit. II p. 134, 136; Laband, op. cit. p. 178/9. Exstat tamen sententia (Wilmans, Additam. 78), ut de proprietate terrae tertia manu iuretur. Nam Wasserschl. V 9 (*selpvirde*) corrigitur per *Magdeb. Schöffenspr.* III B 14 (I pag. 449).

2) Quantum valent sex testes, tantundem valere videtur *die Kuntscap* (cf. Laband, op. cit. p. 179 lin. 13, p. 220[10] p. 225[10]; Planck, op. cit. II p. 66).

3) Laband, op. cit. p. 340-342; Planck, op. cit. I p. 656 (*„nach der älteren .... Auffassung"*). De praescriptione tricennali cf. Laband, op. cit. p. 220[10]; de immemoriali: Wasserschl. V 86 (I p. 431/2).

4) Planck, op. cit. p. 525[14]; cf. Laband, op. cit. p. 178-181. — In annua praescriptione hoc amplius requiritur, ut proprietatem vel feudum suum esse possessor iuret (Laband, op. cit. p. 346/7; Planck, op. cit. I p. 661).

5) Laband, op. cit. p. 285 (cf. quoque Goeschen, *die Goslar. Statuten* p. 503 not. 4). — Nulla de causa censet Planck, op. cit. I p. 547 (sed cf. ibid. p. 556[a]), exigendam esse hic probationem minus plenam, quam appellat alibi (I p. 503, 504, 599, 740) *„Legitimationsbeweis"*.

6) *Richtst. Ldr.* 25 § 2 (*oftu mit rechte icht mutest wedder vorderen, dat an dime egen mit unrechte vorgeven si, up den, dem it gegeven is. Dat vintme*); Laband, op. cit. p. 259-297; Planck, op. cit. I p. 557(b).

7) Laband, op. cit. I p. 279 (§ 35): *„bei der Klage des mittelalterlichen Rechts .... handelt (es) sich meistens .... um die Befugniss des Auktors"*. Cf. *Richtst. Ldr.* 22.

8) Cf. Hübner, *Immobiliarproz.* p. 121, 125 (et Heusler, *Gewere* p. 76).

Digitized by Google

suum perdiderit [1]). Apparet autem auctoris dationem inventam esse actoris adiuvandi gratia prorsus eodem modo, atque est inventum huius adiuvandi gratia, ut calumniam is abiuret cum testibus, atque sic adversario difficiliorem efficiat defensionem [2]). Nam simplex *wideredus* hoc tantum efficit, ut ad respondendum vel certe iurandum [3]) adversarius teneatur [4]). Videtur autem actor, quum vindicat, adiuvandus aut ideo, ne cogatur ipse probare proprietatem, apud quos probandi onus incumbit actori, aut ideo ne reus abutatur probationis iure, ubi probatio vel potius abiuratio reo permittitur. Est enim aliud probare aliud iurare [5]), quocirca libri Papiensis expositor, licet ab actore praestandum significet [6]) iusiurandum, *quod ipse caballus suus proprius est*, tamen vindicari notat [7]) *contra legem positam in quarto Institutionum libro ...., quia illic legitur: „commodum autem possidendi in eo est, quod, etiamsi eius res non sit, qui possidet, si modo actor non potuerit probare rem suam esse, remanet suo loco possessio"* [8]). Itaque, apud quos ius est, ut reus omnimodo iureiurando se absolvat [9]), melius rectiusque dicetur probationem

---

1) *Richtst. Ldr.* 25 § 3 (Planck, op. cit. I p. 540); *Ssp.* I 52 § 1 (Planck I p. 515). Eodem iure nititur *Richtst. Ldr.* 25 § 4 (vv. *und lite se it*), quacum convenit *Magd. Schöffenspr.* III B 37 (I pag. 480 ia. 478); Wasserschl. I 403 (I p. 49).

2) Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 345: *„mit Helfern geschworen, hatte der Voreid die Wirkung, den Beklagten zu einem schwierigeren Beweise .... zu zwingen"*. Cf. l. Rip. 67 § 5 (Brunner, l.l. not. 20); Capit. 156 § 2 (Brunner, op. cit. II p. 381 not. 27).

3) Cf. Loening, *Reinigungseid* (1880) p. 302-308; van Kuyk, Diss. cit. Leid. 1908 p. 162.

4) Non bene convenit lex Saxon. 39 (cf. 63), si est intelligendus *wideredus*, quod videtur Henrico Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 514 not. 15. Ex diverso optime convenit *GU* 370 (ia. 379). Cf. Loening, op. cit. p. 105 not. 16.

5) L. 11 § 3, l. 12 D. 12. 2; Pap. Specim. Wesselyi (1900) 6 lin. 9; (13) 29 lin. 16 (*Archiv f. Papyrusf.* II p. 145 not 2): ὅρκος ἢ ἐπίδειξις. Quod videtur contrarium l. 35 pr. D. 12. 2, causa est Tribonianus, qui addidit *omnibus probationibus aliis deficientibus* (Steph. sch. 1 ad Bas. 22. 5. 35: τοῦτο σήμερον προστέθη). Add. Petrus, Except. IV 41: *sacramentum non est probatio*; Schroeder, *Rechtsgesch.* (1907) § 37 not. 29 (pag. 374): *„der Gegensatz zw.* probatio *und* iusiurandum *begegnet auch* II Feud. 2 § 1".

6) (§ 5, § 7) Roth. 232. 7) (§ 7) Roth. 232.

8) Addit ipse: *et usus, qui contra hanc legem est, non teneri debet*, et item formularum auctor (post ipsas ad Roth. 232 formulas): *esse (debet) ut legitur in Romana lege.*

9) Cf. e. g. *Ssp.* I 18 § 2: *svat so de man vor gerichte nicht ne dut, svo wetenlik it si, dat he des mit siner unscult entgeit*; Roth. 365: .... *si pro quacumque*

Digitized by Google

actori denegari quam dari reo. Videamus nos, sitne verum, quod plerique docent, verbis potius quam re dissentiente Richardo Loening [1]), etiam re dissentiente Declareuil [2]): apud Germanos probationem actori denegari reo dari [3]). Excipiendi utique sunt Visigothi [4]), sed videri possunt a Romanis mutuati, sicut libri Papiensis glossator [5]), a Visigothis habere Bajuvari [6]), incertum unde, Alamanni [7]). Est praeterea vetus dubitatio de Francis Salicis, utrum probationem actori dederint denegaverintve. Et putat quidem Brunner [8]), nihilosecius quam ceteros Germanos etiam Francos Salicos probationem actori regulariter denegavisse, nec movetur formula „*si quis fecerit et ei fuerit approbatum*", quippe quae valde sit ambigua [9]). Sed iudicaverunt sub Ludovico

---

causa .... homo pulsatus fuerit .... liceat ei se idoniare, id est, (quod paulo infra lex habet) *per sacramentum negare*. In quibus speciebus reo permittitur ad duellum ultro provocare, addendum est, quod addit Expos. (§ 3): *aut per pugnam*. Cf. Liutpr., Hist. Ottonis c. 7 (*non iuramento, non duello, satisfactionem papa recipere voluit*). Paulo fusius egimus, ne quem deciperet Loening, *Reinigungseid* (1880) p. 122*[2].

1) *Reinigungseid* (1880) passim (cf. Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 373 not. 18). Concedit hic exceptis rebus manifestis („*handhafte That*"), in quibus proprium ius versari nemo ambigit, adversarii iureiurando stari solere (p. 279/81). In eo tantum discrepat, quod in rebus nec manifestis ipse docet deficere (p. 264: „*in Folge der immerhin sehr eingeschränkten klägerischen Beweismittel*"), ceteri denegari probationem (p. 281 not. 11). Quem et re dissentire et sequendum putat van Kuyk, Diss. Leid. cit. 1908 p. 25/7 (sub exceptione legis et iuris Frisionum).

2) *Nouv. rev. histor.* XXII (1898) p. 230: „*c'est la force qui décide qui prouvera*".

3) Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 370: „*die Beweisrolle fällt im Allgemeinen dem Beklagten zu*" (p. 373: „*(dieses) beruht .... darauf, dass man bei ihm .... die bessere Wissenschaft .... voraussetzen durfte*". Longe aliter rem explicant Bethmann-Hollweg, *Civilprozess* IV p. 28/9; Siegel, *Gerichtsverf.* I p. 169/70). De re cf. etiam *Magd. Schöffenspr.* III A 18 (1 p. 378): „*Das frauwen Ilsen, dy ein clegeryn ist in desser Sachen, dy bewysunge nicht gebort zu thun*".

4) L. Visigoth. Recesw. II 2 § 5: *quotiens causa auditur, ... si per probationem rei veritas investigar(i) nequiverit, tunc ille, qui pulsatur, sacramentis se expiet* etc. Cf. form. Visigoth. 40. Hoc sacramentum descendere ex iure Romano (c. 3, c. 9 C. 4. 1) persuasum est Expositori (§ 4 priore) Roth. 359.

5) ad Roth. 365: *de illis causis, pro quibus non scribitur .... ut se purificet appellatus, primum interrogetur appellator, si potest probare* etc.

6) L. Bajuv. IX 17 (= L. Visigoth. II 1 § 21).

7) L. Alamann. 42 § 1 (42).

8) *Rechtsgesch.* II p. 370/1: „*von der Vertheilung der Beweisrolle, wie sie die meisten deutschen Volksrechte .... erkennen lassen, ... macht die* lex Salica *keine grundsätzliche Ausnahme*".

9) Ibid. (p. 371): „*die mehrdeutige Formel:* si quis fecerit etc. .... *soll nicht etwa eine Beweispflicht des Klägers aus(spre)chen*". Consentit hactenus Declareuil,

Digitized by Google

Pio Salici scabini [1]): *ut omnis, qui alteri aliquid quaerit, licentiam habeat prius* [2]) *sua testimonia producere contra eum*, quae res negotium facit quidem Henrico Brunner [3]), attamen expedit sese, dum dicit: quum permiserit Ludovicus Pius [4]) data testimonia contrariis testimoniis refellere, nihil ultra iudicatum a scabinis, quam ut contraria testimonia, si velit actor, *prius* dentur quam directa [5]). At ne sic quidem facere potest, quominus identidem concedat [6]), lege Salica probationem saepius actori permitti quam ceterorum populorum legibus, quod semel (p. 395) acceptum refert exemplis peregrinis (*„fremdrechtliche(n) Einflüsse(n)"*), nec exprimit, a quibus peregrinis Salici mutuati sint; Tardif Romanos appellat [7]) placiturus, quem non laudat, Agathiae [8]). Datur quoque actori probatio non generaliter quidem attamen praedium vindicanti vetere lege Saxonica [9]): *qui terram suam occupatam ab altero dixerit, adhibitis idoneis testibus probet eam suam fuisse* [10]), qua cum lege conferri debet capitulare [11]) de eo, *qui ali(c)ui per testes exinde quale(m)cumque rem tollere* [12]) *voluerit*, iubetur enim *per quinque vel septem testimonia dic(ere) .... et sic toll(ere)*. Non ad rem pertinet [13]) legis Alemannicae

---

Nouv. rev. histor. XXII (1898) p. 239/40. In contrarium sensum argumentatus erat Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV 502-504 (add. V p. 65 not. 31).

1) Capit. 142 (= l. Salic. capitul. VII) § 12 (Bethmann-Hollweg, op. cit. V p. 134 not. 41: *„wahrscheinlich .... ein Ueberbleibsel des .... altsalischen Beweisrechts"*).

2) Id est, ni fallor, priusquam respondeat adversarius (Brunner, *Schwurgerichte* (1872) p. 68 ima: *„noch ehe der Beklagte geantwortet"*). Cf. l. Sal. extrav. B 12 (*quod si quis mallat alium .... et ille dicit* (= dixit) *„de torto dicis", non potest postea ad testes redire"*.

3) *Schwurgerichte* (1872) p. 69 = *Forschungen* (1894) p. 122 not. 6.

4) Dictum est supra.

5) *„Durch (das) Weisthum von* 819 *wurde das Recht des Klägers, die Production von Zeugen zu anticipieren ...., anerkannt"*.

6) *Rechtsgesch.* II p. 372, 373, 394/5.

7) *Sources du droit français. Orig. rom.* (1890) p. 156 sqq. (maxime p. 161-163).

8) I 2: Φράγγοι .... πολιτείᾳ ὡς πὰ πολλὰ χρῶνται Ῥωμαϊκῇ καὶ νόμοις τοῖς αὐτοῖς.

9) 63.

10) Apud Henricum Brunner (*Rechtsgesch.* II (1892) § 103, § 119) hanc legem frustra quaesivi.

11) 105 § 4. 12) Cf. l. Saxon. 39.

13) Pertinere credit Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV p. 56[14] (et item van Kuyk, Diss. cit. p. 83/5).

Digitized by Google

tit. II § 1, quia ibi non simpliciter proprietas vindicatur, sed, quae proprietas olim ab ipso adversario parenteve eius ad petitorem sit translata. Haud magis ex libro Papiensi Liutpr. 147: *si quis sua auctoritate terram alienam .... wifaverit*, id est, proprietatis aliquo signo muniverit [1]), *dicendo quod sua debeat esse, et postea non potuerit probare, quod sua sit, componat* etc. [2]), quia possessorem praecipue spectat, non petitorem [3]). Non moveat denique Liutpr. 89: *si quis res alienas .... possederit et per iudicium exinde convictus et expulsus fuerit;* attamen valde huc pertinent litium documenta haud ita pauca, quibus actori probatio statim datur [4]), interdum remittitur [5]). Nihilominus non dubito, quin generaliter verum sit, quod scribit Brunner: apud Germanos probationem, vel potius abiurationem, reo dari, idque

---

1) Cf. Brunner, *Rechtsgesch.* II (1892) p. 459, 514.

2) Cf. Liutpr. 45; 46 (utrubique deest: *dicendo quod sua debeat esse*).

3) Etenim secundum legem Bajuvariorum (X 18) wifa *propter defensionem ponitur*, id est, a possessore. Quod observat quidem Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 459[18] (imprudenti opinor „*Eigenthümer*" pro „*Besitzer*" excidit), attamen hic (i. e. Liutpr. 147) intelligit de petitore (p. 514). Quem sequitur, qui solet, Huebner, *Immobiliarproz.* p. 24/5.

4) Vidit hoc Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV p. 56[14]. Laudat ipse *GU* 31; 35 (decedere debet, quia agit comparator cum auctore suo); 40; 75 (ibid. p. 495 not. 81); 334; 383; 450 (ibid. V p. 134 not. 40); 396; 665 (ibid. p. 138 not 57), praeterea Loening, *Reinigungseid* (1880) p. 104/5 inter Salica monumenta *GU* 215 cum 217; 220 cum 226; 369; 379. Concedit Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 373, interdum (*„in bestimmten Fällen"*) actori probationem dari, abiurationem reo denegari, quod sic interpretatur Huebner, *Immobiliarproz.* p. 172, quasi dixisset: ubicumque actor probare velit, abiurationem reo denegari. Exempli causa laudat Brunner *GU* 54; 81; 234; 369; 509; 682 (decedere debet, quia agit comparator cum auctore suo); 820; 914; 953. Etiamnunc addi possunt e. g. *GU* 93; 94; 127; 130; 173; 195; 198; 202; 225; 292; 313; 315; 374; 381; 387; 406; 532; 563; 571; 573; 574; 698; 711; 741; 804; 831; 857 (sed cf. 829); 862; 893; 966; 975; 976; 994; 1271; 1507; 1508; 1591 (laudo èt hic èt ubique τὰ πρωτότυπα) et ex iure Saxonico *Richtst. Ldr.* 26 § 5 io. *Ssp.* II 43 § 2 (sed cf. Laband, *Vermögensr. Kl.* p. 215; Heusler, *Gewere* p. 267/8; Planck, *Gerichtsverf.* I p. 600 not. 3); Planck, op. cit. I p. 560 (ad *Ssp.* I 32). Non computo *Goslar. Stat.* p. 25 lin. 25/6 (quia *mit* interpretor *vor*), non *Goslar. Rechtserk.* 4 (Bruns, *Beitr.* (1799) p. 181); non Wasserschl. II 62 (I pag. 87), quia „*vordern*" etc. interdum refertur ad possessorem, veluti *Magdeb. Schöffenspr.* III B 19 (I pag. 452/3).

5) *GU* 802: *si ullam .... disvestituram quislibet facere temptaverit, non sit necesse iam dicto episcopo eiusque successoribus .... ullam facere probationem (sed .... fiat inquisitio).*

Digitized by Google

initio etiam adversus in rem actionem [1]) obtinuerit [2]), proinde communi iuri respondeat ius formulae Andecavensis 28: *veniens il(le) .... interpellabat .... ill(um), quasi fossa(tum) per terra(m) sua(m) fo(disset). .... Et taliter (ille) dedit re(s)pons(um), quod in terra sua (ipsius) fossa(tum) fecisset. .... Visu(m) est, ... ut .... manu sua quarta .... excusare (se) deber(e)t, quod terra(m) illius malo ordine numquam fo(disset); si hoc facere po(ssi)t, quietus et securus resideat*; quod exemplum non est solitarium [3]). Proxima sunt, ubi possessori iusiurandum datur rem fuisse avi et genitoris sui [4]) vel a se triginta annos possessam, quod per Italiam [5]) frequens est; permittitur enim ibi possidenti hoc iureiurando rem retinere, nisi petitor probet possessionem interruptam, id est, possedisse se *infra hos triginta*

---

1) De condictione cf. e. g. *Richtsteig Ldr.* 8 § 1; de accusatione Planck, *Gerichtsverf.* I p. 745/6 (post notam 4).

2) Cassiod. Var. III 23 § 3 (*abiurator alieni furtum, non animam, reddat*); l. Alemann. 2 § 1 (vv. *non liceat ei iurare*); capitul. 134 § 2 (*cum .... coniuratoribus legitimum sacramentum iuret*). Quin adhuc undecimo saeculo testificatur locuples auctor Norbertus in vita Bennonis § 19 (Monum. Germ. Script. XII p. 69) Osnabrugensis regionis communem consuetudinem: *iustitiam suam* (proprietatem utique soli) *iuramento defendere.* — De Graecorum iure dicetur cap. CVI (i. f.).

3) Transalpina tria praeterea dat vel potius dare se putat Heusler, *Gewere* p. 75; decedunt enim duo, id est, form. Andec. 30, quae non habet in rem, sed ex convenientia, actionem, et *GU* 34, quae non habet meram abiurationem. Sed manet tertium (*GU* 365) cum *GU* 138; 227; 370 (ia. 379); 465; 504; 562 (quod debeo Ioanni van Kuyk, Diss. Leid. cit. p. 68; reliqua partim Huebnero, *Immobiliarproz.* p. 161-170, partim mihi); Wilmans, Additam. 78; Tullense (Calmet II prob. p. 344), quod laudat Heusler, *Gewere* p. 341 (sed non dicit ibi praecedere diligentem causae ventilationem), et quae his accedunt Italica, magnam partem Neapolitana (cf. Neumeyer, *gemeinrechtl. Entw.* I (1901) p. 182/4), unum Romanum (*GU* 883) sub Alberico principe, quibus interdum possessori decernitur iusiurandum actore non probante (*GU* 804 (Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* V § 115 not. 5); 862; 1271), interdum simpliciter (*GU* 623; 872; 882; 883; 915; 947; 1286; 1439; Cod. dipl. Bar. V 33), interdum post ab ipso testes datos vel pro eo habitam inquisitionem (*GU* 621: *pro amputanda intentione; GU* 726: *p(ro) amplior(e) definition(e) .... secundum legem Romanam*), quum alias soleat Longobardus litigator testium suorum fidem (*quod veritatem dixerunt*) iureiurando confirmare (Bethmann-Hollweg V § 85 not. 31; § 107 not. 21).

4) *GU* 901.

5) Prodest, quod in Longobardicis documentis testes et sacramentales liquido separantur; trans Alpes quia plerumque miscentur (cf. Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 378 not. 7), arbitraria quodammodo instituenda fuit divisio, ut abiurationem diceremus, ubi iuratur de proprietate, probationem, ubi tricennalis possessio vel hereditatis successio praetenditur, nisi quis solus iuret (fit *GU* 452).

Digitized by Google

annos [1]). Pertinet eo privilegium Pisanum anni 1081, quod exscripsit Bethmann-Hollweg [2]): *et illum, super quem reclamatio venerit de terra, si querentem* (= garantem) *habere potuerit vel possessionem per legem iurare voluerit, per pugnam fatigari non sinemus.* Sunt item Saxonica statuta, quibus videatur possessori, qui annum et diem se possedisse contendat, iusiurandum decerni, *nisi testibus infringatur* [3]), etsi plerumque iusiurandum decerni intelligendum est ei, qui ante probaverit annuam possessionem [4]). Iubet denique possidentem lex Ripuaria [5]) *rem suam cum tribus si(ve) cum septem cum sacrament(i) interpositione sibi .... evindicare;* condicio enim [6]): *si (traditionis) testes non potuerit adman(n)ire, ut ei testimonium praebeant,* non est vera conditio [7]) sed concessio potius. Permittitur possessori, ut rem sibi traditam esse testibus probet potius, quam proprietatem actoris abiuret. Quo casu rem amittet, si pervenerit ad eum possessio ab eo auctore, cui potestas alienandi non fuerit, hac tamen lege, ni fallor, ut *null(a) ei mal(o) ordine vel invasio requiratur* [8]), id est, ut remittatur ei compositio propter invasionem [9]). Ergo principaliter defendet se possessor solo interposito iureiurando. Quae res valde turbavit Andream Heusler, quia possidenti videbatur necessitas iniungi dandi auctoris vel certe instrumentum proferendi [10]); itaque extricandi sese gratia repente mutat sententiam

---

1) Diximus supra. Cf. praeterea *GU* 866; 929; 994; 1010; 1056; 1077; 1084; 1091; 1190; 1218; 1374; 1422 (pag. 287 et pag. 289).

2) *Civilprozess* V p. 379 not. 35.

3) Laband, *Vermögensr. Kl.* p. 342 = Gengler, *Stadtrechte* p. 307 (de Fribergo cf. Planck, *Gerichtsverf.* I p. 661 not. 15).

4) Laband, *Vermögensr. Kl.* p. 341.

5) 60 § 1 (Bethmann-Hollw., *Civilpros.* IV p. 56 not. 12). Testimonium amoliri aggressus est van Kuyk, Diss. cit. Leid. 1908 p. 76.

6) Occurrit eadem in Capitul. 139 § 1; 215 § 5 (Bethmann-Hollweg, op. cit. V p. 129 not. 18) in re dissimili.

7) Quia nihil intererit, utrum *non potuerit* an noluerit testes admannire. Quin potest quis *si non potuerit* interpretari: si noluerit. Similiter habet Gregorius Turonensis IX 12 (p. 369, 16): *cum nequiret* = cum nollet.

8) Hoc eadem lege (Rip. 59 § 8) exprimitur in eo, *qui cartam per manibus habuerit.*

9) De compositione propter invasionem cf. Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 512/3 (cum not. 8); Huebner, *Immobiliarproz.* p. 203 sqq.; *Ssp.* III 43 § 1. — Propter Liutpr. 89 cf. Expos. ibid. § 6 (iis. Roth. 232; 246; 250; 253; 257-260; 263; 341-343) et Bethmann-Hollweg IV p. 387[78].

10) *Gewere* p. 31: „*(der Beklagte) muss seinen Besitz rechtfertigen*".

Digitized by Google

docetque tunc titulum demonstrandum esse, quum ab actore certi vitii titulus arguatur [1]); interim abiurationem competere [2]), nec animadvertit, antequam demonstretur, non posse titulum certi vitii argui. Dicendum arbitror: initio quidem abiurationem sufficere visam esse, sed postea introductam auctoris dandi necessitatem [3]) ideo, ne reus probationis, id est, abiurationis iure male abuteretur. Quod non ita volumus intellectum, quasi auctoris dandi necessitas ibi tantum utilitatem suam habitura sit, ubi abiuratio reo detur; quin, ubicumque est in lite dominii possessoris causa melior, veluti, quod a petitore vera probatio exigatur, confugiendi occasio est ad auctoris dandi necessitatem, ne scilicet inique prosit possidenti illud possessoris commodum. Plane, quia nihil differre solet possessoris commodum a generali commodo eorum qui defendunt adversus quamcumque actionem [4]), causa dicenda est, quidni in personalibus actionibus auctoris datio exigatur? Sed facilis est responsio: ideo non fieri, quia ex persona auctoris haud facile quis obligationem recusare potest vel poenam [5]). Ergo natura fit, ne detur in personalibus actionibus auctor [6]) neve exigatur. Aliquando tamen, licet raro, etiam in personali actione propter auctorem facti [7]) impuniti sumus, veluti [8]), quum quis occiderit iussu regis; est enim lege Ro-

---

1) Ibid. p. 87: „*die Gewere .... (befreit) vom Nachweis des Titels .... solange derselbe nicht .... durch eine erhebliche Thatsache in Zweifel gesetzt ist*".

2) Ibid. p. 75: „*(dem)* pone rationem *gegenüber genügte die einfache Behauptung seines Rechts*". Valde placet sententia Ioanni van Kuyk, Diss. cit. Leid. 1908 p. 95 (cf. p. 94-101, 129-132).

3) Ergo postea potuit abiurari invasio (Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 515 not. 17), non potuit proprietas. Quod confunditur formula, quam laudavimus, Andec. 28, quin ipso iure Saxonico (*Richtsteig Ldr.* 26 § 2) molestiam parit, sed liquido discernitur Cavensibus instrumentis (*GU* 943; 999; 1038; 1039; 1040; 1166, maxime vero 1046) aliisque (*GU* 831; 883; 1249; 1446). Cf. praeterea quam laudat (et item *GU* 1038) Brunner: *GU* 362.

4) Savigny, *Recht des Besitzes* (1837) p. 15/6.

5) Loysel, *Instit. coutum.* (ed. 1846) no. 797: „*tous délits sont personnels et* (= ergo) *en crime n'y a point de garant*". Cf. Beaumanoir (ed. 1899/900) nis. 880; 881; 1044; 1045; 1047.

6) Hoc quidem perspexit Heusler, *Institutionen* I p. 392, sed non recte, ut detur auctor in vindicationibus, id natura fieri docet.

7) Diversum est, quum quis furti suspicionem evitat propter *possessionis* auctorem. Qua de re dicetur huius capitis i. f.

8) Est praeterea classicum exemplum apud Nepotem XV (Epam.) 8 § 1.

Digitized by Google

tharis [1]) homicidii iusta defensio iussu regis occidisse. Quamobrem in hac actione inventum est a Longobardicis iurisconsultis, ut, qui utatur defensione, *det regem auctorem* [2]), quod quibusdam *grave videbatur*, proinde permittebant responderet: „vere interfui sed per legem emendare non debeo", quod improbat Expositor [3]), *quia, si sic concederetur, multi per timorem compositionis se periurarent* [4]), *quapropter rectius apparet, ut .... cogantur dicere, quare per legem emendare non debeant.* Eandem causam fuisse dico, cur in vindicationibus aliquando possidenti sit imposita auctoris dandi necessitas. Aliam quaerit Rauch: non potuisse emptorem proprietatem petentis abiurare [5]), quasi non omni possessori hoc, ubi competit, competat; aliam Hübner: ideo antiquitus omni emptori necessariam fuisse defensionem per auctorem, quod initio non potuerint praedia ullo legitimo modo ad novum dominum transferri [6]), proinde in iudicio emptorem rem suam esse defendere non potuisse [7]). Quae Rudolphi sententia vel ideo refellitur, quod mobiles quoque res sine auctore defendi non possunt [8]), eoque magis, quod a mobilibus auctoris datio coepisse credenda est. Est enim de mobilibus auctoris datio frequens in ipsis barbarorum legibus; de praediis in iisdem nusquam, quum singula capita Ripuariorum [9]) atque Bajuvariorum [10])

---

1) 2. — Conferri iubet recte l. Bajuv. II 8 Brunner, *Sitzungsber.* (*Berlin*) 1901 p. 938.

2) Expos. (§ 1) Roth. 2. Ex iure Saxonico cf. Planck, *Gerichtsverf.* § 56 i. f. (I p. 410), ex veteribus monumentis *GU* 864; 1403, ex novis legibus e. g. *Code pénal* art. 114. 2; 190.

3) Expos. (§ 3) Roth. 2.

4) Longobardorum legibus (Roth. 365) *pro quacumque causa aut culpa lic(e)t (reo) se idoneare secundum legem.*

5) *Spurfolge und Anefang* (1908) p. 92: *„der ältesten Beweismittel (Eid, Ordalien, Zweikampf) (konnte) sich nur derjenige, dem sie unmittelbar zu Gebote standen, ... bedienen".*

6) *Immobiliarpros.* p. 106/7: *„wie schon* (p. 2) .... *hervorgehoben wurde, ... war .... Uebergang des Eigenthums an Liegenschaften durch Rechtsübertragung unmöglich".*

7) Op. cit. p. 107: *„der neue Erwerber konnte nicht selbst das Gut vor Gericht vertheidigen".* Perperam addit: *„oder einklagen"*, quia petitor non cogitur causam petendi dicere (ibid. p. 73 *„Substanzirung der Klage war rechtlich nicht erforderlich"*).

8) Hoc vidit Schwind, *Gött. gel. Anz.* 1894 p. 437[1] (et item Pflüger, *die* legis actio sacramento (1898) p. 42). Cf. praeterea Rauch, op. cit. p. 91[1].

9) tit. 59 § 6.

10) App. IV.

Digitized by Google

legis, neque ea valde antiqua, exceperis. Praeterea explicat quidem Hübner, cur, qui emptorem se dicat, auctorem sistere debeat, sed non explicat, quod caput rei est, cur possessorem emisse confiteri se vel omnino titulum possessionis suae dicere oporteat. Quod sic simpliciter ponunt Brunner [1]), Schroeder [2]), Sohm [3]), explicandum secundum Germanorum in causa probationum iura aliis tradit Amira [4]), verum Heusler [5]) ea ratione explicat, quod formula habet „malo ordine detines" perinde acsi non formula iuri, sed ius formulae sit accommodatum [6]); Bethmann-Hollweg denique [7]) inde repetit, quod propter rem, quae petitur, ipsa lis rei fiat similis (*„der Grund (möchte) auch darin liegen, ... dass die Sache dem Rechtsstreit einen mehr objektiven Charakter giebt"*), quod mihi quidem, Batavi ingenii homini, videtur sensu cassum. Veram causam adsignavisse mihi videor [8]).

(*Continuabitur*).

---

1) *Rechtsgesch.* II p. 515: *„Will der Beklagte das Grundstück behalten, so .... muss er in der Antwort* sein Besitzrecht (l. *seinen Besitztitel*) *geltend machen"*.

2) *Rechtsgesch.* (1907) p. 391.

3) *Prozess der* lex Salica (1867) p. 91: *„die rein negative Einlassung .... ist dem Eigenthumsanspruch gegenüber wirkungslos"*. Ne sufficit quidem dominum se dicere.

4) *Grundriss* § 66 (adnotat.): *„dass dem Beklagten nur motivierte Verneinung gestattet wird, dürfte sich aus den prozessualen Grundsätzen über die Beweismittel erklären"*. Probat sententiam Rauch, *Spurfolge und Anefang* p. 117[2].

5) *Gewere* p. 31: *„der Kern der Klage ist*: .... malo ordine detines, *und darum findet auch der Beweis seine Normirung auf das Besitzrecht des Beklagten"*. Docet idem auctor, *Institutionen* I p. 392, natura fieri, ut in vindicationibus rationem ponat is, unde petitur. Quod refellimus supra.

6) Formulam cum iure mutatam esse docet ipse, *Institutionen* I p. 394/5.

7) *Civilprozess* IV p. 40 (ante notam 1).

8) Dum plagulas corrigo, venit mihi in manus Gillis, *Gewährschaftzug und* laudatio auctoris (1913), qui rem sic explicat (p. 63): *„es ist der Sinn und das Motiv des Gewährzuges, den Bruch der Gewere aufzudecken"*. Vel sic persto.

Digitized by Google

AD TIBULLI ELEGIAM LIBRI SECUNDI PRIMAM.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Novimus omnes illud hominis Parisini dictum qui rogatus quo modo miscendum esset absinthium, non ‚taetrum' istud at salutiferum Lucretii, sed alterum dulce atque funestum, accurate omnia eius enumeravit elementa, quantum cuiusque esset sumendum diligenter praescripsit, quid primum quid deinde quid postea infundendum poculo enarravit, tum quantum addendum aquae edixit, qua ratione omnia permiscenda docuit, denique in fine totius praecepti haec addidit: „cum vero videris potionem effectam esse perlucidam eoque colore qui a Plinio dicitur *caerulo albidior, viridi pressior* .... tum eam quantocius cum ipso poculo per fenestram eiice in plateam". Lepide ille simulque prudenter, communi enim hominum prospexit saluti. Sed quis criticum laudabit, qui primum versus aliquis poetae quomodo sit emendandus doceat, deinde eum cum sua vicinia e contextu esse eiiciendum clamet? Perversa atque absurda iure ea ratio videtur, plerumque, nam hoc quidem loco, de quo iam sum acturus, unice veram eam esse mihi pro certo constat. Tota enim disputatio mea proficiscitur a versu illo saepe tentato (58):

dux pecoris hircus auxerat hircus oves.

In quatuor vocabulis *hircus auxerat hircus oves* mire variant codices, solum *auxerat* sat bene testatum esse videtur, in melioribus enim codicibus legitur *hauxerat* et *hauserat*, secundae manus *auxerat* et *duxerat* praebent. Porro aut simpliciter *hircus* est

Digitized by Google

appellandus aut ornate *dux pecoris*, non *dux pecoris hircus*. Quid mihi velim egregie illustratur versu quodam Plauti, ubi olim vulgo edebatur: „viso quid *servus meus Ulixes* egerit", nunc probe ab omnibus intelligitur legendum esse, „viso quid rerum *meus Ulixes* egerit". Ergo pro altero *hircus*, quandoquidem ipsum illud *dux pecoris* in se perfectum absolutumque est, vix potest aliud quidquam reponi nisi ‚epitheton ornans', quod nunc quidem sponte se offert, quia nulla inter se sunt vocabula similia magis quam *hircus* et .... *hirtus*, illud autem adiectivum, quoniam datur optio, post *auxerat* ponere malumus, si forte pro praecedenti *hircus* reponere possimus adiectivum a consonanti litera incipiens, quod simul nos liberet illo, non vitioso quidem sed tamen rariore *pecorīs h.* Tum ‚dux pecoris *oves* auxerat' misere languet, et quoniam ex hexametro

Huic *datus* a pleno, memorabile *munus*, ovili

(*huic*: agricolae qui primus choros duxit) luce clarius apparet sermonem esse de *praemio*, confidenter quiuis reponat *opes*, cum quo substantivo nunc nullum adiiectivum melius iungitur quam quod priscorum hominum *paupertatem* significet. Denique egregie totum versum sic Waardenburgius refinxit:

Dux pecoris curtas auxerat hirtus opes.

Iam parata est potio, nunc totum poculum abeat in malam rem. Octo illud continet versus hosce:

Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede,
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos;
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno, memorabile munus, ovili
Dux pecoris curtas auxerat hirtus opes.

Qui quot quamque absurdis laborant vitiis! Quae *qualia* sint paulo accuratius exponere libet.

Peerlkampium qui aut legerunt nunquam aut non intellexerunt et sibimet ipsis solidae firmaeque affectant doctrinae famam, eum nescioqua levitate motum omnia proscripsisse clamant quae ipsi parum viderentur venusta. At non ita res se habet. Qui ipse praestantissimus esset poeta Latinus, statim sentiebat quid esset

Digitized by Google

magistri et quid tironis; qui versus a bono artifice perite essent tornati, qui cum multo labore atque sudore conflati a puerulo. Hoc illud est cur suavissima illa Latinorum versuum pangendorum ars simul tantam habeat utilitatem. Cuius expertem esse nolim quemquam qui antiquis poetis Latinis sit daturus operam. Peerlkampii fieri non possumus omnes, at omnes illi quam simillimi fieri studeamus. Sed persequamur singula:

1 *satiatus aratro.* Meis verbis opus hic non est. Adeantur Heynius Wunderlichiusque, prudenter et acute, ut semper, disputantes.

2 „*certo* pede". Ain vero? Quanto melius noto loco Lucretius *extra numeros.*

3 Audi istud *satiatus ... satur*!

4 Quemnam sensum vocabula *ut ornatos diceret ante deos* habent? An hunc? „(carmen) quod cantaret dum ornata adstabant deorum simulacra"? An: „sed in eo carmine ante omnia deorum habebat rationem, quos pie ornaverat"?

5 Cur vocativus ille *Bacche* inseritur? Ut opinor, sic ‚poetaster' significare volebat tragoediam e cultu Bacchi natam.

6 *Primus.* Iam bis *primum* habuimus.

7 *A pleno ovili.* Cur a *pleno*? Quid opus voce ista?

8 *memorabile munus.* Vide eadem vocabula aptissime posita Ov. Met. XIV, 225 et hunc puerulum deride.

9 *Auxerat.* Haec certe versus huiusce vox *tradita* est, si non tota, utique ultimae eius syllabae. Sed quis plusquamperfectum illud ferat? Nonne dicendum erat quodnam esse *soleret* victoris praemium?

Ohe, iam satis est! Equidem certe, qui iam puer versiculos Latinos fecerim, expertus novi quid nondum robustus poeta committere soleat: dummodo certum pedum expleverit numerum, quibus utcunque id quod in mente habebat enuntiaverit, cetera parum curat: quamvis multa legentium relinquantur explenda et illustranda indulgentiae, quamvis saepe recurrant eadem vel similia vocabula, sibi plaudit ut qui difficillimo labore satis laudabiliter sit perfunctus.

Sed multo gravius quiddam accedit, quod dummodo negligatur nihil tam absurdum est quin concoqui possit et a criticorum temeritate, quae dicitur, defendi. Duo hic afferam exempla

Digitized by Google

quam maxime insignia. Flavio Iosepho obtrudi locus de Christo, Tacito locus de Christianis a Nerone crudelissime combustis potest, dummodo dissimuletur [1]) utrobique omnia aptissime cohaerere si locus ille eximitur, sed absurdi aliquid, atque adeo quam maxime impii, exstare, si remanet in textu:

Tac. XV, 45 „Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae e. q. s.". *Interea.* Quando? Dum ardebant faces illae vivae? Nam nunc quidem praecedit: „unde .... miseratio oriebatur, tamquam ... in saevitiam unius absumerentur". At exime ista omnia: vere Taciteam habebis rerum quae *parabantur* enumerationem: quomodo urbs restituenda esset, quomodo cavendum ne posthac eadem calamitas oriretur, quomodo essent placandi dei quorum delubra perierant nec statim poterant refici. Quam egregie nunc sequitur: *interea* (dum *parabantur* ista omnia) undique conquirebatur pecunia [2]).

Et quod de *impietate* dicebam, relege totum Iosephi locum (L. XVIII c. 3), aut ridebis aut indignaberis, postquam de Christo admodum honorifice narratum est (quid autem honorifice? non poterat magis *pie* narrare homo Christianus) sic historicum pergere: „sub idem tempus *alia calamitate* afflicti sunt Iudaei". Exime eiusdem capitis partem de qua nunc agitur: iusto ordine *calamitates* enumerantur.

Nunc ad Tibullum redeo neque hoc dico parum aptum esse elegiae, quae tota sit *de re rustica* et *de amore* (e quibus fere elementis tota Tibulli poesis constare solet) locum de tragoediae origine, ne aut meus mihi Tibullus opponatur, somnians poeta et facile ab alio ad aliud aberrans argumentum, aut „vere doc-

---

1) Ne cui iusto acerbius hoc *dissimulandi* verbum videatur, de aliqua *fraude* vel *dolo malo* me hic ne cogitare quidem profiteor atque declaro. Sed speciem quandam acerbitatis verbum illud habet. Finge ergo Graecum μὴ προσποιεῖσθαι hic legi, quod sic latine verti solet et quantum quidem scio debet etiam, cum aliud non sit in promptu.

2) An ipse Tacitus postea inseruit, quemadmodum in Annalibus narrationem de Nerone, Poppaea, Othone *mutavit*, quod nunc etiam apparet e voce *hactenus* qua ad alia Tacitus transit (vide Mnem. vol. 26)? Credere hoc possem, nisi ipsa de Christianis narratio tam multa haberet inepta et absurda, et nisi nunc, in Iosepho et in Tacito, eodem indicio eadem fraus deprehenderetur. Denique cur narrationem de Nerone Poppaea, Othone in Annalibus mutaverit Tacitus intelligimus, causam cur inseruerit illam de Christianis excogitare nullam possumus.

Digitized by Google

torum" ille qui sine ullo venustatis sensu, nullo amore affectus ipse undique suos sibi „locos" colligat. Sed haec legentium subiicio oculis:

Rura ferunt messes, calidi cum sideris aestu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.

Utrum verisimilius ipsum poetam praestantissima sua carmina ineptissimis corrupisse additamentis? Nam caput illud de tragoediae origine nunc inter quartum et quintum dulcissimorum horum legitur versiculorum. An ludimagistrum vel ludimagistri discipulum suam hic nobis venditare doctrinam?

AD LYSIAE OR. I § 16.

„Εὐφίλητε", ἔφη, „μηδεμιᾷ πολυπραγμοσύνῃ προσεληλυθέναι με νόμιζε πρός σε· ὁ γὰρ ἀνὴρ ὁ ὑβρίζων εἰς σὲ καὶ τὴν σὴν γυναῖκα ἐχθρὸς ὢν ἡμῖν τυγχάνει.

Nonne emendandum est: ὁ ὑβρίζων εἰς σὲ κατὰ τὴν γυναῖκα? Mulier nimirum adultero sponte se tradiderat, ita ut iniuriae, quibus Euphiletus atque uxor eius ab illo affecti sunt, quam diversissimae neque uno tenore memorandae sint. Accedit quod voc. σήν postea in textum receptum est.

Praepositio κατά ab oratore similiter posita est Or. 12 § 20: καὶ οὐδὲ κατὰ τὸ ἐλάχιστον μέρος τῆς οὐσίας ἐλέου παρ' αὐτῶν ἐτυγχάνομεν.

P. H. D.

Digitized by Google

DE HISTORIA APOLLONII TYRII [1]).

SCRIPSIT

FRANCISCUS GARIN.

I.

Historiam Apollonii Tyrii e graeco in latinum conversam asseruit M. Welserus, qui secundus a. 1595 eam edidit, nec longe aliter senserunt et sentiunt omnes fere viri docti, qui non tantum conversam sed etiam hic atque illic retractatam, quibusdam in partibus auctam, quibusdam in brevius contractam censent [2]). Welsero, ne una quidem causa adiecta, oblocutus est M. Hauptius (Opusc. III, 16), quem secuti sunt Ph. Thielmannus [3]) et E. Klebsius [4]). Hic quidem historiam latine saeculo

1) Haec disputatio iam antea in Italia typis impressa est sed non prodiit in publicum. Eam grato animo tunc obtulit auctor — et nunc etiam offert — viro clarissimo Felici Ramorino, litterarum latinarum in Universitate Florentina professori.

2) Praeter ceteros: A. Nicolai, Ueb. Entstehung u. Wesen d. griech. Romans, p. 47, A. Chassang, Hist. du Roman, p. 461; A. Riese, Hist. Apoll.², p. XVI; E. Rohde, Griech. Rom.², p. 436 sq.; W. Schmid in Pauly-Wissowa Real-Encycl., II, 144; U. Wilcken, Archiv f. Papyrusfrsch, I, 258, ib. n. 2; K. Bürger, Studien z. Gesch. d. griech. Rom., II, 21.

3) Ph. Thielmann, Ueber Sprache u. Kritik d. lat. Apollrom., Speier, 1881, demonstrare conatus est verba et verborum consecutiones, quae ἑλληνίζοντα Riesius¹ iudicaverat, partim vulgaris partim ecclesiasticae latinitatis esse. Sed cfr. Klebsium, o. infr. laud., p. 230. Ex Thielmanni sententia historia latine conscripta fuit a quodam christiano saec. VI.

4) E. Klebs, die Erzählung v. Apollonius aus Tyrus, p. 191 sqq., [cfr. Philol., v. 47 (1888), p. 80]. Klebsii argumenta sumpta sunt: a) e nummis, p. 191, b) ex inscriptionibus, p. 196, c) e moribus, p. 205, d) e lingua, p. 228, e) ex orationis genere, p. 280, f) e locis romanorum scriptorum in historia adumbratis, p. 283.

Digitized by Google

tertio ineunte conscriptam a studioso quodam veteris religionis auctore sustinuit (o. l., p. 200, 216), saeculis insequentibus magis magisque christianis additamentis auctam (p. 216 sqq.), quinto autem saeculo (p. 227) in eam quae ad nos pervenit formam ab italo fortasse quodam redactam (p. 227, n. 1). Sed argumenta, quibus ad haec omnia comprobanda Klebsius usus est, parvi vel nullius sunt momenti. Necesse enim erat interpres, cum e graeco in latinum converteret, pro nummis graecis romanos reponeret, in reddendis inscriptionibus pura et latina oratione uteretur. Versus homericos, quibus fabulae graecae repletae sunt, versibus vergilianis eum quantum potuit explicasse, ecquis mirabitur? [1]). Indicia vero morum romanorum, quae hic atque illic deprehendisse Klebsius sibi visus est, non eius esse generis infra demonstrabo. Nec mediocriter errat, cum adfirmat

---

1) Klebsius in Plauto, Vergilio, Ovidio, Apuleio voces et sententias quae similes essent historiae Apollonii diligentissime persecutus est, cumque nonnullas invenerit (v. p. 283 e. q. s., 321, 3) eos auctorem historiae imitatum esse sibi persuasit nobisque persuadere conatur. Frustra mehercule! Quis enim credet „O Neptune, rector pelagi" (hist. 21, 12, P'; „praedator maris", β) ex Ovid., Met. I, 331, „nec vir nec femina" (= eunuchus, hist. 66, 7; lectio dubia) ex Ovid., Am. II, 3, 1, „rex ... longam habet manum" (hist. 13, 1, β, om. AP; cfr. frequentissimum illud apud graecos μακραὶ τυράννων χεῖρες) ex Ovid., Her. XVII, 166, ceteraque similia ex Plauto Apuleiove sumpta esse? Quod si eroticos scriptores graecos eadem subtilitate inquisivisset, similiora invenisset. Ex. gr., hist. c. XVIII (p. 35, 3—10), quod ex Apul., Met. X, 2, usurpatum affirmat (p. 288—9), rectius cum Hel. III, 7 comparasset. [Hist.: Interposito brevi temporis spatio, cum non posset puella ulla ratione vulnus amoris tolerare, simulata infirmitate membra prostravit fluxa, et coepit iacere imbecillis in thoro. Rex ut vidit filiam suam subitaneam valitudinem incurrisse sollicitus adhibet medicos. Qui venientes temptant venas, tangunt singulas corporis partes, nec omnino inveniunt aegritudinis causas. Hel., p. 85, 29: καταλαμβάνομεν εἰσελθόντες <Χαρίκλειαν> ἐπὶ τῆς εὐνῆς ἀλύουσαν ... καὶ <τῷ πατρὶ> πυνθανομένῳ τι πεπόνθοι, τῆς κεφαλῆς ἄλγημα διοχλεῖν ἔλεγεν (cf. 86, 5: τίς ἡ προσπεσοῦσα τῷ θυγατρίῳ μαλακία; 95, 13; 101, 23). Diebus insequentibus ἐπιτείνει ἡ νόσος (100, 21) quam ob rem pater παρακαλεῖ τοὺς εὐδοκίμους τῶν ἰατρῶν (103, 25), καὶ ὁ λόγιος Ἀκεστῖνος ... τῷ καρπῷ τὴν χεῖρα ... ἐπιβαλὼν ἀνακρίνειν ἀπὸ τῆς ἀρτηρίας ἐώκει τὸ πάθος ... οὐκ ὀλίγον τε χρόνον βασανίσας τὴν ἐπίσκεψιν, ἄνω τε καὶ κάτω πολλὰ ἐπιθεωρήσας ... (103, 32). Ceterum detrimenta salutis vultusque amantium vulgo a scriptoribus eroticis commemorantur. Cfr. C. Diltheyum, de Call. Cyd., p. 70. In Apuleium v. J. Dietze, in Philolog. 59, N. S. 13, (1900), p. 136—48]. Brevi praecidam: omnes imitationes, quas Klebsius sibi deprehendisse visus est, praeter duas vergilianas (hist. 33, 15 — 34, 3 = Aen. IV, 1 sq., hist. 29, 8—10 = Aen. II, 3 sq.), vel dubiae sunt (hist. 38, 9—11 ex Ovid., Met. IX, 514?) vel prorsus non sunt.

Digitized by Google

(p. 296) peregrinationes et exempla pudicitiae egregie servatae, quae sunt membra omnium fabularum graecarum, in historia deesse. Apollonius enim Tyro Antiochiam se confert, redit Tyrum, fuga petit Tarsum, inde Cyrenen, revertitur Tarsum, peragrat quattuordecim annos Aegypti regiones, contendit iterum Tarsum ad recipiendam filiam, ventis propellitur Mytilenas, petit navi Ephesum, Tyrum, Tarsum, Cyrenen! Quibus longinquis in itineribus variis iactatur casibus, naufragium facit. Tharsiae vero pudicitiam in maximum periculum adductam et egregie servatam num quis negabit? Ducitur puella in lupanar: venientes ad se a libidine avertit; ut sibi virginitatem eripiat traditur „villico puellarum", quem precibus ac misericordia a stupro removet. Quod etiam attinet ad fontes historiae, Klebsium per errores lapsum esse docebimus. Nulla est igitur causa quae nos fabulam Apollonii primitus latine conscriptam fuisse credere cogat, sunt contra multa quae eam graecum quendam auctorem graece scripsisse indicent, in primis arta cognationis vincula cum fabulis eroticis graecorum. Quae persequi iam necesse est.

II.

Fabula Apollonii Tyrii in quattuor partes dividi potest, quarum prima historiam Antiochi continet (c. I—VII), altera priores Apollonii casus (c. VIII—XXVIII), tertia historiam Tharsiae (c. XXIX—XXXVI), quarta ceteros Apollonii casus et conclusionem (c. XXXVII—LI).

a) Quarum in prima [1]), quae adsuta potius quam arte co-

1) De hac historiae parte v. quae, fortasse recte, scripsit Rohdius, o. l., p. 145. — Klebsius, o. l., p. 285, verba puellae ab Antiocho patre per vim stupratae, „mortis remedium mihi placet" (p. 4, 3), ex Ovidio sumpta esse sustinet [Met. X, 378: „mors placet", inquit Myrrha]. Qua fretus ratiuncula (cfr. ex. gr. Xen. Eph. p. 390, 13), historiae partem, quae est de amoribus Antiochi et filiae, e narratione ovidiana amorum Cinyrae et Myrrhae auctorem nostrum imitatum esse concludit, illum ergo e latino non e graeco fonte hausisse (p. 299). O fallax conclusiuncula! Quam maiores et apertae sunt imitationes eroticorum graecorum! Apud quos haud desunt huiuscemodi amores: Demaeneten novercam facit Heliodorus, I, 9 sqq., incensam amore Cnemonis privigni; Ξενοφῶν Κύπριος scripserat Κυπριακά, quae erant ἐρωτικῶν ὑποθέσεων ἱστορία, περί τε Κινύραν καὶ Μύρραν καὶ Ἄδωνιν (v. Suidam, s. v. Ξενοφῶν); ἄγριοι καὶ ἔκθεσμοι Βερενίκης ἔρωτες narrabantur ab Jambl. (v.

Digitized by Google

niuncta ceteris est, iam occurrunt res, sententiae, loci, verba similia atque in fabulis graecis [1]).

— Sic incipit Hist. Apoll., p. 1, 1 Riese[2]: In civitate Antiochia rex fuit quidam nomine Antiochus... Is habuit (ex amissa coniuge, cod. β) unam filiam, virginem speciosissimam, in qua nihil rerum natura exerraverat, nisi quod mortalem statuerat.

— Idem initium, etiam verborum collocatione, in Xen. Eph. I, 1, 1: Ἦν ἐν Ἐφέσῳ ἀνὴρ τῶν τὰ πρῶτα ἐκεῖ δυναμένων, Λυκομήδης ὄνομα. Τούτῳ τῷ Λυκομήδει ἐκ γυναικὸς ἐπιχωρίου Θεμιστοῦς γίνεται παῖς Ἀβροκόμης, μέγα τι χρῆμα κάλλους... Charit. I, 1, 1: Ἑρμοκράτης ... εἶχε θυγατέρα... θαυμαστόν τι χρῆμα παρθένου... ἦν γὰρ τὸ κάλλος οὐκ ἀνθρώπινον ἀλλὰ θεῖον... Cfr. p. 88, 6 et etiam 18, 21; 110, 14; 113, 23.

— Hist. p. 1, 5: Quae dum ad nubilem pervenisset aetatem et species et formositas cresceret, multi eam in matrimonium petebant et cum magna dotis pollicitatione currebant.

— Long. III, 25, 1: ... μνηστήρων πλῆθος ἦν περὶ τὴν Χλόην καὶ πολλοὶ πολλαχόθεν ἐφοίτων παρὰ τὸν Δρύαντα πρὸς γάμον αἰτοῦντες αὐτήν. Καὶ οἱ μέν τι δῶρον ἔφερον, οἱ δὲ ἐπηγγέλλοντο μεγάλα. Cfr. I, 19, 2 [2]).

— Hist. p. 7, 9: Decollari quidem mereberis, sed habes triginta dierum spatium: recogita tecum (cfr. 86, 1: Triginta dies a lenone te redimam).

— Fragm. Chionis I, 9 (in Archiv. f. Papyrusfrsch. I, 255): Ἔχομεν δὲ εἰς σκέψιν χρόνον ἡμερῶν τριάκοντα. Cfr. Charit., p. 90, 30 = 91, 22; 107, 24; Xen. Eph., p. 358, 29; 363, 25. Quibus ex locis apparet hoc tem

---

Phot., ap. Hercher., Erot., I, 227, 31). V. etiam exempla quae collegit Rohdius, o. l., p. 448, 1.

1) Usus sum editione R. Hercheri, quae omnes scriptores eroticos graecos continet, praeter Heliodorum, in quo laudando adhibui edit. I. Bekkeri.

2) Falsa falsis cumulavit W. Teuffelius in Mus. Rhenano, XXVII (1872), p. 103 sq. Cfr. W. Meyerum, in Münch. Sitzungsb., philos.-philol. Classe, II (1872), p. 27, et Klebsium, o. l., p. 213 e. q. s.

Digitized by Google

poris spatium in dilationibus apud fabulatores graecos fuisse sollemne.

Hi quoque loci conferendi: Omnes Tyrii lugent Apollonium „non inventum" [1]), hist. c. VII: omnes Syracusani Callirhoen mortuam, Charit. I, 5, 1; Antiochus laetari debet fuga Apollonii aemuli, hist. p. 11, 11: Dionysius morte Chaereae aemuli, Charit. III, 9, 8 sq.; Thaliarchus dispensator est „secretorum Antiochi fidelissimus minister", hist. p. 8, 5: *πρὸς Λεωνᾶν διοικητὴν οὐδὲν ἀπόρρητόν ἐστι Διονυσίῳ*, Charit. p. 33, 12 [cfr. quae de Cybele, cubiculi Arsaces ministra, leguntur apud Heliod. p. 195, 31; 212, 18]; Thaliarchus, intelligens Tyrum „in luctu morari" percontatur causam (hist. p. 11, 2) eodem modo quo Theron, aspiciens Mileti Dionysium *μελανείμονα καὶ σκυθρωπόν* (Charit. I, 12, 6), simillime utrique respondetur (hist. p. 11, 4, Charit. p. 21, 20).

b) Pars II. — Quod attinet ad tempestatem et naufragium, quae in c. XI—XII describuntur, in fabulis graecis iterum atque iterum similia reperiri satis sit dixisse. Cfr., exempli gratia, Charit. III, 3, 10; Hel. V, 23 et 28; Achil. Tat. III, 1—2 et praesertim fragmentum quod edidit Mahaffyus [2]). Apollonium naufragum benigne excipit piscator pauper et grandaevus, cui ipse narrat „tragoediam calamitatis suae", hist. c. XII: in Xen. Eph., V, 1, 2, *Αἰγιαλεὺς πρεσβύτης, ἁλιεὺς τὴν τέχνην ... πένης ... ὑποδέχεται ἄσμενος τὸν Ἀβροκόμην*, qui *αὐτῷ διηγήσατο τὰ καθ' αὑτόν* [3]). Capp. XIII—XVII auctorem nostrum ex Homero expres-

1) Klebsium, qui (o. l., p. 211) in hist. p. 10, 6—7 „imperatoris *salutationem*" significari opinabatur, refutavit Wilckenius, o. l., p. 258, 2. In hist. p. 10, 8—11 romanus interpres accommodavit romanis quae saepe in fabulis graecis, praesertim apud Charitonem (cfr. ex. gr. p. 11, 13—17; 12, 14; 154, 26), reperimus. — Tarsenses Apollonium, „cuius ope famis periculum vel mortem transcenderunt", adfirmant se et dixisse et in perpetuum dicturos „regem" et patrem patriae" (p. 111, 2). Klebsius, o. l., p. 212, recogitat de „*parens patriae*" et „*pater patriae*". Quam parum probabilem duco coniecturam. Cfr. Charit. p. 156, 25, ubi Syracusani in contione, gratias referentes Polycharmo, „*τὴν πατρίδα*" inquiunt „*εὐηργέτηκας*".

2) In Rend. Accad. Lincei, Sez. Sc. Mor. Serie V, vol. VI (1897), p. 91, et emendatius J. G. Smyly, in Hermathena, 1900, p. 322.

3) V. etiam Heliod. V, 18 — Hist. p. 23, 8 cfr. cum Xen. Eph. p. 382, 4—5 — Hariolantur Thielmannus, o. l., p. 8, et Riesius, p. XVIII, nec opus est cum

Digitized by Google

sisse manifesto apparet [1]), nec Riesium effugerat (v. praef. p. V, n. 3). — Archistrates [2]), Archistratis regis filia, nupta Apollonio, septimo mense cum enixa esset puellam, „secundis sursum redeuntibus coagulato sanguine conclusoque spiritu defunctae repraesentavit effigiem", hist. p. 46, 3, β: Callirhoe Charitonea, calce a Chaerea percussa, — *εὐστόχως ... ὁ ποῦς κατὰ τοῦ διαφράγματος ἐνεχθεὶς ἐπέσχε τῆς παιδὸς τὴν ἀναπνοήν — ... ἄφωνος καὶ ἄπνους ἔκειτο νεκρᾶς εἰκόνα πᾶσι παρέχουσα* (p. 11, 8 e. q. s.). Quod consuetum omnium fabularum graecorum scriptorum est: cfr. praeter ceteros Xen. Eph. III, 7, Ant. Diog., p. 235, 39 Hercher. Illud quoque reperio apud Graecos, quod in capp. XXVI—XXVII scriptum videmus: medici discipulum, cum rogus exstrueretur, „cognovisse Archistratem in falsa morte iacere" eamque in vitam revocasse. Cfr. enim Jambl., Babyl. p. 223, 17 Hercher: ... *καταλαμβάνουσι κόρην ἐπὶ ταφὴν ἀγομένην ... καὶ Χαλδαῖος γέρων ἐπιστὰς κωλύει τὴν ταφήν, ἔμπνουν εἶναι τὴν κόρην ἔτι λέγων· καὶ ἐδείχθη οὕτως.* Similia ap. Philostr., V. Apoll. IV, 45. — Medicus Archistratem, Apollonii uxorem, „in filiam suam sibi adoptat" [cfr. Xen. Eph., p. 380, 8; Hel., p. 141, 29 sq.] et, „ne ab aliquo contingatur, ... inter sacerdotes Dianae feminas secludit" hist., p. 53, 9: apud Heliodorum Charicles Charicleam, filiam regis Aethiopum, ut suam habet et *ζάκορον τῆς Ἀρτέμιδος* Delphis in templo seclusam tenet (p. 76, 26 sq.); apud

---

Klebsio, o. l., p. 189, conferre Apul., Met. I, 7. [tragoedia = *τραγῳδία*, Xen. Eph. p. 360, 8; cfr. Heliod. p. 6, 25; 198, 17 etc.].

1) Non ex Ovidio, Petronio, Apuleio, ut contendit Klebsius, o. l., p. 207, 284, 288, 302. — Apollonius, ut Ulixes, invitatur ad cenam (hist. p. 26, 11; Odys. *η*, 166; *θ*, 469) et locum honorificum obtinet (hist. 27, 4; Odys. *η*, 169); in hist., p. 31, Apollonius, in Odys., VIII, Demodocus, edit specimen suae divinae artis; Apollonius „effundit lacrimas exponens casus suos" (hist. 29, 6), ut Ulixes (Odys. *θ*, 86, 92, 531; *ι*, 12); Apollonius dormit domi Archistratis regis (hist. 33, 12), Alcinoi Ulixes (Odys. *η*, 334 sq.); Apollonius ludit pila in gymnasio (hist. c. XIII: cfr. Odys. *θ*, 186 [et 372]), donatur auro, argento, vestibus ab Archistrate rege (hist. c. XVII), ut Ulixes ab Alcinoo (Odys. *θ*, 386 sq.); Archistratis filia, ut uxor Alcinoi, curat ne quis hospiti dona furetur (hist. 33, 8; Odys. *θ*, 443). Ex Homero (Odys. *ζ*, 136; *η*, 252) etiam „tabula" cuius beneficio Apollonius est „nudus" in litore pulsus, p. 21, 9. Cfr. K. Buergerium, Hermes XXVII (1892), p. 346, 4. — Hist. p. 33, 15—34, 3 procul dubio cento, consutus ex Verg., Aen. IV, 1. Ceterum noctem augere amantium cruciatus communis omnium eroticorum locus; cfr. Diltheyum, o. l., p. 70.

2) Hoc nomen est puellae in codd. fam. B; cfr. Klebsium, o. l., p. 42.

Digitized by Google

Xenophontem Ephesium Anthia, ut vim Psammidis effugiat, se Isidi a patre dicatam narrat (III, 11, 4).

Comparandae etiam eaedem sententiae eisdem verbis expressae: hist. p. 40, 11, „pater carissime", inquit Archistrates, „... illum volo coniugem et amo ... Apollonium; cui si non me tradideris, a praesenti perdes filiam.": Charit. I, 1, 8, *Χαιρέας ... ἀπετόλμησεν εἰπεῖν πρὸς τοὺς γονεῖς ὅτι ἐρᾷ καὶ οὐ βιώσεται τοῦ Καλλιρόης γάμου μὴ τυχών.* — Hist. p. 46, 11, „Apollonius ... vidit coniugem suam iacentem exanimem, scidit a pectore vestes unguibus ... et ... iactavit se super corpus eius et coepit amarissime flere atque dicere: „cara coniunx, ...": Xen. Eph. III, 7, 1, *ὁ Περίλαος ... ἰδὼν τὴν Ἀνθειαν κειμένην ... τὴν ἐσθῆτα περιρρηξάμενος, ἐπιπεσὼν τῷ σώματι „ὦ φιλτάτη μοι κόρη" φησίν ... τοιαῦτα ἐθρήνει*; hist. p. 47, 15, Apollonius „loculum regalibus ornamentis ornat, puellam in loculo composuit ... dedit postremo osculum funeri, effudit super eam lacrimas ...": Xen. Eph. III, 7, 3, Perilaus *περιεβεβλήκει ... ἅπασαν ⟨τὴν Ἀνθειαν⟩ καὶ ἡσπάζετο χεῖράς τε καὶ πόδας ... ἐκόσμει δὲ αὐτὴν πολλὴν ⟨μὲν⟩ ἐσθῆτα ἐνδύων, πολὺν δὲ περιθεὶς χρυσόν.*

c) Pars III. — Omnia fere, hac in parte, eadem atque in Xenophonte Ephesio.

— Hist. c. XXXI: „Dionysias" — cui Apollonius Tharsiae curam delegaverat [1]) — „cum filia sua nomine Philo-

— Xen. Eph. II, 11, 1: Manto, ut audivit Moeridem, suum ipsius coniugem, amore Anthiae captum esse, *ἐν ὀργῇ γενομένη* ...

---

1) p. 55, 11: „Puella Tharsia facta quinquennis traditur studiis artium liberalibus", cfr. p. 58, 14; 74, 3—5. Quod attinet ad litterarum studium, cfr. Xen. Eph. p. 329, 8: *Ἀβροκόμης παιδείαν ... γὰρ πᾶσαν ἐμελέτα καὶ μουσικὴν ποικίλην ἤσκει.* Apud Heliodorum sapientiae amantem se praebet Cnemon, p. 77, 23; 79, 3; 91, 9 e. q. s.; Calasiris sapiens est et doctissimus, cfr. ex. gr. II, 27 sq., III, 7, 14, 16 etc. Achillis Tatii personae omnes omni genere doctrinarum instructae sunt, nec desinunt de diversissimis rebus disserere atque disputare: cfr. I, 8; 17 e. q. s.; II, 2; 35, 2; III, 6 e. q. s.; 25; V, 5, etc. Daphnis quoque et Chloe, a pastoribus educati, *γράμματα παιδεύονται* apud Longum I, 8, 1. — Quod ad cantum, musicam, saltationem pertinet, satis sit dixisse in omnibus fabulis eroticis graecis maximum his artibus esse honorem, et mentionem earum saepissime reperiri. Apud Ach. Tat. (II, 1; 7, 1) Leucippe, ut in hist. Apoll. Tharsia, vocum et fidium cantus est peritissima. Patet igitur manifesto nullius prorsus esse momenti quae scribit Klebsius, o. l., p. 207—11.

Digitized by Google

musia et Tharsia puella transibat per publicum... Ut audivit ⟨cives⟩ laudare Tharsiam ⟨ob pulchritudinem⟩ et suam ⟨ob turpitudinem⟩ vituperare filiam in insaniae furorem conversa est. Et sedens sola coepit cogitare taliter... Et.. nuntiatur ei villicum venisse nomine Theophilum. Quem ad se convocans ait „si cupis habere libertatem cum praemio, tolle Tharsiam de medio". Villicus ait „quid enim peccavit virgo innocens?" Scelesta mulier ait „... tantum fac quod iubeo. Sin alias, sentias esse contra te iratos dominum et dominam"... Villicus... intuens caelum ait „deus, ego non merui libertatem accipere, nisi per effusionem sanguinis virginis innocentis?"

— Hist. c. XXXIII—XXXV: Tharsia a piratis „venalis *in* foro proponitur [1]). Et videns eam leno [Leoninus nomine] cupidissimus et locupletissimus, nec vir nec femina, contendere coepit ut eam emeret. [2]) (p. 66,

„οὐ χαίρουσά γε" ⟨*ἔφη*⟩ *„Ἄνθεια φανεῖται καλὴ καὶ Μοίριδι..."* 3. *Τότε μὲν οὖν τὴν ἡσυχίαν ἦγαγεν· ἀποδημήσαντος δὲ τοῦ Μοίριδος μεταπέμπεται τὸν αἰπόλον καὶ κελεύει λαβόντα τὴν Ἄνθειαν ... ἀποκτεῖναι καὶ τούτου μισθὸν αὐτῷ δώσειν ὑπέσχετο.* 4. *Ὁ δὲ οἰκτείρει μὲν τὴν κόρην, δεδοικὼς δὲ τὴν Μαντὼ ἔρχεται...* 6. *Ὁ δὲ αἰπόλος εἰς οἶκτον ἔρχεται ἐννοῶν ὡς ἀνόσιον ἔργον ἐργάσεται κόρην οὐδὲν ἀδικοῦσαν ἀποκτείνων οὕτω καλήν.*

— Xen. Eph. V, 5, 7: *Ἡ .. Ἄνθεια κατήχθη μὲν εἰς Τάραντα... ἐνταῦθα δὲ ὁ Κλυτὸς... ἀποδίδοται αὐτὴν πορνοβοσκῷ.* 8. *Ὁ δὲ ἰδὼν κάλλος οἷον οὔπω πρότερον ἐτεθέατο, μέγα κέρδος ἕξειν τὴν παῖδα ἐνόμιζε...* Xen. Eph. V,

1) Quod et Anthia passa est. Xen. Eph. V, 9, 4: Leno *προῆγεν Ἄνθ. εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ τοῖς ὠνησομένοις ἐπεδείκνυεν.*

2) Sic scripsi e codd. fam. B; quod profert P procul dubio corruptum. Leno est „nec vir nec femina", *εὐνοῦχος*, ob eamque rem in c. XXXV iubet villicum eripere Tharsiae nodum virginitatis, non ipse eripit. Cfr. Klebsium, p. 39 et 286, 3. „*Leoninus*", quod nomen fuisse lenoni contendit Klebsius, p. 39, 3, dittographia ortum censeo (codd. fam. B: Ninus, Lenonius, Leoninius, Lenoninus; in cod. P nomen deest).

Digitized by Google

6–9)"... „Puella... ut audivit" se in domum avari lenonis incurrisse „toto corpore contremuit et prosternens se pedibus eius dixit „miserere mei, domine, succurre virginitati meae! Et rogo te, ne velis hoc corpusculum sub tam turpi *titulo prostituere*" (p. 68, 2–6)". Sed leno cellam diligenter ornari iussit et „tertia die ⟨Tharsia⟩ antecedente turba ... ducitur ad lupanar (p. 69, 3)". Tharsia universos casus suos omnibus ad se venientibus exponit cum lacrimis et eos avertit a libidine (c. XXXIV) [1]). Sed leno iratus „eo, quod ⟨Tharsia⟩ virginitatem suam servaret... vocat ad se villicum puellarum et ait ad eum „... Duc Tharsiam ad te et tu eripe nodum virginitatis eius!" Statim eam villicus duxit in suum cubiculum... Tharsia... prostravit se ad pedes eius et ait „miserere mei, domine, subveni captivae regis filiae; ne me velis vio-

5, 6: Anthia orat Clytum ne se lenoni vendat. „Ἀλλ', ὦ δέσποτα," προσπεσοῦσα ἔλεγε τοῖς γόνασι τοῦ Κλυτοῦ, „μή με ἐπ' ἐκείνην τὴν τιμωρίαν προαγάγῃς... οὐκ οἶσω πορνοβοσκὸν δεσπότην· σωφρονεῖν, πίστευσον, εἰθίσμεθα." Xen. Eph. V, 7, 1: Ὁ δὲ πορνοβοσκὸς... χρόνου διελθόντος ἠνάγκασεν αὐτὴν (=Ἀνθειαν) οἰκήματος προεστάναι. Καὶ δὴ κοσμήσας καλῇ μὲν ἐσθῆτι πολλῷ δὲ χρυσῷ ἦγεν ὡς προστησομένην τέγους... 3. Ὡς δὲ ἦλθε καὶ προέστη, πλῆθος ἐπέρρει τῶν τεθαυμακότων τὸ κάλλος, οἵ τε πολλοὶ ἦσαν ἕτοιμοι ἀργύριον κατατίθεσθαι τῆς ἐπιθυμίας. Sed Anthia simulat se morbo comitiali corripi et pudicitiam servat. — Xen. Eph. II, 9, 3: Μαντὼ μισοῦσα τὴν Ἀνθειαν „μεταπέμπεται... τὸν αἰπόλον, Λάμπωνα τοὔνομα, καὶ παραδίδωσι τὴν Ἀνθειαν καὶ κελεύει γυναῖκα ἔχειν, καὶ ἐὰν ἀπειθῇ προσέταξε βιάζεσθαι. 4. Καὶ ἡ ... γενομένη .. ἐν τῷ χωρίῳ ἔνθα ὁ Λάμπων ἔνεμε τὰς αἶγας, προσ-

1) Apud Senec., Controv. I, 2, aliquid simile invenitur. [Quaedam virgo, a piratis capta, veniit; empta a lenone et prostituta est. Omnes ad se venientes exorat stipem et virginitatem servat. Militem, qui ad se venerat, cum exorare non posset, colluctantem et vim inferentem occidit]. Attamen assentire non possum Klebsio — nec quisquam, qui noverit fabulatores graecos, assentiet — qui omnem historiae partem, quae est de Tharsia apud lenonem, e Seneca (atque e comicis romanis) expressam esse contendit (o. l., p. 302 e. q. s.): similiora enim apud Xenoph. reperiuntur. De his aliis σχολικαῖς πλάσμασι apud Graecos et Romanos, v. Rohdium, o. l., p. 362. [Cum Senec. conferendus Xen. Eph. IV, 5, 5, apud quem Anthia, cum Anchialum piratam a stupro removere non posset, gladio occidit. — Quod attinet ad Xen. V, 7, 4, v. Rohdium, o. l., p. 415, 1 in fine].

Digitized by Google

lare!" Cumque ei universos casus suos exposuisset, motus ⟨est⟩ misericordia... (p. 73, 1—6, AP; 8—10, β)".

πίπτει τοῖς γόνασιν αὐτοῦ καὶ ἱκετεύει κατοικτεῖραι καὶ ⟨ἀγνὴν⟩ τηρῆσαι· διηγεῖται δὲ ἥτις ἦν, τὴν προτέραν εὐγένειαν, τὸν ἄνδρα, τὴν αἰχμαλωσίαν· ἀκούσας δὲ ὁ Λάμπων οἰκτείρει τὴν κόρην..."

d) Pars IV. — Ne hac quidem in parte desunt similitudines, quas multas in superioribus deprehendimus. Quod permagni est momenti — nam ecquis casui tribuet? [1]) — et auctor historiae et Xenophon Ephesius ad mutuam coniugum agnitionem in extremo operis eodem usi sunt artificio: ille enim Apollonium, hic Habrocomem fecit in templo casus suos exponentem.

Apollonius, amissis coniuge et filia, Tyrum statuit reverti, hist. p. 79, 7: Habrocomes, cum iam nulla sibi sit spes corpus Anthiae inveniendi, Ephesum redire consilium capit, Xen. Eph. V, 6, 2; leno, qui Tharsiam „depresserat", ab omnibus civibus, in forum convocatis, damnatur (hist. c. XLVI), ut Theron pirata, qui Callirhoen rapuerat (Charit. III, 4, 15) [2]); in fine historiae (c. LI) piscator, misericordiae suae erga Apollonium (v. c. XII), Hellenicus, amicitiae (v. c. VIII), praemium accipiunt, ut apud Charit. (VIII, 8, 12) Polycharmus benevolentiae et fidei in Chaeream. — Illius quoque rei, quae est in extremo

1) Casui tribuere ne Klebsius quidem ausus est, quin etiam inter duos auctores vinculum cognationis intercessisse concessit: o. l., p. 298. — Hic locus haud mediocri mihi est incitamento ut credam (v. infra) auctorem historiae e Xenophonte, non Xenophontem ex historia, nonnulla deprompsisse. Nam veri sunt similiora quae a Xenoph. narrantur. Habrocomes, rediens in patriam solus, Rhodum advenit et templum Solis visit, in quo multis ante annis una cum Anthia donarium deo dedicaverat (v. I, 12, 2). Quod cum aspicit, ingemiscit, et quae passus est suppressa voce commemorat cum lacrimis (V, 10, 8). Apollonius contra Ephesum navigat, ibique in templo Dianae, ante deae simulacrum recitat universos casus suos, somnio tantum ut haec faceret admonitus (c. XLVIII). [Similia apud Achillem Tatium, omnium, qui eum praecesserunt, fabulatorum graecorum imitatorem, reperio: VII, 12, 4, ἦν ... τῷ Σωστράτῳ νύκτωρ Ἄρτεμις ἐπιστᾶσα. Τὸ δὲ ὄναρ ἐσήμαινε τὴν θυγατέρα εὑρήσειν ἐν Ἐφέσῳ: cfr. VII, 14, 5. Et Dianae Ephesiae sacerdos, cuius deae ad aram puella confugerat, VII, 15, 2: „οὐκ ἄλλην τοιαύτην" ἔφη „μετὰ τὴν Ἄρτεμιν εἶδον."]

2) Hanc in contionem „concursus magnus et ingens factus est, et tanta commotio fuit populi, ut nullus omnino domi remaneret, neque vir neque femina" (hist. p. 100, 6—8) = μεστὸν ἦν τὸ θέατρον. Ἐκείνην τὴν ἐκκλησίαν ἤγαγον καὶ γυναῖκες (Charit. III, 4, 4).

Digitized by Google

c. LI historiae in quaque perperam Klebsius (o. l., p. 40, 208) indicium veterum morum romanorum se invenisse censebat, similem apud Ant. Diog. reperiri monuit Wilckenius (o. l., p. 258, n. 2) [1]). Haec denique comparanda:

— Hist. p. 79, 2: Apollonius ut audivit Tharsiam filiam mortuam esse „rediit ad navem atque ita suos allocutus est dicens „proicite me in subsannio navis". Cf. p. 79, 6; 81, 13; 84, 10; 86, 4.

— Hist. p. 111, 8 (in codd. fam. B tantum; v. Klebs. p. 40): Cum Stranguillio et Dionysias in iudicio Tharsiam mortuam esse adfirmarent, „Apollonius exclamavit „domina Tharsia, nata dulcis, si quis tamen apud inferos sensus est, relinque Tartaream domum et genitoris tui vocem exaudi". Puella de post tribunal... processit...".

— Hist. p. 109, 1 (in codd. fam. B; in P desunt): Uxor „rapuit eum (= Apollonium) in amplexu. Apollonius coniu-

— Charit. p. 53, 7: Χαιρέας.. *ἐν κοίλῃ νηὶ ἐγκεκαλυμμένος ἔκλαεν.* Cfr. p. 142, 26. — Eustath. p. 232, 28: *ὁ πολύτλας ἐγὼ πρὸς τὸν τοῦ σκάφους κατέδυν πυθμένα.* Quibus ex locis falsa esse quae Klebsius (o. l., p. 289, 2) adfirmavit, manifesto apparet.

— Charit. V, 7, 10: Cum Dionysius adfirmaret Chaeream mortuum esse, *ὁ Μιθριδάτης φωνὴν ἐπῆρε καὶ ὥσπερ ἐπὶ θειασμὸν „θεοὶ" φησὶ „βασίλειοι ἐπουράνιοί τε καὶ ὑποχθόνιοι, βοηθήσατε ἀνδρὶ ἀγαθῷ... χρήσατέ μοι κἂν εἰς τὴν δίκην Χαιρέαν. Φάνηθι, δαῖμον ἀγαθέ· καλεῖ σε ἡ σὴ Καλλιρόη...".* 8, 1. *Ἔτι δὲ λέγοντος ... προῆλθε Χαιρέας αὐτός.*

— Hel. p. 187, 3: *⟨ἡ Χαρίκλεια⟩ ἐπ' αὐτὸν* (= *τὸν Θεαγένην*) *ἴεται· καὶ περιφῦσα τοῦ αὐχένος ἀπριξ εἶχετο καὶ ἐξήρ-*

1) Hist. p. 116, 3—5 (in codd. fam. B; in P 3—5 desunt): „Casus suos suorumque ipse descripsit et duo volumina fecit: unum Dianae in templo Ephesiorum, *alterum in* bibliotheca sua posuit". Ant. Diog p. 237, 11: *<Δεινίας> προσέταξε... τῷ Κύμβα δίχα ταῦτα τὰ διαμυθολογηθέντα ἀναγράψασθαι, καὶ θατέραν μὲν τῶν δέλτων αὐτὸν ἔχειν, τὴν ἑτέραν δέ, καθ' ὃν ἀποβιώῃ καιρόν, τὴν Δερκυλλίδα πλησίον τοῦ τάφου κιβωτίῳ ἐμβαλοῦσαν καταθεῖναι.* Et apud Xen. Eph.. V, 15, 2, Habrocomes et Anthia *ἐπὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος* (*τὸ ἐν Ἐφέσῳ*) *ἦεσαν ... καὶ γραφῇ τῇ θεῷ ἀνέθεσαν πάντα ὅσα τε ἔπαθον καὶ ὅσα ἔδρασαν.*

Digitized by Google

gem suam repellit a se".

— Hist. p. 106, 12: „Quam (= Dianae sacerdotem) videns Apollonius cum filia sua et genero corruerunt ante pedes eius. Tantus enim splendor pulcritudinis eius emanabat, ut ipsam esse putarent deam Dianam".

τητο... ὁ δὲ..: διωθεῖτο καὶ παρηγκωνίζετο.

— Charit. II, 3, 5: Διονύσιος... εἰσῆλθεν εἰς τὸν νεὼν ⟨τῆς Ἀφροδίτης⟩... 6. Θεασάμενος... ⟨Καλλιρόην⟩ ἀνεβόησεν „ἵλεως εἴης, ὦ Ἀφροδίτη, καὶ ἐπ' ἀγαθῷ μοι φανείης." Καταπίπτοντα δὲ αὐτὸν ἤδη Λεωνᾶς ὑπέλαβε. Cfr. ex innumerabilibus aliis locis Charit. I, 14, 1; II, 2, 6; III, 2, 14—15; Heliod. p. 5, 21 sq.: 153, 22; Xen. Eph. I, 2 7 etc.

Confer etiam hist. p. 116, 1—2 cum Xen. Eph. p. 399, 18—19; hist. p. 109, 9 sq. cum Xen. V, 13, 1; etc.

III.

Quibus ex omnibus quos attuli locis iam per se patet „historiam Apollonii regis Tyri" mire cum fabulis graecis congruere. Eadem sunt verba, eaedem sententiae, eaedem res: amores, longinquae peregrinationes, tempestates, naufragia, piratarum incursiones, furiosae aemulationes, pudicitiae egregia exempla, somnia, agnitiones. Quodque omnes fabulatores graeci, demonstrandum esse sibi noster constituit auctor, scelestos serius ocius solvere poenas, integros vitae scelerisque puros maximis evadere etiam periculis [1]). Personae, non secus atque in fabulis graecis, dignitate, ingenio, voluntate carent; sunt, ut hoc utar verbo, *νευρόσπαστα*, quae dei et fortuna movent arbitrio suo. Adde res in Oriente [2]) atque in Aegypto, ut in omnibus fabulis

1) Cfr. Photium, cod. 166, ap. Hercher, Erot. I, p. 238, 33 sq.

2) Plerumque in eisdem urbibus in quibus apud fabulatores graecos; Tyri, Charit. VII, 2, 7 sq., Xen. Eph. I, 14, 6 sq., Ach. Tat. I, 3 etc., Ant. Diog. p. 233, 25; Antiochiae, Xen. Eph. II, 9; Tarsi, Xen. Eph. II, 13, 6 sq.; Mytilenis, Long. I, 1 etc.; Ephesi, Xen. Eph. I, 1 etc., Ach. Tat. V, 17 sq. — Contra quae hariolatur Klebsius, o. l., p. 298, v. quae iam anno 1872 scripserat Riesius in Mus. Rhen., v. 27, p. 625, 3.

Digitized by Google

graecis, peragi; omnia personarum nomina graeca esse [1]); mores multo magis sapere graecos quam romanos, denique, quod permagni est momenti, omnem historiae materiam graecam esse [2]). Quae cuncta mihi animo volventi et diligenter consideranti, certissimum videtur fabulam Apollonii e fabula graeca nunc deperdita [3]) fluxisse. Quod saeculo tertio exeunte evenisse veri simile est [4]); saeculis insequentibus iterum atque iterum a christianis retractata fuit, qui nonnulla, quae parum ad finem suum facere viderentur, resecuerunt, nonnulla nova ornamenta inseruerunt. Quae si addita eieceris [5]), quae dempta suppleveris cogitatione, quae in brevius imperite contracta, quae obscurata et corrupta in pristinam restitueris formam [6]), fabulam similem

---

1) Cfr. Riesium, Rhein. Mus. vol. 27, p. 633, Buergerium, Studien p. 26, Klebsium, o. l., p. 298, etc. De „*Ardalio*" (ceterum vox graeca est), v. Klebsium, p. 42, 5; 298, 1.

2) Incestum amorem Antiochi regis in filiam ex Antiochi regis Syriae amore erga Stratonicen novercam pendere vidit Riesius, praef. p. XVIII, cui assentitus est Rohdius, o. l., p. 449, 1. Quae sunt de Apollonio apud Archistratem regem ex Homero petita esse demonstravi, reliqua omnia ab eroticis graecis decantata sunt.

3) Pauca exempla harum fabularum ad nos pervenisse, permulta periisse, locupletissime nos docent fragmenta quae infra hos proximos viginti annos in Aegypto inventa sunt. V. U. Wilckenium, o. l., p. 227 sq.

4) Neque ante Caracallae neque post Constantini aetatem latinum exemplum historiae compositum fuit. V. Christium (ap. W. Meyerum, Münch. Sitzungsb., philos.-philol. Classe II (1872) p. 4 sq.), Klebsium, o. l., p. 191 sq., 201, Buergerium, l. l., p. 21.

5) In primis aenigmata ex Symphosio, c. XLII—XLIV [qui haec, etiamne Antiochi aenigma, in c. IV, addidit?]. Et vereor ne quae reperimus in c. LI (p. 115, 6—12), Hellenicum Tyrium se Cyrenis Apollonio obtulisse, lector quidam adiecerit, qui ei ob misericordiam suam gratias referri voluit. Quam ad sententiam si descendere nolueris, attamen locum in c. L (p. 110, 7 β; in P 110, 5—7 β desunt) post verba *generum suum* reponendum esse mihi concedas oportet. — De interpositionibus christianis v. Klebsium, p. 187 sq. [Cantus quidam Tharsiae (v. c. XLI) non deerat fortasse in fabula graeca; cfr. Heliod. III, 2]. — De Apollonio „*rege*" v. Rohdium, p. 443, 1, [Klebsium, p. 222] cum quo omnino consentio: Apollonius non fuit „*rex*", sed „princeps patriae" (p. 13, 10; 22, 9; 43, 12) = *ἀνὴρ τῶν τὰ πρῶτα ἐκεῖ δυναμένων*, Xen. Eph. p. 329, 1; cfr. Heliod. p. 27, 26; 102, 32; Ant. Diog. ap. Hercher, I, 233, 22. — De nonnullis aliis additamentis v. Klebsium p. 217—226.

6) Procul dubio in fabula graeca quae Apollonius fecisset quaeque sibi evenissent XIV illos annos quos peregrinatus est „ignotis et longinquis Aegypti regionibus" (p. 55, 9; 108, 8) multis capitibus narrabantur [v. Wilckenium, l. l.; contra Buergerium, o. l., p. 25, 1. — „... sed potius opera mercatus" P („mercaturus" codd. fam. B), p. 54, 9, glossema. Cfr. p. 108, 8 „duxi me in Aegypto per annos XIIII uxorem fiens fortiter"]. Cap. IL e. q. s. imperite contracta sunt: Apollonius et uxor quae sibi accidissent paucis verbis inter se enarrare debebant. Causa quoque laborum

Digitized by Google

Charitonis et Xenophontis Ephesii habebis. Historiae enim auctor, ut eorum uterque, fabulae principes initio, non in fine operis, ut ceteri, matrimonio coniunxit [1]), versus, ut Charito, abunde orationi admiscuit et populum saepe in contionem vocavit, inscriptiones funebres et honorificas, ut Xenophon, adhibuit [2]). Cuius multa tam similia in rebus verbisque habet, ut alterum alterutrum imitatum esse omnes consentiant oporteat. Xenophontem ab auctore historiae expressum fuisse opinabatur Rohdius (o. l., p. 441), quin contrarium evenerit non dubitant Krumbacherius (Biz. Litt.[2], p. 852) et Buergerius (o. l., p. 28), quorum alter non potest adduci ut „mirificam illam narrationem et venustam Tharsiae necis — quam ob invidiam Dionysias molita est — e Xenophonte depromptam credat". Krumbacherii sententiam et Buergerii tantum abest ut probem, etiam impugnandam censeo. Vidimus enim supra (p. 207, 1), quae in Xen. Eph. V, 10, 8 et in Hist. c. XLVIII narrantur, nobis fortasse auctorem

---

et malorum Apollonii, Archistratis, Tharsiae ab inscita eorum manu, qui librum retractaverunt, omnino deleta. Spreverant profecto — quod frequentissimum in fabulis eroticis, v. Diltheyum, o. l., p. 43 — Cupidinem et Venerem ob eamque rem a dis iratis puniebantur. — Nonnulla varia perturbatione misere sunt deformata: ex. gr., narratio Hellenici, quae est in c. octavo, decimum subsequi debebat. [Ita narratio est reconcinnanda: Apollonius fugiens et etiamnunc ignorans se ab Antiocho rege esse proscriptum, pervenit Tarsum civibusque fame oppressis subvenit, qui ei statuam in foro statuunt. At supervenit Hellenicus, qui de Antiochi edicto eum certiorem facit, quam ob rem, »interpositis [mensibus sive] diebus paucis" Tarsum relinquit et Cyrenas petit, »ut ibi latere posset". »Mensibus sive" interpol. postquam c. VIII e suo loco excesserat. Ita auferuntur inepta illa et absurda quae Rohdium (p. 451) et Klebsium (p. 308) offendebant].

1) Fortasse etiam in fabula, quae erat de Nino et Semiramide, principes initio, non in fine operis, matrimonio coniungebantur. V. fragm. in Hermes, XXVIII (1893) p. 161 et in Riv. di Filol. XXIII, (1894), p. 1 sq. — Aetas ad nubendum legitima est in historia XIV annorum, ut ap. Longum et Xenoph. Eph. [Num etiam in fabula Nini et Semiramidis? V. L. Levi, Riv. di Filol., v. l., p. 6, ib. n. 1].

2) In Charit. plus quam vicies quinquies occurrunt Homeri versus. — Contiones: Charit. I, 1, 11, (I, 5) III, 4, 4 sq., VIII, 7; hist. c. X, XLVI, XLVII, L. — Inscriptiones: Xen. Eph. I, 12, 2; III, 2, 13; V, 11, 6; hist. c. X, XXXII (= XXXVIII), XLVII. [Sepulcra apud Charit. et auctor. hist. semper in ora maritima: Char. p. 18, 24; IV, 1, 5 sq.; hist. p. 58, 12 β; 65, 6 β] — Rohdius, o. l., p. 440, etiam ieiunitate et exilitate orationis historias Apollonii atque Habrocomis et Anthiae similes esse animadvertit. Recte; quae enim apud utrumque auctorem uberiora, hic atque illic a posterius eos retractantibus in angustum coacta. Quod attinet ad Xenoph. Eph. cfr. Buergerium, Hermes, XXVII, (1892), p. 36 sq. — Audaciora scripsit Riesius in praef. p. XVI.

Digitized by Google

historiae Xenophontis imitatorem indicare. Huc accedit quod inopinatus adventus piratarum, qui Tharsiam e morte liberant (hist. c. XXXII), statim nos ad Anthiam Xenophonteam revocat, quam e manibus piratarum, qui eam victimam immolaturi sunt, eripit Perilaus subito superveniens (II, 13, 3). At si, locis accurate examinatis interque se diligenter conlatis, consideraveris quam mira nec veri similia sint quae huius historiae capitis initio narrantur, mecum paene certum habebis auctorem fabulae Apollonii, cum nullam ad servandam Tharsiam rationem reperiret, illam a Xenophonte mutuatum esse, sed inepte adhibuisse. Quae omnia si vera sunt, historia non ante a. 260 p. Chr. graece composita fuit; non multis post annis interpres quidam latinus latine eam Romanis accommodabat.

Scripsi Reate, a. MCMX,
relegi Monopoli,
m. Ianuario a. MCMXIV.

DE LOCUTIONE VULGARI ITALA *noi si canta.*

In *Mnemosynae* vol. XLII, p. 16 (cf. p. 1) vir doctissimus K. Sneyders de Vogel sic disputationem *de verbis pronominalibus* claudit: „*noi si canta* soli linguae italianae proprium esse". Et ad optimam grammaticam a Meyer-Luebke confectam nos reiicit, quae tamen docet illam quaestionem nondum excussam esse. Ergo aliquid de ea observare velim. *Si canta* est gallice *on chante*; *noi si canta* gallice *nous on chante*. Neque iam invenies hanc locutionem gallicam in libris sed frequentissime ea homines utuntur in sermone plebeio, quamquam a nullo e grammaticis, ni fallor, animadversa est. Locutio gallica propior origini quam italiana est, et nos in hoc proposito adiuvabit. Plena gallica dictio est: *nous autres, on chante*. Quomodo nata est? *On chante* saepe significat *nous chantons*. Sensus peculiaris a generali originem traxit Si nonnulli abire debent, dicet aliquis: *On s'en va?* Nonne proficiscimur? Verum si vis comites tuos ab altero coetu secernere, dices: *On s'en va nous?* et affirmate: *Nous on s'en va*. Quae locutio quotidie paulatim potestatem separandi perdit et huic fere par erit: *nous nous en allons*, sed propter facilem usum huic praestabit. Mihi videtur origo gallicae locutionis italianam illustrare. *Noi si canta* e latino sermone oritur ad hunc modum: *cantatur* > *se cantat* > *si canta* (generalis usus) > *si canta* (specialis usus vel *noi cantiamo*), *noi si canta* (separandi causa) > *noi si canta*.

New York, Columbia University. HENRI F. MULLER.

Digitized by Google

PERSIANA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Quoniam in scriniis nostris nihil iacet quod ultimas huius fasciculi paginas bene expleat, nihil unde desumi possit pars huic spatio apta, hac ego facultate utar ad ea illustranda quae in margine Persii, a Wageningenio nostro editi, annotavi: non enim plane indigna mihi visa sunt quae cum Mnemosynes Batavae cultoribus communicem. Et quoniam res ipsa fert ut ea potissimum proferam in quibus a recentissimo editore dissentiam, primum omnium declaro profiteorque me, si quid tamen in Persio profecerim — quod sentio quam sit exiguum — id tantum non omne illi referre acceptum. Wageningenius enim nisi olim in lucem emisisset praestantissimum illum, Groningani gymnasii additum programmati, ad Persium commentarium, ego, ut opinor, Nisardii contentus fuissem iudicio, qui postquam lepide ficta gravitate, tamquam si apud praetorem res ageretur, causam ab utraque parte consideravit, satyricum nostrum indignum esse pronuntiavit in quo laborem nostrum tempusque consumeremus. Nunc ad propositum venio.

Prologum plerumque nunc viri docti in duas dividunt partes, atque adeo duos nobis prologos exhibent. Quo quid proficiamus non video. Equidem hic iam statim poetam deprehendo parum exercitatum. Nam si verba eius severe examinamus et accurate interpretamur, hoc dicit: „veri poetae afflatu divino ad carmina facienda impelluntur, ego fame et lucelli studio versus facere cogor". Quod tamen eum *non* voluisse et res ipsa loquitur et

Digitized by Google

inde efficimus quod in re angusta domi versatum esse Persium nusquam apparet: contrarium potius ex eius satiris efficias. Sed hoc vult: „magna canant magni poetae, ego semipaganus affero quod semipagani (h. e. fere „semibarbari" v. Mnem. XLI p. 446) est. Cur autem istud facio neque quisquilias meas domi servo? Difficile dictu: variae sunt causae cur etiam mali poetae carmina sua in lucem edaut, alii inopia eo adiguntur, alii aliis rebus". At uno illo est exemplo contentus idque admodum facete illustrat: plura, ut res ordine procedat, esse addenda exempla eum fugit.

S. I, 5—7 Non, si quid turbida Roma
Elevet, *accedas* examenque improbum in illa
Castiges trutina.

Parum accurate haec sic editor vertit: „zoo het roezige Rome iets weegt en te licht bevindt, dan moet men zich daarbij niet *aansluiten* en aan de weegschaal de tong willen verbeteren". At rectissime idem in commentario: „noli accedere (sc. ad trutinam)".

S. I, 13 Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber.

Recepit editor Marklandi coniecturam haud sane lenem: *inclusus numeris ille*. Sed nescio an tradita lectio defendi possit Horatiano (Epl. I, 7, 11):

Ad mare descendet vates tuus et sibi parcet
Contractusque leget

i. e. in suum abditus angulum. Et eiusmodi aliquid etiam *inclusi* significare potest.

S. I, 22 sqq.

Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas
Auriculis quibus et dicas cute perditus „ohe".

Sensu cassa haec sic refinxit editor:

Versiculis, quibus edicas cute perditus „ohe".

Parum eleganter nunc eadem res et metaphorice (*escas*) et suo nomine (*versiculis*) significatur. Quanto venustius Madvigius:

Articulis, quibus et dicas cute perditus „ohe"

quantoque verius. Nam solum *cute* hic non sufficit: decrepitae senectutis pluribus opus est indiciis.

Digitized by Google

S. I, 36 Postquam narravit quam absurde quidam in convivio recitaverit ‚Phyllidas, Hypsipylas' sic pergit:

adsensere viri: nunc non cinis ille poetae
felix?

Si bene locum intelligo, *poeta* hic est poeta antiquus, cuius versus inepte sunt recitati.

S. I, 49 „euge" tuum et „belle". Utique hic citandus erat lepidissimus Plutarchi locus (*de audiendo* c. 15), de ineptis acclamationibus.

S. I, 85 ‚Fur es' ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis, doctas posuisse figuras
Laudatur.

Equidem, ne si quam maxime vellem quidem, dubitare possem quin unice vera esset Scaligeri lectio: ‚doctus posuisse figuras'. Sic demum bene disponuntur omnia, atque sic concluso semicolo apte pergitur: „laudatur: bellum hoc".

S. I, 127 Miram habes structuram in his: „qui possit dicere .... seque aliquem *credens*". An poeta scripsit *credat*, idque sciolus, metro scilicet consulens, correxit?

S. II Inter eos, qui huius satirae argumentum (de perversis hominum precibus) tractarunt, etiam commemorandus erat Horatius (S. II, 6, 8—13).

S. II, 3 sq. Macrinum Stoicorum discipulum sic laudat poeta:

Non tu prece poscis emaci,
Quae nisi seductis nequeas committere divis.

Illud *committere* editor „opdragen" vertit. Malim „toevertrouwen". Avarus preces deo tamquam in aurem insusurrat. Atque sic precatur: „O si | ebulliat patruus, *praeclarum funus*. Pro notatis latinis Belgica haec dat editor: „wat een prachtig sterfgeval!" Equidem potius de Horatiano (S. II, 5, 105) cogito:

Funus egregie factum laudet vicinia.

Admodum facete heredipeta ita secum loquens inducitur.

Digitized by Google

S. II, 27 Triste iaces *lucis* evitandumque bidental.
Neque pluralem illum concoquo, neque quid omnino *luco* hic opus sit video: ubique terrarum atque etiam in media urbe, bidentalia esse possunt.

S. II, 30 sqq.

Ecce avia aut metuens divum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque *uda* labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentis oculos inhibere perita;
Tunc manibus quatit et *spem macram* supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedis.

Parum istud *uda* placet, non quod *non* uda sint infantis labella, sed quia id potius de *anus digito* est dicendum. Et corruptum *spem macram* („de schrale hoop der familie" editor) puto: nimis enim dure haec infertur metaphora et e nulla re apparet *pauperum* hunc esse filiolum.

S. II, 45 Da fortunare penates.
Vertit editor: „geef dat de huisgoden mij zegenen", annotatque: „*fortunare* absolute positum, quamquam alibi verbum transitivum est". Haec quo modo inter se conciliem non video; interea hic *fortunare* „absolute" positum censeo: fortunatos opulentosque esse.

S. II, 61 O curvae in *terris* animae.
Legendum esse (cum Lactantio) *terras* nihil manifestius docet quam Platonis locus, quem ipse editor (si bene eum intelligo, ad *terris* defendendum) adscripsit: *κάτω ἀεὶ βλέποντες καὶ κεκυφότες εἰς γῆν.*

S. III, 4 Quinta dum linea tangitur umbra.
Editor: „terwijl op den zonnewijzer de schaduw al de vijfde lijn raakt". Sed quoniam dubium non est quin *quinta* cum *umbra* sit iungendum, alio modo locus est accipiendus. Fortasse *linea* hic *acus* est quae umbram efficit. Revera *sole* illa tangitur, sed sol umbram pariens a poeta nostro *umbra* appellari potuit.

Digitized by Google

S. III, 12 sqq.

Tunc querimur, crassus calamo quod pendeat umor.
Nigra sed infusa vanescit sepia lympha:
Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.

Versus secundus quodammodo tertii est protasis: „si vanescit .... querimur". Vertamus ergo locum sic, ipsius editoris usi verbis: „vervolgens klagen wij, dat de inkt dik aan de pen blijft hangen, maar is het zwarte vocht dunner gemaakt door bijgegoten water, dan klagen wij, dat de pen telkens de verdunde druppels op het papier laat vallen".

S. III, 43 Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor.

Illud *proxima* editor vertit: „die hem toch het naaste is". Rectius, u. o., disertiusque foret: „die naast hem ligt". Fingitur infelix, qui per noctem terrore torquetur, cuius quae sit causa ne uxor quidem in eadem sponda cubans novit.

S. III, 63 sqq.

Elleborum frustra, cum iam cutis aegra tumebit,
Poscentis videas: venienti occurrite morbo,
Et quid opus Cratero magnos promittere montis?

Molestissimum mihi istud *et* est. Requiritur fere *nam*.

S. III, 73 sqq.

Disce nec invideas quod multa fidelia putet
In locuplete penu defensis pinguibus Umbris,
Et piper et pernae e. q. s.

Primum versum sic editor vertit: „laat U leeren en *onttrek* er u niet aan e. q. s.". Sed hunc sensum (detrahendi, seque oneri subtrahendi) *invidendi* verbum hic habere non potest, atque etiam *disce* tamquam „praegnanter" dictum accipiendum videtur: *da operam philosophiae.* Tum *opponitur* hoc: „invidere noli iurisconsulto quem sua ars locupletem faciat". Nam iuvenem, quem poeta stoicus hic alloquitur, iam rem fecisse reis defendendis parum est verisimile, neque quidquam tritius quam haec philosophi et iurisconsulti aemulatio.

Digitized by Google

S. III, 107

Tange, miser, venas et pone in pectore dextram.
„Nil calet hic".

Sic haec inter duos dividit homines editor vertitque priorem versum: „voel *mijn* pols eens (*zegt gij*) en leg uwe hand, ongelukkige op *mijn* hart". Sed quo iure nunc istud *miser* additur? Non est aegri sic medicum (philosophum) alloqui, medici sunt ea ad aegrum verba cf. vs. 15. Hic autem Persius amico persuadet aegrum eum esse et eo quidem laborare morbo, qui est gravissimus, *mentis*. Atque hinc incipit ut ei demonstret in corpore vitii esse nihil. Ergo *nil calet hic* et mox *non frigent* aegri sunt, cetera omnia medici (philosophi), atque haec quoque:

positum est algente catino
Durum olus et populi cribro decussa farina:
Temptemus fauces; tenero latet ulcus in ore
Putre quod haud deceat plebeia radere beta.

Editor sic vertit: ⟨een ander geval⟩: men heeft u groente, die wat stug is, voorgezet op een kouden schotel en daarbij een stuk kommiesbrood: *maar* laten wij *eerst* uwe keel eens onderzoeken! Ja uw mond *zal wel* gevoelig wezen, *want* er zit een booze zweer achterin". Notata et uncinis inclusa hinc aliena videntur; sensus enim hic est: „si plebeius cibus tibi est appositus, *ulcus in ore habes*" ut verba notata significent: „prae mollitie eum neque manducare neque devorare potes".

S. III, 115

Alges, cum excussit membris timor albus aristas.

Misere languent haec, vix minus quam si dictum esset: *alges cum alges*. Sed poetae hoc videtur vitium qui et *membris* satis absurde pro *cute* posuerit. Alioquin pro *alges cum* proponerem *algenti*.

S, IV, 10 sqq. Alcibiadem rem populi tractare cupientem et aliis confutat verbis Socrates et hisce:

Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis librae, rectum discernis ubi inter
Curva subit vel cum fallit pede regula varo,
Et potis es nigrum vitio praefigere theta.

Digitized by Google

Hactenus omnia bene procedunt, quaeque paulo erant obscuriora ab editore nostro egregie illustrantur. Sed sequuntur haec:

14 Quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,
Ante diem, blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?

Quae cum praecedentibus adversa fronte pugnant. Sensit hoc editor et praecedentia illa „ironice" dicta putat. Sed haud ille est eorum color et ne sic quidem istud *igitur* recte hic ponitur. Ante vs. 14 excidisse unum pluresve versus ego suspicor.

Denique discipulum sic castigat magister:

Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper et assiduo curata cuticula sole.
Exspecta, haud aliud respondeat haec anus. I nunc
20 „Dinomaches ego sum, sum candidus". Esto,
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis
Cum bene discincto cantaverit ocima vernae.

Ad *haec anus* editor annotat: „Baucis (vs. 21) servis olera venditans idem respondebit, h. e. eodem modo merces suas iactabit, ut Alcibiades genus suum: uterque hominibus imponere studet". Haud opinor: sic enim omnia nimis fiunt contorta et aenigmata loquitur qui eandem anum, quam mox suo nomine est monstraturus, iam antea vocibus *haec anus* indicat. Sic se rem habere opinor: *„exspecta"* Socrates dicit Alcibiadi, cum eum videt ira exardescere „quod ego dico respondens quaestioni quae tibi summa boni sit, idem de te dicet quivis et quaevis de populo". *Deinde* eum, gente formaque gloriantem, comparat cum Baucide lachanopolide, mercem suam laudante.

S. IV, 29 sq.

Avarus sordidusque
Seriolae veterem metuens deradere limum
Ingemit.

Integrum versum sic editor vertit: „die .... bang is het oude *stof* van zijn wijnkruikje *af te wrijven*". Sed *pulverem* non *deradimus* verum *abstergemus*. Cum *pice* hic nobis vel *cera* rest est qua seriola obturatur.

Digitized by Google

S. IV, 37 Cinaedum sic increpat poeta:

Tunc cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?

Nimis languidum istud *tunc*. Persium *tun'* scripsisse opinor: non est durum hoc anacoluthon, neque abhorret noster a *tun'* ante consonantem posito, v. S. I, 12: *tun' vetule*.

S. IV, 42 Ad hunc versum editor annotat: „formam versus, non argumentum, P. sumpsit ex Hor. Epl. II, 2, 97: caedimur et totidem plagis consumimus hostem". Immo vero contrarium est argumentum quod tractat Horatius, sed sunt tamen hi loci inter se cognati: Horatius de mutuis hominum laudibus, Persius de mutuis reprehensionibus agit.

S. IV, 49 *Vibice flagellas*. Locis hanc metaphoram illustrantibus addiderim: Cic. pro Caelio § 15 *vulnus in re atque fortuna* et Ter. Phorm. 47: *ferietur* alio munere'.

S. V, 22 sqq. *Quantaque nostrae*
Pars tua sit, Cornute, *animae*, tibi dulcis amice,
Ostendisse iuvat.

Verba notata sic editor vertit: „hoe groot een deel gij van ons bestaan uitmaakt". Malim sic: „een hoe groot deel van mijn zielsbestaan uw eigendom is" s. „een hoe groot deel .... ik aan u te danken heb". Agnoscit poeta se quidquid sapiat Cornuto acceptum referre.

S. V, 39 Et *premitur* ratione animus.

„Gevormd" editor; malim: „bestuurd". Adhibitur enim imago equi, quem dominus premendo cogendoque docilem reddit.

S. V, 45 sqq.

Non equidem hoc dubites amborum foedere certo
Consentire dies e. q. s.

Haec quam eleganter dicat Persius et quam inepte corrumpat eius imitator, qui Horatio (c. II, 17) suum addidit pannum, egregie docet Peerlkampius.

Digitized by Google

S. V, 48 Parca tenax veri.
Egregie his illustratur Horatianum *Parca non mendax* (C. II, 16, 39), de quo mira sunt commenti hac aetate viri docti, quos solus Persius iam satis refutat.

S. V, 52

Mille hominum species et rerum discolor usus
Velle suum cuique est.

Rerum usus = res, quibus utuntur cf. Hor. C. III, 1, 43: „purpurarum sidere clarior delenit usus". *Velle* editor vertit *wil*, praestet *begeerte*.

S. V, 65 Quid? quasi magnum | Nempe diem donas?
Editor: „wat? gij *stelt* mij dus een dag als iets groots *voor*?" Sensus esse videtur: „si mihi permittas rem diem unum differre, magnum mihi aliquid dones?" Ergo sic verterim: „gunt gij mij dan geen uitstel van één dag!"

S. V, 93

Non praetoris erat stultis dare tenvia rerum
Officia atque usum rapidae permittere vitae.

Haec ego sic acceperim ut prorsus idem sit *dare* et *permittere*. Neque *tenuia officia* neque *vitae usus* stultorum arbitrio potest permitti. Alioqui *officia* quae hic sint nos fugit; editor: „*begrippen* van menschelijke plichten", iusto audacius, ut mihi quidem videtur.

S. V, 105 „Veri speciem dinoscere calles?" philosophus discipulum rogat. Lege *vero* pro *veri*, sic demum syllabae *di* constabit ratio.

S. V, 119 *Nil tibi concessit ratio.*
Editor: „het verstand heeft u niets gegeven". Vera sententia esse videtur: „ratio, h. e. vera, Stoica, philosophia nil tibi largitur vel condonat". Sic demum recte additur: „digitum exere, peccas". Et vs. 120

nullo ture litabis
Haereat in stultis brevis ut semuncia recti.

Aut perfecte sapiens aliquis est aut plane stultus.

Digitized by Google

S. V, 149 sq.

Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, peragant *avidos sudore* deunces.

Concinnius elegantiusque sit: *avido sudore.*

S. V, 169 solea, puer, obiurgabere rubra.

Deleantur virgulae istae; est enim *puer obiurgabere* i. q. *obiurgabere tamquam puer.*

S. VI, 20 sq. Solis natalibus est qui
Tinguat olus siccum muria vafer in calice empta.

Editor *empta* cum *calice* iungit; sed quis *non* emit suam supellectilem? Cum *muria* iunge: sordidus homo cum sua calice currit ad tabernam ubi muria prostat, quam homo minus tenax nummorum paratam habet in cella.

S. VI, 63 vis tu gaudere relictis?

Acriter iubentis sunt haec, ergo in versione: „wilt gij u vergenoegen met hetgeen ik nalaat?" verbo „vergenoegen" praemittendae sunt voces *wel eens.*

S. VI, 71 sqq.

Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis
. . . . . .
Patriciae immeiat vulvae? mihi trama figurae
Sit reliqua ....?

Pro priore interrogandi signo virgula ponatur: „egone esuriam ut laute vivat heres meus?"

S. VI, 79. Pro *rugam* legendum esse *bulgam* demonstravi Mnem. 1913 p. 232.

Digitized by Google

AD PLATONIS REMPUBLICAM.

SCRIPSIT

J. L. V. HARTMAN.

Pag. 327 C: Verba *ὡς ἀπιόντες*, quae in tribus codd. ante *πρὸς* collocata sunt, post *πρὸς ἄστυ* (i. e. *οἴκαδε* coll. § B) plane frigent. Puto ea in margine olim ad *ὡς ἀπὸ τῆς πομπῆς* adscripta fuisse.

P. 329 B: Malo voces *τοῦ γήρως*, quas non expressit Cicero quaeque orationem onerant, abesse. In sequentibus suadeo [*τῷ ποιητῇ*] et in 338 C [*ὁ παγκρατιαστὴς*], siquidem ignoti homines exemplo esse nequeunt. In Protag. 327 D *Φερεκράτης* [*ὁ ποιητής*], ibid. 335 E *Κρίσωνι τῷ Ἰμερικῷ* [*δρομεῖ ἀκμάζοντι*] alii correxerunt.

P. 329 E: Proclus in „Comm. in Alcib." teste Schneidero nostrum imitatus scripsit *καὶ λέγουσι μέν τι διαιροῦντες εἰς ταῦτα τὸν διάλογον, οὐ μέντοι ὅσον γε οἴονται*, quae Cobeti C^am^ egregie confirmant (vid. etiam Lach. 195 C). — In § ult. suadeo *λοιδορουμένῳ* ⟨*ὡς*⟩ deletis *καὶ λέγοντι ὅτι* coll. Origin. c. Cels. I p. 23 (ed. Spenc.) *Σερίφιος ὀνειδίζων τῷ Θ..... ὡς κτλ.*, Herod. 8. 125 *ἐνείκεε τὸν Θεμιστοκλέα .... ὡς διὰ τὰς Ἀθήνας ἔχοι τὰ γέρεα κτλ.*, Aristoph. Nub. 1140 *λοιδοροῦσί με ὡς ἄδικός εἰμι*, Xen. Mem. 2. 9. 8 *ὀνειδίζοι ὡς ὑπὸ Κρίτωνος ὠφελούμενος κολακεύοι αὐτόν*. Solent praeterea *ὡς*, non *ὅτι*, uti, si falsa exprobrantur.

P. 330 B: Wohlrabius ad vulgatam *οὔ τοι* (sic et Adam,

Digitized by Google

Burnet) ἕνεκα ἠρόμην — ὅτι defendendam conferens locos quales sunt Lys. 204 D καὶ ὃ ἐστι τούτων δεινότερον, ὅτι Apol. 18 D ὃ δὲ πάντων ἀλογώτατον ὅτι duo loquendi genera confudit. Locis a me laudatis adde Prot. 343 B Demosth. or. 41 § 4 τίνος οὖν ἕνεχ' ὑμῖν — ταῦτ' εἶπον; ὅτι κτλ. ac imprimis Plat. Theaet. τοῦ δέ τοι ἕνεκα αὐτά σοι διακριβοῦμαι; Hinc τοῦ τοι ἕνεκα (quo ducit v. l. τούτου) corrigatur suadeo, nam quae in Charm. 165 A οὗ δὴ οὖν ἕνεκα λέγω, ὦ Σ., ταῦτα πάντα, τόδ' ἔστι leguntur, ea vulgatae οὗ τοι non succurrunt. Particula τοι denique pronominibus interrogativis (cf. Hom. Υ 83 ποῦ τοι ἀπειλαί) saepius subicitur. Quam facile e scriptura παρέλαβοNΤοῦ nasci potuerit παρέλαβον οὗ, nemonon sentit.

P. 330 D: Vulgatam ἐπείδαν τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ οἴεσθαι τελευτήσειν languidiorem iudicantibus legant suadeo ἐ. τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ ⟨τεθνάναι⟩ i. e. τοῦ θανάτου deletis vocab. οἴεσθαι τελευτήσειν. Fieri enim potuit ut interpretamentum exquisitiorem (cf. Stallb. ad Apol. 30 C Phaedon. 67 D ult.) lectionem expulerit.

P. 331 A: Ἀγαθὴ cum γηροτρόφος deleto καὶ iungatur necesse mihi videtur. Iam Hottingero καὶ spurium videbatur. Sensus est enim ὁ δὲ μηδὲν ἑαυτῷ ἄδικον ξυνειδὼς μετὰ ἡδείας ἐλπίδος ζῇ, ἥ ἐστιν ἀγαθὴ γηροτρόφος. Extrema vox est substantive adhibita, ut 569 B χαλεπὸν γηροτρόφον, Hom. Od. 9. 27 τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. Platoni haec scribenti non modo Pindarum, sed etiam Homerum (Odys. ἀγαθὴ κουροτρόφος) obversatum esse antiquitus quosdam suspicatos esse monuit A. J. Egelie (Observat. crit. in Platon. 1902 p. 55), quem vide.

P. 331 C: Non ἐθέλων, ut falso dixi, sed πάντα (quod cod. Vind. F[1] omiserat) incertam sedem habet. Quod olim conieceram οὐ γὰρ (pro οὔτε) δίκαιος κτλ. deleto ἐθέλων, nunc ut iusto audacius, improbo, sed commendo [ὁ] ἀποδιδοὺς, quo etiam ad ἐθέλων mente τις suppleri possit. In sententiae initio fortasse ἅ τις λάβοι pro εἴ τις λ. reponere praestat.

P. 332 B: Verba καὶ ἡ λῆψις mire abundant (de solius enim ἀπολαμβάνοντος damno hic agitur): deleantur.

Digitized by Google

P. 334 C: Malo δίκαιον τότε [τούτοις] τοὺς κτλ., quia τότε significat ὅταν οἱ ἄνθ. ἁμαρτάνωσιν. — In § E displicet mihi vulg. νῦν δὲ πῶς, ἦν δ' ἐγώ, μεταθώμεθα: aut θώμεθα aut [μεταθώμεθα] legendum censeo. Posterius mihi τιθέμεθα mente supplenti verum videtur (praecedit θέσθαι, θέμενοι, sequitur ἡ αὐτὴ θέσις).

P. 335 A: Verba προσθεῖναι τῷ δικαίῳ significant τοῦ δικαίου ὅρον μείζω τίθεσθαι, ut recte ἢ sequatur. — In § B dubitanter suadeo ἐχθροὺς δὴ (pro δεῖ) deleto βλάπτειν. — In § E in verbis τοῦτο δὲ δὴ νοεῖ (cogitare, cf. Gorg. 483 A in.) αὐτῷ subiectum est ille τις; ad αὐτῷ (eo dicto) conferas 335 A τούτῳ τῷ λόγῳ. Alii νοεῖ interpretantur „significat".

P. 336 A: Utique legendum τὸ ῥῆμα [τὸ Φάναι] δίκαιον κτλ. (cf. 463 E τὸ ῥῆμα τὸ ὅτι κτλ.), sed vereor ne etiam verba δίκαιον usque ad βλάπτειν spuria sint. In § ult. τοῦτο praedicatum, ἡ δικαιοσύνη subiectum mihi esse videtur (ὄν pro οὖτα dictum est), quam ob causam οὐδὲ τὸ δίκαιον expunxi. Paulo ante suspectum mihi πλουσίου; malo deleri. — In § B J. J. Hartmano (De emblem. etc. p. 63) verba ὥσπερ θηρίον spuria ducenti non adversor, cum sic facilius ἑαυτὸν ad ἦκεν ut ἀπὸ κοινοῦ positum referri possit verbaque ὡς διασπασόμενος scriptoris consilium iam satis aperiant. — In § C verba πρὸς ἀλλήλους interpretamentum esse puto vocis ὑμῖν αὐτοῖς; cf. Schol. Lach. 192 C ἡμῖν αὐτοῖς — ἀντὶ τοῦ ἀλλήλοις.

P. 337 A: Fortasse legendum est αὕτη 'κείνη ἡ [εἰωθυῖα] εἰρωνεία Σωκράτους. — In § B suadeo μὴ ἐρεῖς ὅτι ἔστι [τὰ δώδεκα] δὶς ἓξ κτλ., conf. 336 C εἰπὲ τί φὴς εἶναι τὸ δίκαιον· καὶ ὅπως μοι μὴ ἐρεῖς ὅτι (sc. τὸ δίκαιον) τὸ δέον ἐστί κτλ., ubi eiusdemmodi mendi sunt vestigia; praebet enim cod. Ven. Π τὸ δίκαιον pro τὸ δέον, quod indicio est in antiquo codice τὸ δίκαιον super τὸ δέον additum fuisse. — In § C Platonem scripsisse suspicor εἰ δ' οὖν (utut haec sunt) [καὶ μὴ ἔστιν ὅμοιον] Φαίνεται [δὲ] τῷ ἐρωτηθέντι τοιοῦτον (sc. δὶς ἓξ sive ἐξάκις δύο) κτλ. Ad Bremii Cam ἀπειρημένον αὐτῷ [εἶη] conferas Sophocl. Ant. 44 ἀπόρρητον πόλει, Aristoph. Lys. 13 εἰρημένον δ' αὐταῖς ἁπαντᾶν — εὖδουσι.

Digitized by Google

P. 339 C: In § ult. verba καὶ τοῦτό ἐστι τὸ δίκαιον nunc abesse malo, quum in § B ult. praecesserit οὐ καὶ πείθεσθαι . . . δίκαιον φὴς εἶναι et ποιητέον, ut 341 A, iam significet δίκαιόν ἐστι ποιεῖν. Olim unum τὸ delebam: in vulgata enim τοῦτο quaslibet leges indicat, sed in 338 E (θέμεναι κτλ.) Thrasymachus solum τὸν ξυμφέροντα νόμον appellavit legem. — In § D durior vulgata ἔμοιγε δοκῶ, si λέγειν suppletur. Hinc adde (cf. Menon. 71 C ὡς ἐμοὶ δοκῶ) vel cogita ὡς, si δοκεῖν reponere dubites. Plena oratio esset ἃ σὺ λέγεις, λέγω, ὡς ἔμοιγε δοκῶ. — In § E lege ὅταν οἱ μὲν [ἄρχοντες] ἄκοντες, quod mendum dittographia ortum est.

P. 341 D: Verba οὐδ' ἐστὶ κλητέος ναύτης, quae argumentationem impediunt, spuria censeo. Alterum ἐπὶ (post πέφυκεν) abesse poterat.

P. 342 B: Verba ἔωσπερ ἂν ᾖ ἑκάστη ἀκριβὴς ὅλη ἥπερ ἐστί e margine invecta mihi videntur, vocis ὀρθὴ οὖσα interpretamentum (in 345 D legimus ἕως γ' ἂν μηδὲν ἐνδέῃ τοῦ ποιμενικὴ εἶναι).

P. 343 C: Herwerdeni (conferentis Theaet. 151 C Phaedon. 96 E) Cam πόρρω EI ⟨τοῦ τι EIδέναι⟩ περὶ mihi probatam oportuerat, quoniam loci quos viri docti ad vulgatam tuendam afferunt, non sufficiunt. Possis etiam conicere πόρρω εἶ ⟨τῶν⟩ περί τε κτλ. (cf. Isocrat. Paneg. 16 ult. πόρρω τῶν πραγμάτων ἐστίν). Nolo commendare οὕτω ἀπορεῖς περί (pro πόρρω εἶ) coll. Alcib. I 110 B ὡς ἀπορούντος περὶ τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων, — In § D molesta mihi sunt verba τοῦ ἀδίκου propterea quod praecedit ὁ τοιοῦτος τῷ τοιούτῳ i. e. ὁ δίκαιος τῷ ἀδίκῳ.

P. 344 A: Festinantius olim l. αὐτῷ (sic et I. Adam) commendavi, nam ut αὐτῷ vel αὐτῷ post ἰδίᾳ sine ulla causa abundat, si ad illud τῳ quod mente ad ξυμφέρει tum addendum erit, refertur, ita neutrum ad τὸν ἄδικον vel τὸν μεγάλα δοκ. πλέον. (sic Heller) referri potest. Puto igitur legendum esse aut ἰδίᾳ τῳ (itaque vulgatam ex hac scriptura ἰδιAITΩI natam esse) aut αὐτῷ interpretamentum esse vocis ἰδίᾳ. Hoc mihi veri similius videtur (cf. 360 D in.), licet vulgata ἰδIAI AYτῷ ἄδικον

Digitized by Google

εἶναι ἢ τὸ δίκαιον etiam ad scripturam hanc ἰδίᾳ τὸ ἄδικον εἶναι ἢ τὸ δίκαιον (sc. εἶναι) ducat.

P. 344 B: Dubitanter commendo ὧν ἐφ' ἑκάστῳ μὲν (pro μέρει). Mox corrigatur ἀνδραποδίσηται [δουλώσηται]. — Dele in § D verba καὶ πολὺν quae nihil ad imaginem τοῦ βαλανέως faciunt; ἀθρόον hic opponitur τῷ κατὰ σμικρόν; conf. Demosth. 14. 30, ubi κρῆναι dicuntur siccari ἄν τις ἀπ' αὐτῶν ἀθρόα πολλὰ λαμβάνῃ, Xenoph. Anab. 4. 8. 11, alia.

P. 345 C: Dubitanter malo ὥσπερ [δαιτυμόνα] τινὰ [καὶ] μέλλοντα ἑστιάσεσθαι. In subsequentibus (§ D) verba ἀλλ' οὐ ποιμένα post praegressa οὐ πρὸς τὸ τῶν προβάτων βέλτιστον βλέποντα misere languent et proximis τῇ δὲ ποιμενικῇ vim praeripiunt.

P. 346 A: Vereor ne voces ἀλλ' οὐ κοινὴν, quas Vind. F a m. p. omisit, spuriae sint. Illud καὶ ante ὠφέλειαν indicat non modo cuiusque artis δύναμιν, sed etiam ὠφέλειαν esse ἑτέραν sive ἰδίαν τινά. In praegressis post ἑτέραν τὴν δύναμιν ἔχειν non additur ἀλλ' οὐ τὴν αὐτήν. Iam supra eiusdem farinae additamentum ἀλλ' οὐ ποιμένα notavimus. — In § C magis argumentationi conveniret εἴ τιν' ἄρα κτλ. quam ἤντιν' ἄρα (litteras EI et H librariis saepius confundentibus facile ex εἴ τιν' nasci ἠτιν et ἤντιν' potuit).

P. 347 A: Verba ἐὰν μὴ ἄρχῃ non Platonis sunt. Nam primum scriptor dixisset ἦν πάσχοι ἂν μὴ ἄρχων, deinde in vulgata verba ζημίαν ἐὰν μὴ ἄρχῃ, *quae ad solos* βελτίστους *pertinent*, ad omnes τοὺς μέλλοντας ἄρχειν referri possunt, ut contra scriptoris sententiam non appareat ζημίαν (damnum) in μισθῶν numero esse. Obscure, non negligenter hic Socrates locutus est. Adscripta sunt ista a lectore sequentium (§ C ἐὰν μὴ αὐτὸς ἐθέλῃ ἄρχειν) gnaro. — In capitis fine (§ E) in verbis τὸν τοῦ δικαίου ἔγωγε λυσιτελέστερον βίον εἶναι illud βίον, si genuinum esset, ad τὸν τοῦ δικαίου pertineret, sed tum *ultima* in sede collocatum fuisset coll. Legg. 872 D ἐν ᾗ μήποτέ τις ἂν προσδοκήσειε χώρᾳ, ibid. 678 D ἡ τῶν μεταλλέων ἀφίκοιτο εἰς ἀνθρώπους τέχνη Demosth. 25. 87 τῇ τῆς Φύσεως πρὸς ἀλλήλους,

Digitized by Google

ὅπερ εἶπον, χρώμενοι φιλανθρωπίᾳ. Noli explicare τὸν τοῦ δικ. (βίον) ἔγωγε λυσιτελέστερον βίον εἶναι (δοκῶ). Ad ἔγωγε e praegressis verbum declarandi (δοκῶ) mente supplendum, nisi corrigere praestat ⟨οἶμαι⟩ εἶναι vel ⟨οἶμαι⟩ deleto εἶναι. Parisinus A ἔγωγ' ἔφη praebet, sed Vind F. m. p. ἔφη omisit.

P. 348 C: Codicum lectio εἰκός γ' sententiarum nexum obscurat, nam ex illis ἐπειδή γε καὶ κτλ. non statim apparet Thrasymachum τὸ λυσιτελὲς τῷ ἀγαθῷ in aequo ponere. Haplographia ουκ vel ουκουν ante ΕΙΚΟΣΓ excidisse videtur.

P. 349 A: Recte Schmelzer verba τῷ λόγῳ ἐπεξελθεῖν „dem Satze zu Leibe gehen" interpretatus est, sed vel sic σκοπούμενον spurium mihi videtur. In proximis Adam et Burnet Wolfi Cam ἀδικίας pro ἀληθείας mentione dignam habuerunt. Quum palaeographicae perito verba ΑΛΗΘΕΙΑΣ et ΑΔΙΚΙΑΣ unum idemque vocabulum sit, nostrum est diiudicare utra lectio potior videri debeat. Vulgata l. περὶ τῆς ἀληθείας languet propterea quod τὰ δοκοῦντα apud Platonem saepius *sinceram opinionem* significat (cf. Theaet. 157 C πότερα δοκοῦντά σοι λέγεις αὐτὰ ἢ ἐμοῦ ἀποπειρᾷ, Gorg. 495 A εἴπερ παρὰ τὰ δοκοῦντα σαυτῷ ἐρεῖς, ibid. 500 B); altera autem lectio περὶ τῆς ἀδικίας prorsus abundat et saltem περὶ τῆς δικαιοσύνης τε καὶ ἀδικίας scriptum esse debuerat. Quibus probatis mihi verba περὶ τῆς ἀληθείας delenti accessuros doctos viros confido. Post pauca dubitanter suadeo ἀλλ' οὐ — ἐλέγξεις (i. e. quantocius ἔλεγχε), quod homini procaci convenientius.

P. 349 C: Verba μηδὲ βούλεται suppositicia mihi videntur. Praegressa enim verbum ἀξιοῦν sensum τοῦ ἐθέλειν habere ostendunt.

P. 350 A: Fortasse cum uno codice legendum εἴ τί σοι pro εἴ τίς σοι κτλ., „an forte". — In § C vulgatam οὐχ ὡς ἐγὼ sollicitare non debueram, vid. Isocr. 12. 153 ἐγὼ δ' ὁμολογῶ μὲν ἐρεῖν πολλὰ τῶν ἐκεῖ καθεστώτων, οὐχ ὡς Λυκούργου τι τούτων εὑρόντος ἢ διανοηθέντος, ἀλλ' κτλ., ibid. § 218.

Digitized by Google

P. 351 A: Coniectura mea ⟨Ναί⟩ recepta Socrates quae est eius in disputando sinceritas, antequam adversarium ἐλέγχειν incipiat, eum ut solet rogat rectene propositam sententiam teneat. Possis etiam corrigere δικαιοσύνης. Ἔφη (*assensus est*). Νῦν δέ γ', [ἔφην] κτλ. Iam ipsa illa γάρ που („Dixeras, ni fallor, etc.", conf. v. c. 464 B 528 D alia) assensum Thrasymachi Socratem cupere indicare mihi videntur. — In vulgata in § C εἰ μέν, ἔφη, ὡς σὺ ἄρτι ἔλεγες, ἔχει, ἡ δικαιοσύκη σοφία *mente* εἰ ante ἡ δικ. σοφία supplere licere docent 359 BC εἰ τοιόνδε ποιήσαιμεν τῇ διανοίᾳ, δόντες ... ἐπακολουθήσαιμεν, 589 D εἴπερ τοιόνδε τι γίγνεται, λαμβάνων ... καταδουλοῦται, alii loci, sed ellipsis praedicati (ἐστὶ) vix ferenda mihi videtur. — In § D lege ἐγγενομένη pro praesenti; in § E ἐὰν ... ἐγγένηται idem est quod ἐνοῦσα s. ἐγγενομένη.

P. 352 B: Lege δυνατώτεροι [πράττειν] coll. 351 A ἐλέχθη γάρ που κτλ., et fortasse in sequentibus οὐδὲ ἓν πράττειν. — In § C suadeo ἐπὶ τἄδικα [ἀδικίᾳ].

P. 353 C: Malim μὴ ἔχοντα τὴν αὐτῶν [οἰκείαν] ἀρετήν (vide paulo inferius τῆς αὐτῶν ἀρετῆς) aut τὴν [αὐτῶν] οἰκείαν (vid. E τῆς οἰκείας ἀρετῆς); prius mihi arridet. Ubi οἰκεῖος s. ἴδιος aliis opponitur, recte αὐτοῦ additur: vid. ex. gr. Isocrat. 4. 168 τοῖς ἄλλων κακοῖς ἢ τοῖς αὑτῶν ἰδίοις ἀγαθοῖς, Plat. Legg. 758 B. In sequentibus requiro ἥτις, ἥν δ' ἐγώ, αὐτῶν ἡ ἀρετή, οὔ(τί)πω τοῦτο ἐρωτῶ (pro οὐ γάρ πω τοῦτο) vel ⟨οὔ μοι μέλει⟩· οὐ γὰρ πω s. ⟨οὐδὲν διαφέρει⟩· οὐ κτλ. In eadem sententia corrige εὖ ⟨ἀπ⟩εργάσεται [ΤΑ] ἐργαζόμενα, cum mihi mens vulgatae, quae Socratem male (sequitur enim *infra* τίθεμεν οὖν καὶ τἆλλα πάντα εἰς τὸν αὐτὸν λόγον;) iam hic in universum loquentem facit, cum praegressis οὐ γάρ πω τοῦτο ἐρωτῶ parum cohaerere videatur. Addidit autem Socrates ideo ἐργαζόμενα (i. e. τότε, ὅταν ἐργάζηται), quod Thrasymachus ipsum de oculis caecitate affectis cogitasse putabat.

P. 354 B: Verba ἀλλ' οὐ διὰ σέ deleantur: propter praegressa ὑπὸ σοῦ γε (sc. μοι εἰστίαται) et δι' ἐμαυτὸν (οὐ καλῶς εἰστίαμαι) ista absona sunt.

Digitized by Google

P. 357 B: Lege Ἔμοιγε, ἦν δ' ἐγώ deletis verbis δοκεῖ τι εἶναι τοιοῦτον, ne vis particulae γε pereat; paulo post (§ C) Socrates unum Ναὶ respondit. In proximis (§ D) vereor ut verba ἔστι γὰρ οὖν, ἔφη, καὶ τοῦτο τρίτον sana sint, nisi καὶ deleatur (conf. Phil. 32 C ἔστι γὰρ οὖν τοῦθ' ... ἕτερον εἶδος). Dubitanter mox commendo ἐν ⟨τῷ⟩ ποίῳ, ἔφη, τούτων.

P. 359 B: Legendum puto ἀλλ' [ὡς] ἀρρωστίᾳ τοῦ ἀδικεῖν [τιμώμενον], ne bis idem dicatur. Τιμώμενον ex τιμᾶσθαι, vocis ἀγαπᾶσθαι interpretamento, accommodationis gratia corruptum esse suspicor et ὡς dittographia ΑΛΛωςΑΡΡωσΤΙΑ natum mihi videtur. — Quae post pauca leguntur verba ἀδυναμίᾳ τοῦ ἀδικεῖν, sunt modo praegressa ἀρρωστίᾳ τοῦ ἀδικεῖν explicantis. Huc ista non pertinere ex iis apparet, quae supra (358 C) δεύτερον δέ, ὅτι πάντες αὐτὸ οἱ ἐπιτηδεύοντες ἄκοντες ἐπιτηδεύουσιν leguntur. — In § E requiro ⟨τοῦ⟩ εἰωθότος; varia l. εἰωθότως minus placet.

P. 360 A: Varia l. ὥσπερ οἰχομένου (codd. aliquot ὡσπερεὶ) vulgatae ὡς περὶ οἰχομένου anteponatur, quia veri simile est τοὺς παρακαθημένους ἀλλήλοις διαλέγεσθαι de aliis rebus quam περὶ αὐτοῦ (ea enim mente supplenda sunt in vulgata).

P. 360 D: Censeo legendum τούτου τοῦ λόγου vel potius ὡς φήσει ὁ ὑπὲρ τοῦ [τοιούτου] λόγου λέγων· ἐπεὶ εἴ τις τοιαύτης κτλ., nam τοῦ λόγου (ut 362 D), *argumenti* („iniustitiam prodesse, iustitiam nocere", iniustitiae laudationis) sufficit. Duobus aliis locis 389 C τοῦ τοιούτου ... τοὺς [τοιούτους] ἄρχοντας et 578 C τὰ τοιαῦτα, ἀλλ' εὖ μάλα τῷ [τοιούτῳ deleo] λόγῳ σκοπεῖν eodem modo peccatum est.

P. 361 A: Corrige ὁ ἄδικος ἐπιχειρῶν [ὀρθῶς] τοῖς ἀδικήμασι, ne sententia corruat; sensus enim verborum εἰ μέλλει σφόδρα ἄδικος εἶναι est εἰ δεινός ἐστιν sive ἄκρος (ut audit medicus in 360 E ult.).

P. 361 B: In proximis εἶναι ἀγαθὸν ἐθέλοντα displicet vox ἀγαθόν, quia hic non de iusti ἀρετῇ, sed de eius δικαιοσύνῃ sermo

Digitized by Google

est. Aeschyli verba οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει Platonem ad suum usum accommodasse satis ostendunt sequentia (362 A) τὸ δὲ τοῦ Αἰσχύλου ὀρθότερον λέγειν κατὰ τοῦ ἀδίκου. Licet mente δίκαιον suppleri possit, id fortasse in textu addere praestat (εἶναι δίκαιον — pro ἀγαθὸν — ἐθέλοντα). Conferatur etiam Philem. fragm. inc. εἶναι δίκαιος κοὐ δοκεῖν εἶναι θέλει. — In § C verba δοκοῦντι τοιούτῳ εἶναι, quae nonnulli interpretes silentio presserunt, significant ὅτι δοκεῖ τοιοῦτος εἶναι s. διὰ τὴν δόξαν.

P. 362 A: Multis Glaucon iustitiam dicit videri rem inanem, sed ἀδικίαν ἀληθείας ἔχεσθαι, ut ἄδικος dici possit non umbram persequi (οὐ πρὸς δόξαν ζῆν). Ad δόξαν conf. 505 D τὰ ὄντα ζητοῦσι, τὴν δὲ δόξαν ... πᾶς ἀτιμάζει. — In § B malo [περιγίγνεσθαι καὶ] πλεονεκτεῖν; vel inimicis litem infert vel ab inimicis iudicio implicatur.

P. 362 C: Vereor ne verba καὶ θεραπεύειν usque ad βούληται annotatio sit marginalis, quum homines θυσίαις et ἀναθήμασι deos colant (θεραπεύειν) deque hominibus iam satis in praegressis (φίλους εὖ ποιεῖν) dictum sit. An hic librarii ipsius Platonis variam l. in textum intulerunt? — Non inepta est in § D scholiastae l. ἀδελφὸς ἀεὶ (pro ἀνδρὶ) παρείη (sc. ἀδελφῷ); conf. Demosth. de F. L § 238 ult. καὶ τὸ συγγνώμη ἀδελφῷ βοηθεῖν προσειληφότες.

P. 363 A: *A. Bastien*, interpres Gallicus verba τὰ τῶν δοξῶν vertit „les avantages de l'apparence", male, nam sensus est „l'appréciation", vide 367 D δόξας τε περὶ αὐτῶν 612 D ὥσπερ ἔχει δόξης, alia.

P. 364 C: Sive βλάψειν sive βλάψαι legimus, anacoluthon vitari nequit. Potuit βλάψαι in βλάψε, -ψει -ψη corrumpi et βλάψει (i. e. βλάψειν) in βλάψει, sed futurum alacriorem orationem reddit.

P. 365 D: Si φέρει sanum est, tum ὡς in ᾗ mutandum (cf. 394 D), sed malo φαίνει pro φέρει legere. In sequentibus ὡς

Digitized by Google

πλεονεκτοῦντες ad unum βιασόμεθα pertinere puto, et δίκην μὴ διδόναι obiectum esse verborum πείσομεν et βιασόμεθα, (i. e. πειθοῖ et βίᾳ impetrabimus). — In § E vereor ne ἢ ἀκηκόαμεν spuria sint; dubito commendare ἴσμεν ἢ ἀκοῇ [ἢ]. Voce λόγων ea significantur quae homines narrant. Burnet V^{am} l. νόμων recepit.

P. 366 A: Naberus κἀὶ αὐτοὶ καὶ παῖδες παίδων pro ἢ — ἢ suasit, sed audi Solonem ἀναίτιοι ἔργα τίνουσιν ἢ παῖδες τούτων ἢ γένος ἐξοπίσω. Praestat nil mutare, ubi utrumque probari potest. Baiteri coniecturae ⟨ἢ παῖδες⟩ loci quales 363 D Legg. 721 C 773 E 899 E adversantur. Verba φήσει λογιζόμενος, si sincera, transponenda sunt quo dixi, at haud est improbabile ea esse annotationem marginalem. — In § B aut ⟨ὑπὸ⟩ τῶν πολλῶν aut ἄκρων λεγομένωΝ corrigatur. De iisdem videatur Legg. 885 D τοιαῦθ' ἕτερα τῶν λεγομένων ἀρίστων εἶναι ποιητῶν κτλ. Mox novum caput a verbis ἐκ δὴ πάντων κτλ. ordiatur, quod verba κατὰ τίνα οὖν usque ad λόγος, ficti illius sermonis mihi exitus esse videtur.

P. 366 D: Istud ὅτι non ad εἰπεῖν, sed ad ἐκεῖνο pertinet. Non opus est v. l. ὡρμήθη, sed deleatur εἰπεῖν coll. Tim. 80 D ὅθεν ὁ λόγος ὥρμησε, Theaet. 184 A Politic. 274 A.

P. 367 B: Vulgatam εἰ γὰρ μὴ ... προσθήσεις non sanam puto. Patet enim ex § D μισθοὺς δὲ καὶ δόξας et δόξας τε περὶ αὐτῶν καὶ μισθοὺς nostro loco vocem δόξα non „species" (sic Ast Stallb. Schmelzer) significare, sed idem valere ac 363 A τὰ τῶν δοξῶν 366 E 367 D μισθοὺς δὲ καὶ δόξας πάρες 612 B. Respiciuntur autem Glauconis verba in 358 B ἐπιθυμῶ γὰρ ἀκοῦσαι κτλ. Quae cum ita sint, verba ἀφαιρήσεις τὰς ἀληθεῖς δόξας plane sensu carent, ut unice vera mihi videatur cod. Vind. F *correcti* lectio ἑκατέρωθεν, ⟨ἀλλὰ⟩ τὰς ⟨μὲν⟩ ἀληθεῖς κτλ. *Platonis* autem *manus* fuit haec ἑκατέρωθεν, ΑΤΑΡ (pro τὰς) ἀληθεῖς, τὰς δὲ κτλ., hoc est ἀτὰρ τὰς μὲν ἀληθεῖς, τὰς δὲ ψευδεῖς (cf. ex. gr. Phil. 36 E ψευδεῖς, αἱ δ' ἀληθεῖς οὐκ εἰσὶν ἡδοναί; 38 B, alia). In sequentibus corrige οὐ τὸ δίκαιον ⟨εἶναι⟩ φήσομεν.

P. 368 A: Herwerdeni C^{am} θεῖόν ⟨τι⟩ πεπόνθατε, εἰ μὴ πεπεῖσθε

Digitized by Google

improbandam censeo, nam verba sic explico *εἰ μὴ πεπεῖσθε, τοῦτο θεῖον πεπόνθατε*, quem ad modum (ut hoc exemplo utar) *δεινόν ἐστιν, εἰ ὁ κακὸς εὐδαιμονήσει* significat *εἰ ὁ κακὸς εὐδαιμονήσει, τοῦτο δεινόν* (cf. Demosth. Cor. 114 *σχέτλιον γὰρ ἂν εἴη τοῦτό γε, εἰ* κτλ.). Non magis igitur *τι* hic opus est quam in Gorg. 465 D in verbis *ἄτοπον πεποίηκα ὅτι* (i. e. *ὅτι ...., τοῦτ' ἄτοπον πεποίηκα*). — In § C suadeo *ἀπαγορεύειν* [*καὶ*] *μὴ βοηθεῖν* id est „defugere defensionem"; vulgo interpretantur „animum demittere".

P. 369 D: Fortasse non opus est *in textu* reponere *ὑφάντης* ⟨*ἔσται*⟩; *ἢ καὶ*.

P. 370 A: Non displicet v. l. *δι' αὐτοῦ* pro *δι' αὐτόν*; recte Ficinus „sine alterius auxilio". Conf. Politic. 274 A *αὐτοῖς δι' αὐτῶν*. — In § B verba *εἷς ὢν* significant „singulus s. auxilio destitutus". — In § E in verbis *αὐτὴν τὴν πόλιν* vox *πόλιν* civibus opponitur, quod ferri nequit, quia *πόλις* hic non significat aedificia, tecta. Probanda est igitur Stallb.[1] coniectura *γ' αὖ* (pro *γ' αὐτήν*), qua vocula saepius ad nova transitur.

P. 371 A: A. J. Egelie et Nabero, viris doctis, verba *οὗτοι δέ εἰσιν ἔμποροι* delentibus non assentior. Nam cui haec displicent, etiam proxima *ἢ οὐ καπήλους καλοῦμεν* (§ D) otiosa videantur necesse est.

P. 372 A: Fortasse legendum est *χρείᾳ* [*τινὶ*] *τῇ πρὸς ἀλλήλους*. — In § C propter varias l.l. *καὶ λάχανά* ⟨*γε*⟩ et *ἐψήματα* ⟨*τε*⟩ suspicor Platonem scripsisse *καὶ βολβούς* ⟨*γε*⟩ *καὶ λάχανα* ⟨*καὶ*⟩ *οἷα δὴ ἐν ἀγροῖς* κτλ. servato *ἐψήσονται* (part. *γε* nova inducere solet). — In § E dubitanter commendo *τρυφῶσαν* [*πόλιν*], nam *ὅπως γίγνεται* est *γιγνομένην* (cf. 369 A). Post pauca suadeo *εἰ δ' αὖ βούλεσθε ...* ⟨*θεωρεῖν*⟩, *θεωρήσωμεν* coll. 350 E *εἰ βούλει ἐρωτᾶν, ἐρώτα*, Lach. 196 C *εἰ βούλει πυνθάνεσθαι, πυνθάνου*, Legg. 688 B, aliis.

P. 373 A: Non inepte in cod. Mon. verba *οὐδ' αὖτη ἡ δίαιτα* omissa sunt, nam *ταῦτα* (i. e. „quae modo diximus") omnia

Digitized by Google

continet. — In § B conicio *ὄγκου ἐμπλητέα* [*καὶ*] *πλήθους κτλ.* — In § E *σμικρῷ* ad *στρατοπέδῳ* pertinet, eadem constructio occurrit 507 E *σμικρᾷ ἄρα ἰδέᾳ ... τιμιωτέρῳ ζυγῷ*, 579 C *τοῖς τοιούτοις κακοῖς πλείω.*

P. 374 B: Totam sententiam sic distinguendam censeo *Ἀλλ' ἄρα τὸν μὲν ... ἀπεργάζεσθαι, τὰ δὲ δὴ περὶ τὸν πόλεμον* [*πότερον*] *οὐ ... ἀπεργασθέντα; ἦ κτλ.*

P. 375 A: Repone *πρὸς τὸ αἰσθόμενον* (pro praesenti) *διωκαθεῖν.* — In § E initio *Φύσει* in multis codicibus incertam habet sedem ac abundare mihi videtur.

P. 376 A: Displicet mihi *που* in verbis *ὅτι δέ που δρᾷ ταῦτα, δῆλον.* Suspicor in antiquo codice scriptum fuisse sic

ΔΡΑΤΑΤΤΑΔΗΛΟΝΑΛΛΑΜΗΝ
ΠΟΕΙ
ΚΟΜΨΟΝ *κτλ.*

, deinde *ποει* (i. e. *ποιεῖ*), additum ab aliquo verito ne ΔΡΑ legeretur ΑΡΑ (ut unus Stobaei codicum praebet), in *που* mutatum esse. Codex Vind. F *που δρᾷ* et ⟨*που*⟩ *κομψόν* exhibet describentis errore. — In § B post *ταὐτὸν γάρ, ἔφη* mente suppleatur *Ἆρ' οὖν οὐ φιλόσοφον τὸ θηρίον; Πῶς γὰρ οὔ;*, quocirca in § C postulo *φιλόσοφον* [*καὶ φιλομαθῆ*], ut legimus 375 E ult. *προσγενέσθαι φιλόσοφος τὴν φύσιν* (*ταὐτὸν* esse *φιλομαθὲς* et *φιλόσοφον* modo dictum est). Obiter in § B ult. *ἐπ'* pro *ἐν ἀνθρώπῳ* repone (cf. 559 A *ἐπ' αὐταῖς*).

P. 376 D: Vide an ista *δικαιοσύνην τε καὶ ἀδικίαν τίνα τρόπον ἐν πόλει γίγνεται* e margine invecta sint, quia *οὔπερ* non ad 372 E *κατίδοιμεν, τήν τε κτλ.* spectat, sed ad 368 C *τί τέ ἐστιν ἑκάτερον* sive 369 A *ἰδεῖν ὃ ζητοῦμεν* (cf. 430 D *καὶ οὗ δὴ ἕνεκα πάντα ζητοῦμεν, δικαιοσύνη*). In proximis malo [*ἐν μύθῳ*] *μυθολογοῦντές* (cod. Mon. a manu s. praebet *ὥσπερ εἰ μυθολογοῦντες*). In Tim. 26 C legitur (*πόλιν*) *ἣν ... ὡς ἐν μύθῳ διήκεισθα σύ.* — In § E propter Vam l. *θάτερον* suspicor scribendum esse *ψεῦδος* Δ⟨*ετο*⟩*ετερον* (i. e. *ψεῦδος δὲ τὸ ἕτερον*).

Digitized by Google

P. 377 A: Τοῦτο δὴ ἔλεγον est διὰ τοῦτο κτλ. — In § B ult. legatur οὐδ' ὁπωστιοῦν [παρήσομεν]. — In § D Eusebius mutato ordine praebet ψευδεῖς τοῖς ἀνθρώποις συντιθέντες; mihi ψευδεῖς inficetum videtur additamentum. — In § E abice glossema ὅμοιοι (bonus praeterea scriptor ὁμοίοις scripsisset), nam praeter quos nunc symbolicos vocant, γραφῆς semper similitudini student.

P. 378 E: Voces πρὸς ἀρετὴν interpolatori reddantur: ecquis ex auditoribus post omnia praegressa verba ὅτι κάλλιστα (cf. supra 377 C ὃν μὲν ἂν καλὸν ποιήσωσιν) ad μύθων formam *externam* relaturus fuisset? Cod. Vind. F praebet μάλιστα pro κάλλιστα.

P. 379 D: Cod. Vind. F τείρεται pro κύρεται praebet, quae lectio e vetere interpretamento μείρεται (vid. Theodor.) orta videtur.

P. 380 B: In verbis κακῶν δὲ αἴτιον Φάναι κτλ. verbum Φάναι editores anacoluthon statuentes defendunt. Quamquam cum anacoluthis magis quam cum doctis arduum est pugnare, Φάναι lectori reddendum puto non intelligenti unde acc. c. inf. κακῶν δὲ αἴτιον θεόν τινι γίγνεσθαι (i. e. ὅτι δὲ θεὸς αἴτιος κακῶν τινι ἐγίγνετο) penderet. Addidit igitur (τὸ) Φάναι i. e. „id quod dicunt". Vel deleto Φάναι leve anacoluthon relinquitur (ταῦτα). In Legg. 838 B τὸ ταῦτα εἶναι [Φάναι] κτλ. postulo, ῥῆμα cogitans.

P. 380 D: Fortasse pro ΓΙΝόμενον (γιγνόμενον) reponendum ΚΙΝούμενον (in Politic. 265 D codd. τὸ κινούμενον, edit. τὸ γιγνόμενον praebent): vid. § E τὰ ἄριστα ἔχοντα . . . κινεῖται, 382 E οὔτε αὐτὸς μεθίσταται (cf. Theaet. 181 D δύο εἴδη κινήσεως, ἀλλοίωσιν, τὴν δὲ περιφοράν).

P. 381 E: Varia l. ἡμΑΣ (pro ἡμῖν) δὲ ποιοῦσι δοκεῖν σΦᾶς παντοδαποὺς Φαίνεσθαι probanda mihi videtur, ne σΦεῖς παντοδαποὶ opus sit.

Digitized by Google

P. 382 B: Malo τοῦτο ⟨τὸ⟩ ὡς ἀληθῶς ψεῦδος κτλ. (cf. supra § A et infra τὸ μὲν δὴ τῷ ὄντι ψεῦδος). In proximis εἴδωλον interpretamentum mihi videtur. — In § D ἀφομοιῶν e praegressis male repetitum est; deleatur.

P. 383 C: Corrigendum censeo καὶ [ὡς] νόμοις ἂν χρῴμην; cf. Legg. 854 E ult. τοὺς δὲ ἄλλους παραδεῖγμα ὀνήσει (sc. οὗτος).

P. 386 D: Fortasse Platoni TOI δὲ σκιαὶ, quae varia l. est, reddendum est, nam τοι (i. e. *ceteri*) vix attractione in ται mutari potest. Locus in Menon. 100 A non magis sanus videtur: deletis verbis τῶν ἐν Ἅιδου apparet quomodo post πεπνυΤΑΙ pronomen τοι in ταὶ et αἱ abierit. In Odyss. 11. 388 nunc ὅσσοι pro ὅσσαι (ψυχαί) editur.

P. 388 D: Praestat ni fallor transponere εἰ καὶ αὐτῷ ἐπίοι κτλ. In 389 B dele ὡς.

P. 389 E: Noli probare Vam l. ⟨παρ'⟩ Ὁμήρῳ, nam praecise dictum λέγει pro πεποίηται λέγων (nudus dativus occurrit etiam Legg. 706 D, Hipp. Min. 364 E). In 390 A codd. nostri praebent παρὰ πλεῖαι ὦσι; incidit mihi aliquando in mentem Platonem παραπλήθωσι τράπεζαι scripsisse, sed interpretamentum super πλήθωσι additum genuinam l. expulisse. — In § E οὐδ' — ἀξιώσομεν significat „non sinemus Achillem — sc. apud poetas — tam avarum esse". Infra demum (391 A) rectius μὴ δεῖν πείθεσθαι τοιαῦτα docetur.

P. 393 A: Suadeo [καὶ] οὐδ' ἐπιχειρεῖ („neque" pro „et nequidem"), ne τὸ ἐπιχειρεῖν necessarium esse significetur. Saepius τε — οὐδὲ s. μηδὲ occurrit (cf. Sophocl. O. C. 368). Sequentia ὡς ἄλλος τις ὁ λέγων ἢ αὐτός spuria mihi esse videntur. Ἡμῶν τὴν διάνοιαν ἄλλοσε τρέπειν est ἡμᾶς ποιεῖν ἄλλα διανοεῖσθαι. — Ad sensum vocis παθημάτων in § B conf. 380 A τὰ Τρωϊκά (πάθη). Continuo post malo καὶ [ὅταν] τὰ μεταξὺ κτλ.: illud

Digitized by Google

enim sine hoc fieri nequit. — In 394 A abesse malo voces καὶ ἀπχιτῶν.

P. 395 A: Fortasse ποιοῦντες expungendum est. Statim post repone μιμήμχτ' ἄρτι. — In § D verba καὶ Φωνάς spuria esse duco; Plato Φωνήν dixisset.

P. 396 C: Verba ἐν ᾧ διηγοῖτο sunt praegressa οὗ ἂν ἔχοιτο ἀεὶ interpretantis: deleantur. — In § E non assentior I. Adamo suadenti τῆς ἁπλῆς (pro ἄλλης) διηγήσεως. Imitatio (μίμησις) pars sive species est διηγήσεως.

P. 397 A: Licet etiam corrigere ⟨διὰ μιμήσεως⟩ s. ⟨μιμήσει⟩ διηγήσεται; cf. 392 D διὰ μιμήτεως — sc. διηγήσει — γιγνομένη, 392 C. Obiter scribe secundum inscriptiones τροχιλειῶν.

P. 399 A: Corrigendum censeo ἐκείνην [τὴν ἁρμονίαν]; locos 618 C nec non 616 A eodem modo inquinatos iam alii correxerunt. — Quae in § C legenda conieci βιαίων ἐκουσίων non neutrius, sed masculini generis sunt. — In § E vox πάλιν mihi sollicitanda non fuerat, sed dubito utrum ad primam (398 A) κάθαρσιν, qua Homerus expulsus esset, referri debeat an abundanter (καθαίρειν enim est pristinam condicionem reducere) posita esse existimari. Complures interpretes voculam non expresserunt.

P. 400 A: Verba τὸν πόδα partem pro toto (metro s. rhythmo) significant. — Ad verba ποῖα δὲ ποίου βίου μιμήματα conferas velim Legg. 669 C sqq. Non ποῖα δ' ὁποίου, sed ποῖα δὲ ποίου Platonem scripsisse satis demonstrant loci hice Theaet. 149 D ποία χρὴ ποίῳ ἀνδρὶ κτλ., ibid. § E, Legg. 904 B 683 B 668 E in. — In § B legatur (praeeunte Ficino) [καὶ] μετὰ Δάμωνος. Sine causa βραχύ τι (pro τε) conieceram, sed eiectis verbis ξύνθετον καὶ δάκτυλον legendum ⟨καὶ⟩ εἰς βραχύ τε καὶ μακρὸν γιγνόμενον [καὶ]. — In § C verba τοῦ ποδὸς immerito exsulare iussi. Ad dativum in verbis καὶ τούτων ΤΙΣΙΝ οἶμαι τὰς ἀγωγὰς (nunc vocamus *tempo*) τοῦ ποδὸς ... ψέγειν conferatur Isocr. Bus. 38 κλοπὰς ... αὐτοῖς ὠνείδισαν.

Digitized by Google

P. 401 A: Ut ἀσχημοσύνη et ἀρρυθμία cognata sunt κακολογία, sic contra opera pulchra εἰς ὁμοιότητά τε καὶ Φιλίαν τῷ καλῷ λόγῳ ducunt (401 D). — Poenitet me in § B καὶ ὁ μὴ οἷός τε pro ἢ ὁ μὴ οἷός κτλ. postulasse: ἢ satis 503 A defendit. — In § C post καὶ (ante εὐθύς) mente supplendum ἵνα αὖτη (ἡ αὖρα). Sine anacolutho auctor scribere potuisset ἵν' ὥσπερ ἐν ὑγιεινῷ τόπῳ οἰκοῦντας τοὺς νέους ὠφελῇ ὅ,τι ἂν αὐτοῖς προσβάλῃ — καὶ λανθάνῃ ἄγον. Verba ὥσπερ ἐν ὑγιεινῷ τόπῳ οἰκοῦντες propter sequentia ἀπὸ χρηστῶν τόπων ὑγίειαν elegantiae officiunt neque genuina mihi videntur.

P. 401 D: Dubitanter pro ὁμοιότητα suadeo οἰκειότητα (cf. 402 A). Propter ξυμφωνίαν voc. ὁμοιότητα non ante, sed post Φιλίαν collocatum oportuerat. Vereor ne Plato scripserit Φέροντα τὴν εὐσχημοσύνην [καὶ ποιεῖ εὐσχήμονα]. — In § E scholiasta verba ἐκεῖ τραφεὶς ὡς ἔδει (fort. legendum δεῖ) interpretatur ἐν ἀριστοκρατίᾳ, sed manifestum est Platonem de musica cogitasse (cf. 404 E). Dubitans commendo ἐκείνῃ (in 403 C ταύτῃ ἀκριβῶς τρέφεσθαι). In subsequentibus *nunc* Vermehrenii C^{am} ⟨χαίρων καὶ⟩ δυσχεραίνων probo. Neque enim facile τὰ τοιαῦτα ad δυσχεραίνων mente suppletur, nisi ὀρθῶς δὴ contra scriptoris sententiam cum δυσχεραίνων iungitur, neque tautologia τὰ τοιαῦτα (τὰ μὴ καλὰ) δυσχεραίνων et τὰ αἰσχρὰ μισοίη elegans. Non modo ex τῶν αἰσχρῶν odio, sed etiam ex pulchrorum amore recte educatus τὰ καλὰ ἐπαινεῖ. Malo tamen δυσχεραίνων ⟨τε καὶ χαίρων⟩ reponere (vid. Legg. 751 D δυσχεραίνοντάς τε καὶ ὑποδεχομένους ὀρθῶς κρίνειν καὶ ἀποκρίνειν), ut haec arctius cum praegressis cohaereant. Alterum ὀρθῶς in 402 A initio spurium mihi videtur, si Vermehrenii C^{a} recipitur.

P. 402 A: Malo ⟨ἡ⟩ ἐν μουσικῇ εἶναι [Ἡ, v. l.] τροφή, quum iuvenes etiam alias disciplinas doceantur. De litteris discendis videatur locus in Politic. 277 E sqq. — In § B falso ὡς [οὐ] δέοι αἰσθάνεσθαι postulavi, licet ἠτιμάζομεν αὐτὰ αἰσθάνεσθαι suffecisset. Vertendum videtur „neque cum contemtu existimabamus nos ea non oportere observare". Herwerdeni sententia ὡς οὐ δέοι αἰσθ. spuria esse verbis in § C μήτε ἐν σμικροῖς κτλ. defendi potest; frigidissima enim vulgata. Fortasse legendum

Digitized by Google

est ἐνόντα ἐν ὅσοις (pro οἷς) ἔνεστιν coll. § A ult. ἐν ἅπασιν οἷς ἐστι περιφερόμενα.

P. 403 B: Praestat corrigi οὐ μέντοι, μὰ Δί', ἔφη, ὦ Σ. [προσοιστέον s. προσοιστέα] coll. 426 B 444 A Alcib. II 143 C, aliis. Ad dictionem μακρότερα τούτων conf. Crat 413 A, Soph. 258 C μακροτέρως τῆς ἀπορρήσεως, Thucyd. 3. 39. — In § C noli ad ὑφέξοντα conferre Thucyd. 3. 40 ult. παραδεῖγμα σαφὲς καταστήσατε, ὃς (alii malunt ὡς ὃς) ἂν ἀφίστηται, θανάτῳ ζημιωσόμενον (passive), quoniam παράδειγμα καταστῆσαι s. ποιῆσαι ad verba demonstrandi pertinet. Hinc magis nunc inclino ad Richardsi Cam ⟨ὡς⟩ ψόγον, cum verba εἰ δὲ μὴ (sc. οὕτως ὁμιλεῖ) κτλ. ad νομοθετήσεις referenda sint (vid. Legg. 887 A νομοθετοῦντες ὡς ὄντων θεῶν).

P. 404 A: Herwerdenus coni. οὗτοι [οἱ ἀσκηταί], sed aut omnia servanda sunt aut etiam οὗτοι expungendum est. — In § B lege ἁπλῆ που καὶ ἡ ἐπιεικὴς κτλ. i. e. simplex procul dubio etiam proba gymnastica etc. In § C corrige [ἴσασί τε].

P. 405 A: Ad Cobeti Cam δικαστικὴ pro δικανικὴ conferatur *imprimis* Erast. 137 D τίς οὖν ἐστιν ἡ ἐπιστήμη et quae sequuntur. — Temere olim in § B suasi [καὶ ἀπορίᾳ οἰκείων s. οἰκείου], quia his deletis obscurior sententia fit. Utique autem legendum erit [καὶ] ἀπορίᾳ οἰκείου (sc. δικαίου), nam homo ἄδικος s. ἄπορος δικαίου φεύγων ἢ διώκων, *non* iustus ius suum persequens vel calumnias diluens hic respicitur. — Ad diversam vocis τοῦτο in verbis τούτου αἴσχιον εἶναι τοῦτο vim conferas 454 E οὐκοῦν μετὰ τοῦτο κτλ. Eurip. Ion. 776 τόδ' ἐπὶ τῷδε κακὸν κτλ.

P. 406 D: Ad verba παρὰ τοῦ ἰατροῦ φάρμακον πιὼν i. e. *inusu medici* videatur Cobetus in Mnem. 1858 p. 128. Verba καὶ μετὰ ταῦτα κτλ. verte „et après avoir ensuite pris congé d'un tel médecin il reprend sa vie ordinaire etc.".

P. 407 A: Dubitanter textum sic constituendum censeo Ὁ δὲ δὴ πλούσιΟΣ, [ΩΣ] φαμέν, σὺδὲν ... ἀβίωτον; Οὔκουν δὴ λέγεταί γε. Φωκυλίδου γὰρ (part. *interr.*), ἦν δ' ἐγώ, οὐκ ἀκούεις ὡς (sensu

Digitized by Google

τοῦ ὅτι, v. l. ὃς) ... ἀσκεῖν; Οἶμαι κτλ. et in proximis lege cum Grou (interprete Gallico) πότερον, ⟨εἰ⟩ (sive πότερ' εἰ) μελετητέον ... [τῷ, sic J. J. Hartman] μὴ μελετῶντι, ἢ (sic Par. A) νοσοτροφία κτλ. In § E quum ad δῆλον non commode ἔτι πολιτικὸν αὐτὸν λέγω cogitari possit, verba OTI τοιοῦτος HN inter δηλON et HN δ' ἐγώ, non post ἦν δ' ἐγώ transponenda censeo.

P. 408 A: Non inepte Adam correxit ἐκμύζησάν τ' ἐπί τ' κτλ. — In § B verbis νοσώδη δὲ φύσει τε καὶ ἀκόλαστον unum eundemque significatum censeo. In 409 D ad φύσεως cogita τῆς τοῦ ἔχοντος ἀρετήν; sine παιδείᾳ etiam optima φύσις perit.

P. 410 C: Ad καθιστᾶσιν (Madvigius καθίστασαν) Schneider contulit Arist. Ran. 23 τοῦτον δ' ὀχῶ, ἵνα μὴ ταλαιπωροῖτο, ibid. v. 761 νόμος ... ἐστὶ κείμενος — ἕως ἀφίκοιτο, sed nostro loco non optativus, sed praesens displicet. — Verbum διατεθῶσιν signo interrogandi post ἄψωνται sublato abesse malim, nisi forte aliud quid ΔΙΑΤΕλεCΩCIN in eo latet (cf. 426 A in. χαριέντως διατελοῦσιν). — In § E praestat ἀμφοτέρω pro -τέρα scribere.

P. 411 A: In verbis δειλὴ καὶ ἄγροικος solum καὶ recte se habet, quia ἀναρμόστου duo sunt genera. — In § B φύσει in tribus codd. aliam sedem habet, in aliis φύσιν legitur. Fortasse φύσει est verba ἐξ ἀρχῆς interpretantis. — In § C θυμοειδοῦς non neutrius est generis, ut Campbellius existamabat. Si vulgata non sana est, corrigere licet ἀντὶ ⟨τοῦ⟩ θυμοειδεῖς (pro -οῦς) sc. εἶναι (cf. Demosth. in Mid. 148 πρὸς τῷ μὴ καλὸν — sc. εἶναι — μηδὲ θεμιτὸν νομίζετε κτλ. ... εἶναι).

P. 413 A: Schneidero verito ut Astius verba ἢ οὐ τὸ τὰ ὄντα δοξάζειν ἀληθεύειν delens quintam suffragiorum partem ferret non accedo. Post ἀληθεύειν scriptori omittere licebat καὶ τὸ τὰ μὴ ὄντα (s. ψευδῆ) δοξάζειν ἐψεῦσθαι τῆς ἀληθείας, quoniam quid ἀκούσιος esset ἐκβολή, scire intererat, sed addere debuerat ἢ οὐ τὰ ὄντα τἀληθῆ;. Vulgata in qua δοξάζειν subiectum est admissa argumentatio vi caret (στέρησις ἀγαθοῦ ἀκούσιος, atqui ἀλήθεια

Digitized by Google

ἀγαθόν, ergo στέρησις ἀληθείας ἀκούσιος). — In § C verba ὑπὸ φόβου mihi male abundare videntur. — In § D malo [καὶ ἀγῶνας], quia vulgatae sensus nimis vagus (v. l. est ἀληθόνων ἀγῶνας). — In § E ult. praestat, ni fallor, καὶ ante ἀκήρατον delere (cf. praeterea 503 A).

P. 414 A: Lege ἄρχοντα τῆς πόλεως [καὶ φύλακα] et ἀρχόντων [τε καὶ φυλάκων]. Circumscripta sequentium gnarus addidit. Mox λαγχάνοντA sequitur quasi τιμητέον καὶ ζῶντα κτλ. praecessisset. Mihi autem librarius notam marginalem τάφων τε καὶ τῶν ἄλλων μνημείων μέγιστα γέρα λαγχ. in textum recepisse videtur. Infra quoque (465 E) verba ταφῆς ἀξίας μετέχουσιν simili errore orationi admixta esse iam olim significavi. Sententiae nostrae favent ea quae 503 A leguntur. — In § B coll. 415 D ult. Tim. 17 D voces πολεμίων et φιλίων exterminandas censeo. Displicet enim φύλακας — τῶν τε ἐντὸς φιλίων, ὅπως οἱ μὲν μὴ (i. e. οἱ φίλοι) βουλήσονται κακουργεῖν. Sensit hoc Bastien interpretatus „à l'égard — des ⟨*faux*⟩ amis de l'intérieur". — In § C dubitanter suadeo μάλιστα μὲν καὶ ⟨πρῶτον⟩ αὐτοὺς κτλ. (Α ante Αὐτοὺς facillime excidere potuit). — In § D legendum [ὥσπερ ὀνείρατα] ἐδόκουν, nam δοκεῖν de somniantibus solemne est (cf. Theaet. 201 D ult. Arist. Vesp. 15 ἐδόκουν ἀετὸν κτλ.). In § E verba μήτηρ οὖσα (ἀνιέναι hic *in lucem edere* significat), quae sequentibus ὡς περὶ μητρὸς omnem vim praeripiunt, deleantur, deinde corrigatur ἀδελφῶν, ὄντων καὶ ⟨αὐτῶν⟩ γηγενῶν, διανοεῖσθαι (sunt enim omnes cives — 415 A ult. — συγγενεῖς, Tim. 17 D φύσει φίλοις οὖσι).

P. 415 A: Commendo ἐστὲ μὲν γὰρ δὴ πάντες [οἱ] ἐν τῇ πόλει. Unos φύλακας Socrates alloqui pergit, quamquam πάντες et sequens ὑμῶν etiam ad praegressa τῶν ἄλλων πολιτῶν spectant. — In § E vox πολέμιος pro adverbio dicta est, sed eam abesse malo (ad τις cogito τῶν ἔξωθεν) et dub. praeterea ⟨ἐπὶ πόλιν⟩ τις ἴοι.

P. 416 B: Legendum μὴ τοιοῦτόν ⟨τι⟩, nam post ἐὰν, εἰ, μὴ, alia eiusmodi τι abesse nequit. — In § C scribendum κακουργεῖν ... [περὶ] τοὺς ἄλλους πολίτας; cf. Legg. 679 E ἀλλήλους,

Digitized by Google

Euthyph. 3 A *τὴν πόλιν*, ubi schol. *σημ. διὰ τὴν σύνταξιν.* — In § D lege *οἵων* pro *ὅσων*, ne sequens *τοσοῦτον* langueat. *Μισθὸν* est vocis *ἐπιτήδεια* appositum et *τοσοῦτον* de more pro *τοσαῦτα* (*ἐπιτήδεια*) dictum.

P. 417 A: Fortasse emendandum erit *μεταχειρίζεσθαι* [*καὶ ἅπτεσθαι*] *χρυσὸν καὶ ἄργυρον*. — In § B lege *τοὺς ἔξωθεν* [*πολεμίους*].

P. 420 A: Dicitur *ἐπίσιτος* et (*τὰ*) *ἐπισίτια*, ut *σύσσιτος* et *τὰ συσσίτια* (cf. praeterea *ἀπόσιτος*, *ὀλιγόσιτος*, *οἰκόσιτος*). Paulo post A. J. Egelie (Observ. Crit.) *οἳ δὴ* pro *οἷα δὴ* suasit conferens Menon. 94 D *οἳ ... δαπανώμενον*. At vereor ne sic structura pereat. *Οἷα δὴ* adverbium est; *ἀναλίσκουσι* Herwerdeno auctore expellendum est. — In § E commendo *ἐπιστάμεθα* ⟨*μὲν*⟩ *γὰρ* (cod. Vind. F¹ *ἐπίσταμεν*) et *σοὶ πιθώμεθα*.

P. 421 A: Dub. conicio [*πᾶσαν*] *ἄρδην*, quoniam *ἄρδην ἀπολλύναι* est *πᾶν ἀπολλύναι* (cf. Legg. 677 C 716 B Isocr. 15. 160). Noli comparare Arist. Thesm. 274 *ὄμνυμι τοίνυν πάντας ἄρδην τοὺς θεούς* (locum ap. Polyb. 3. 53. 1 *πάντας ἄρδην ἀπολέσθαι συνέβη* alii examinent). In proximis legendum *ἦ μὲν οὖν ἡμεῖς λέγομεν* (sic Herwerd.), *Φύλακας ὡς ἀ. π. ἦ. κ. τῆς πόλεως, ὁ δ' ἐκεῖνο λέγων* (sc. *ποιεῖ*) *γεωργούς τινας καὶ ὥσπερ ... εὐδαίμονας* [*ἄλλο — λέγοι*]. *σκεπτέον κτλ.*, quae sic verto „Or d'après notre manière de voir nous formons en vérité des gardiens nuisant le moins possible à l'état, notre contradicteur au contraire en fait des agriculteurs quelconques et, comme s'ils se trouvaient à une fête nationale et non dans un état, d'heureux festoyeurs". — In § C corrigendum censeo [*τοῦ*] *μεταλαμβάνειν*. — In § D *παρέχεσθαι* significare potest *ἑαυτῷ παρέχειν* (vid. Corp. I. A. II add. 834 *ἐφ' ᾧτε ξύλα αὐτὸς αὑτῷ παρέχειν*), sicut *ποιεῖσθαι* est *ἑαυτῷ ποιεῖν* (in 370 C corrigatur igitur *αὐτὸς ποιήσει* — pro *ποιήσεται* — *ἑαυτῷ*).

P. 422 E: Praestat *δύο μὲν — πολεμίω ἀλλήλοιν* vel *πολέμιαι*

Digitized by Google

ἀλλήλαις scribere quam πολεμία ἀλλήλαις coll. 587 B δυοῖν δὲ νόθοιν sc. ἡδοναῖν, Legg. 777 C δύο ... μόνω μηχανά, Euthyd. 306 C ἥ τε πολιτικὴ καὶ ἡ Φιλοσοφία ἀξίω λόγου ἔστον.

P. 423 A: Praestat, ni fallor, χιλίων [τῶν] προπολεμούντων corrigere. Paulo ante dele σωφρόνως et in § B lege Τίς, ἔφη [, ὅρος]; cf. 457 C, alios locos. — In § D Campbell verba ἕνα πρὸς ἓν ἕκαστον ἔργον κτλ. vertit „we must put each individual man to that one particular work" contra verborum compositionem. Illud πρὸς ὅ τις πέφυκε, πρὸς τοῦτο significat κατὰ τὴν Φύσιν. Vocem ἕνα delendam censeo, nisi transponendo scribendum ἕνα ⟨ἕκαστον⟩ πρὸς ἓν [ἕκαστον] ἔργον levi cum anacolutho.

P. 424 A: Voce κύκλος significatur rota figularis (Gallice verto „une fois bien en marche, elle va comme sur des roulettes"); fortasse legatur [αὐξανομένη]. — In § C variam l. μεταλαβεῖν pro μεταβάλλειν fortasse receptam oportuerat; vide Isocrat. VII 71 iuxta 78 et Cobeti notam in Mnem. 1874 p. 383 sq. Mox suadeo μουσικῆς νόμοι (pro τρόποι) ... νόμων ⟨μεταβολῶν⟩ τῶν μεγίστων (vid. Cic. de Legg. II 39 „negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum"). — In § D malim οὐδὲΝ γὰρ [ἐργάζεται], ἔφη, ἄλλο γε ἡ, conf. Euthyd. 277 D ult., Menon. 80 A alia. — In § E verbo παιδιᾶς (et παίζειν in 425 A) usus est praegressa (§ D) ὡς ἐν παιδιᾶς γε μέρει (ὡς ibi deleatur, παραδύεται enim ludens, *non* tanquam ludens) respiciens; significatur prima institutio qua pueri ludentes ad musicam instituuntur. Hinc in 425 A verba διὰ τῆς μουσικῆς interpreti reddenda censeo, ne bis idem dicatur. Est enim ἄρξασθαι παίζειν elementa musicae (dico fabulas cantum choreas) ludentes ut pueri solent doceri. De eodem argumento vide Legg. 797 A sqq.

P. 425 D: Lege aut εἰσι[ν ἢ] κατ' ἀγορὰς aut ⟨κατὰ⟩ λιμένας ac mox cum Vind. F [ἢ] καὶ τὸ παράπαν.

P. 426 B: Propter praegressum ἂν (in verbis οὐδ' ἂν ἡ πόλις κτλ.) l. τοιοῦτόν τι necessaria est. — In § C dub. commendo ὃς Δ' ἂν σφᾶς ... οὗτος ⟨Δ'⟩ Ἄρα κτλ. — In § E lectione οὐκ

Digitized by Google

αὖ Adimantus verba πλήν γ' ὅσοι ἐξηπάτηνται respiciens se errasse significat.

P. 427 C: Verba οὗτος γὰρ δήπου κτλ. sana non erunt, nisi ἐξηγεῖται deletur et ἐστιν cogitatur. Malo [καὶ] καλῶς γ', ἔφη, λέγεις, ne sequentia καὶ ποιητέον οὕτω abundent, cf. 394 D ult. Politic. 287 B Legg. 632 E ult. 961 C.

P. 428 A: Coniectura mea ἐξ αὐτῶν s. ἐν αὐτοῖς (pro ἐν αὐτῷ) recepta lectio κατάδηλον servari potest, cum ἐξ αὐτῶν s. ἐν αὐτοῖς neutrius sit generis et genus neutrum praecedat (τούτων, ἐπειδὴ τετ. ὄντα τυγχάνει). — In § C opus est οὐδ' ἄρα (pro οὐκ ἄρα) et κλητέα ⟨ἡ⟩ πόλις scribere, sed malo verba σοφὴ κλητέα πόλις deleri. — In § D lege ἐν τούτοις [τοῖς ἄρχουσιν] coll. 414 B.

P. 430 E: Dictiones αὐτοῦ κρείττω γίγνεσθαι et αὐτὸν αὑτοῦ ἄρχειν (cf. Gorg. 491 D) Socrates ὥσπερ ἴχνη σωφροσύνης potestatis appellat. Pro φαίνονται corrigendum est φθέγγονται (quod φέγγονται lectum deinde in φαίνονται mutatum est). Ergo nunc propono ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια, ὥς φασι· κρείττω δὴ αὐτοῦ φθέγγονται οὐκ οἶδ' κτλ. De verbis φαίνομαι φέρομαι φθέγγομαι φλέγομαι φθείρομαι inter se in libris stolide permutatis vide Cobetum in Mnem. 1874 p. 258 necnon in Mnem. 1859 p. 63 „exemplum esto versiculus Simiae Rhodii — χρυσῶτυφαέθοντι πολύλιστος φαίνεται κράς. In cod. Marciano est φθέγγεται κράς, cui superscriptum φαίνεται. Vera lectio est, ut vides χρυσῷ τοι φαέθων, τὸ πολύλλιστον φλέγεται κράς." Ad ὥς φασι conf. Symp. 196 C εἶναι γὰρ ὁμολογεῖται σωφροσύνη τὸ κρατεῖν ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν.

P. 431 A: Non male Par. A et Vind. F praebent λέγειν τὸN κρείττω αὐτοῦ, quum praecedat ἐν αὐτῷ τῷ ἀνθρώπῳ et sic non opus sit εἶναι mente supplere. Mox ἐπαινεῖν οὖν requiro pro ἐπαινεῖ γοῦν (pendet infin. a voce φαίνεται; cf. 436 E οὐδαμῇ γὰρ ἀποκλίνειν). In vicinis verba σμικρότερον τὸ βέλτιον ὄν, quae nihil ad rem faciunt, abesse malim. — In § B in verbis κρείττω γὰρ αὐτὴν αὐτῆς δικαίως φήσεις προσαγορεύεσθαι illud δικαίως ad

Digitized by Google

φήσεις pertinet, ut verbum προσαγορεύεσθαι (Stob. -ορεύειν) ferri nequeat et delendum sit. — In § C recte Herwerdenus correxit ταῖς δέ γε ἁπλαῖς κτλ. (supra παισὶ in πᾶσι librarii mutarant), sed praeterea τοῖς ante βέλτιστα delendum, quod ὀλίγοι illi optima institutione fructi esse dicuntur (sic paulo post perperam unus e Stob^{i} codd. ⟨τοῖς⟩ Φαύλοις et nonnulli Platonis codd. ⟨τοῖς⟩ ἐπιεικεστέροις).

P. 432 A: Recte J. J. Hartmanus verba οὐχ οὕτω ποιεῖ αὕτη damnavit; iam alterum οὐχ interpolatorem prodit. Eandem structuram invenias in Legg. 853 C ἐπειδὴ δὲ οὐ et quae sequuntur. Etiam in 410 B illud οὐχ ὥσπερ mendum peperit; praebent enim illic Platonis codd. μεταχειριεῖται pro μεταχειρίζονται (Galeni codd.). — In § C requiro προθυμοῦ [κατιδεῖν], ἐάν πως κτλ. vel ὅρα οὖν [καὶ προθυμοῦ κατιδεῖν], ἐάν πως κτλ. (cf. 427 D σκόπει — ἐάν πως ἴδωμεν), ne corrigere cogamur ⟨καὶ⟩ ἐάν πως π. ἐμοῦ ἴδῃς, [καὶ] μοι Φράσεις. Utique Φράσεις (fut. pro imper.) opus est.

P. 433 C: Ni fallor legendum erit τὸ ὑπολειφθὲν [ἐκείνων], εἰ τὰ τρία εὕροιμεν (sunt enim τὰ τρία ipsa ἐκεῖνα); cf. 428 A 432 B in. — In § D suadeo καὶ δημιουργῷ καὶ ἄρχοντι [καὶ ἀρχομένῳ], nam etiam ἐπίκουροι s. Φύλακες in δημιουργῶν numero sunt (cf. 395 C τοὺς Φύλακας κτλ., 421 C ult., ubi postquam de custodum munere egit, sic pergit τοὺς ἄλλους αὖ δημιουργούς, 466 E ἵν' ὥσπερ οἱ τῶν ἄλλων δημιουργῶν θεῶνται κτλ.). — In § E dele verba εἰς ἀρετὴν πόλεως, quae iam sedes part. ἂν insiticia esse arguit.

P. 434 A: Emenda καὶ τὰ ὄργανα μεταλ. τἀλ. καὶ τιμάς; manifestum enim est ἐπιχειρῶν et μεταλαμβάνοντες coniungenda, non seiungenda esse, ne sine instrumentis lignarius ἐργάζεσθαι dicatur (cf. B ὅταν — ἐπιχειρῇ — καὶ μεταλαμβάνωσι). — In § D malo νῦν δὴ pro νῦν δ' ἐκτελέσωμεν, quum praegressa respiciantur. — In § E subiectum vocis ἐΦάνη est ἡ δικαιοσύνη (cf. 442 D ὅπερ κτλ.). In sequentibus κἂν μὲν ὁμολογῆται vitium remansit, quia scriptoris sententia (cf. supra § D εἰς ἕνα ἰὸν τὸ εἶδος τοῦτο ὁμολογῆται κἀκεῖ δικ. εἶναι) haec est „tribuamus ho-

Digitized by Google

mini τὸ τὰ αὐτοῦ πράττειν (id quod iustitia in civitate ἐφάνη). Qualis homo (τὰ αὐτοῦ πράττων) si iustus a nobis ὁμολογεῖται, res bene se habebit; si vero aliter nominandus est, ad civitatem redibimus". Hinc suadeo ⟨ὅμοιος⟩ ὁμολογῆται, ut sensus sit „si ὁ εἷς τὰ αὐτοῦ πράττων a nobis similis esse civitati τὰ αὐτῆς πραττούσῃ — i. e. iustae — ὁμολογεῖται". Licet etiam, ut subiectum verbi ὁμολογῆται sit τὸ ἐπαναφερόμενον id est τὸ τὰ ἑ. πράττειν, corrigere ⟨ὅμοιον⟩ ὁμολ. et ἐν τῷ ἑνὶ [ἐμ]φαίνηται, hoc sensu, „si τὸ τοῦ ἑνὸς τὰ αὐτοῦ πράττειν simile est τῷ τῆς πόλεως τὰ αὐτοῦ πράττειν, res bene se habebit; si vero in homine τὸ τὰ αὐτοῦ πρ. aliud quid φαίνηται sc. quam iustitia etc.". Poterant verba καλῶς ἕξει abesse.

P. 435 A: Dub. conicio [σκοποῦντες καὶ] τρίβοντες. — Si in § C Socratem non ⟨οὐκ⟩ εἰς φαῦλόν, sed εἰς φαῦλόν dicentem facimus, Glaucon ridicule inducitur Socratem reprehendens. Ante ἴσως γὰρ dele verba εἰς φαῦλον. — In § E postulo [κατὰ] ⟨πάντα⟩ τὸν ἄνω τόπον (cf. Theaet. 160 D κατὰ μὲν Ὅμηρον καὶ Ἡρ. καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον φῦλον).

P. 437 B ult.: In verbis ταῦτα εἰς ἐκεῖνά ΠΟΙ ἂν θείης sensus voc. ποι est εἴς τι μέρος ἐκείνων τῶν εἰδῶν (cf. 525 D ἄνω ποι ἄγει i. e. εἴς τι τῆς ἀληθείας μέρος). — Poenitet me in § D vulgatam ἆρ' οὖν, καθ' ὅσον δίψα et quae sequuntur sollicitasse, sed ποτοῦ (post θερμοῦ) delendum est. — Hermanno in § E ψυχροῦ et θερμοῦ inter se transponenti novissimi editt. non accesserunt. Quum vero δίψος s. ἡ τοῦ ποτοῦ ἐπιθυμία *corporis* conditione regatur, manifestum est ἐπιθυμίαν illam (s. δίψαν) *calidam* fore, si corpus *frigeat*, itaque τὴν τοῦ θερμοῦ ποτοῦ ἐπιθ. παρέξεσθαι. Obiter moneo Hermanni C[a] recepta ordinem adiectivorum θερμοῦ ψυχροῦ πολλοῦ ὀλίγου in §§ D et E eundem futurum esse.

P. 438 E: Corrigatur οὗπερ ἠπιστήμη (pro ἐπισ.) ἐστίν; vid. § C ὅτου δὴ δεῖ θεῖναι τὴν ἐπιστήμην.

P. 439 A: Legendum censeo θήσεις τῶν ⟨οἵων c. Madvigio⟩ τινὸς εἶναι, ⟨καὶ⟩ τούτου οὗπέρ ἐστιν (i. e. πέφυκε) hoc est „et

Digitized by Google

quidem eius rei esse (sitim), cuius naturā sit" (cf. 438 E *αὐτοῦ, οὗπερ ἡπιστήμη ἐστίν*, 438 C *ὅτου δὴ δεῖ θεῖναι τὴν ἐπιστήμην*, 437 E *ἄλλου γέγνηται ἐπιθυμία ἢ οὗπερ πέφυκεν* κτλ.). Postquam KAI post εἶNAI intercidit, *τούτου οὗπερ* in *τοῦτο ὅπερ* mutatum est. — In § E postulo *τὸ δὲ δὴ [τοῦ θυμοῦ καὶ] ᾧ* κτλ.

P. 440 C: Possis etiam corrigere *καὶ δι' αὐτὸ* (pro *διὰ τὸ*) *πεινῆν καὶ [διὰ τὸ] ῥιγῶν καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα πάσχειν ὑπομένων [καὶ νικᾷ καὶ] οὐ λήγει*, ita ut *νικᾷ* sequens *διαπράξηται* interpretantis sit.

P. 441 C: Hominem cum civitate, non civitatem cum homine comparat. Manifestum igitur librarios ordinem turbasse verborum et corrigendum esse *καὶ ᾧ δὴ ἀνδρεία (πόλις) καὶ ὥς, τούτῳ καὶ ἰδιώτην ἀνδρεῖον καὶ οὕτω*. — In § D dele *ἐπιλελῆσθαι* coll. 404 D *οὔ μοι δοκῶ*, 435 C, 554 B Lach. 199 E *οὐ φαινόμεθα*, alia.

P. 442 A: Fortasse vera lectio est *τραφέντε ⟨τε καὶ παιδευθέντε⟩ καὶ ὡς ἀληθῶς τὰ αὑτοῦ μαθόντε [καὶ παιδευθέντε]* coll. 414 D 445 E 534 D. — In § D dubitanter commendo *ἀπαμβλύνεται [ἄλλο τι] δικαιοσύνη [δοκεῖν εἶναι] ἢ ὅπερ* κτλ.

P. 443 B: Corrige *ὅτ' ἔφαμεν ὑποπτεῦσαι*. Aliis fortasse verba *ὃ ἔφαμεν ὑποπτεῦσαι* interpretamentum esse videbitur vocis *ἐνύπνιον*, quibus deletis *ὡς* ad *τὸ ἐνύπνιον* referatur. — In § C veterum edit. l. *τὸ δὲ [γε] ἦν ἄρα* probanda mihi videtur. Illud *τὸ* pronominis vim habet (cf. 494 D *τὸ δὲ οὐ κτητόν*, Menon. 97 C *τὸ δ' ἄρα καὶ δόξα* κτλ.) et ad praegressa *ἀρχήν τε καὶ τύπον τινὰ* spectat verbisque *τὸ τὸν μὲν σκυτοτομικὸν Φύσει* κτλ. amplius explicatur. — In § D legendum censeo *τὴν ἐντὸς ὡς ἀληθῶς* (sc. *πρᾶξιν τῶν αὑτοῦ*) deletis verbis *περὶ ἑαυτὸν καὶ τὰ ἑαυτοῦ*.

P. 444 B: Nunc commendo *τοιαῦτα μὲν οὖν [ταῦτα]*. — In § C dub. suadeo *[καὶ τὸ ἀδικεῖν]* coll. § E ult. *δίκαιά τε πράττειν ... ἢ ἀδικεῖν*, Demosth. 24. 216 *ποιεῖν ἀγαθόν τι τὸ κοινὸν ... καὶ πάντες ἀποσταῖεν τοῦ κακουργεῖν [ἢ κακόν τι*

Digitized by Google

πράττειν]. — In § D utique corrigatur κομιδῇ ⟨γ'⟩, ἔφη; in responsis enim aut κ. μὲν οὖν aut κ. γε necessarium. — In § E recte Herwerdenus τόδε δὴ λοιπὸν correxit.

P. 445 A: Dele verba μηδὲ βελτίων γίγνηται κολαζόμενος (cf. Gorg. 473 B σὺ δέ γε κτλ.), quae lector eorum quae 380 A B necnon Gorg. 477 A occurrunt non immemor adscripserat in margine. In subsequentibus dele σκέμμα (ut vera structura γελοῖον — εἰ appareat) et corrige γίγνεσθαι ἂν pro γίγ. ἤδη. — In § C corrigatur ἓν μὲν [εἶναι] εἶδος, ut φαίνεται valeat „in conspectum venit" (praecedit ἀπὸ σκοπιᾶς). — In § D καὶ ante διχῇ inducatur. — In § E commendo κινήσειεν ⟨οὐδέν⟩ A τῶν ἀξίων κτλ. deleto AN. Conf. Isocr. 7. 30 μηδὲν μήτε τῶν πατρίων καταλύσουσι κτλ. et τῷ μηδὲν κινεῖν ὧν κτλ. (non τῷ μὴ κινεῖν) necnon ipse Plato in Legg. 798 B τό τι κινεῖν τῶν κτλ.

P. 449 A: Collato 544 E αἱ — κατασκευαὶ τῆς ψυχῆς nunc commendo [τρόπου] κατασκευὴν et suspicor τρόπον interpretamentum fuisse vocis κατασκευήν, sed postea in τρόπου mutatum esse, ut ad textum accommodaretur. Olim τρόπους s. τρόπον [κατασκευὴν] coll. 445 C ult. corrigebam, sed veri similius est ψυχῆς κατασκευὴν quam ψ. τρόπον alicui explicationis indigere visum fuisse. — In § C sequentia sic scribe ἐκκλέπτων (pro -τειν) τοῦ λόγου [ἵνα μὴ διέλθῃς καὶ] λήσειν οἰηθῆναι εἰπὼν αὐτὸ Φαύλως, ne bis idem dicatur. Socrates enim ἐκκλέπτειν rem τῷ εἰπεῖν eam Φαύλως (paucis verbis et tanquam intranscursu) Adimantus putabat. Post pauca sic interpungatur δεῖται. τίς ὁ τρόπος τῆς κοινωνίας; πολλοὶ κτλ. — In § D οἰόμενοι immerito suspectum mihi fuit, sed probo v. l. περιεμένομεν, quia Socratem iam interpellaverant.

P. 450 B: Suadeo μέτρον — τοιούτων λόγων [ἀκούειν], ut significetur tempus talibus sermonibus *habendis* (non solum audiendis) impendendum. Praecedit enim μετρίων (λόγων) i. e. „tempus iustum non excedentium". — In § C ad τροφῆς mente διεξιὼν

Digitized by Google

περὶ suppleatur. — In § D dub. suadeo καλῶς ⟨ἂν⟩ εἶχεν ἡ κτλ., quia εἶχεν h. l. non impersonale est.

P. 451 A: Verbum σφάλλεσθαι expungatur. — In § B verba καὶ καθαρὸν εἶναι καὶ μὴ ἀπατεῶνα ἡμῶν spuria esse duco. Ultima καὶ μὴ ἀ. ἡ. cur male abundent iam olim exposui, sed ne verba (καὶ) καθαρὸν εἶναι quidem ferri posse Socratis dictum ἀλλὰ μέντοι κτλ. indicat. Prorsus enim supervacanea Socrates diceret, si iam Glauco eum purum futurum esse pronuntiasset. Sensus verborum ἀφίεμέν σε ὥσπερ φόνου est hic „absolvimus te (sc. talis delicti, τοῦ ποιεῖν ἡμᾶς πλημμελές τι παθεῖν) quasi caedem tantummodo commisisses" (dixerat enim Socrates ἔλαττον ἁμάρτημα ἀκουσίως τινὸς φονέα γενέσθαι ἢ ἀπατεῶνα). — In § C ista κατ' ἐκείνην τὴν ὁρμὴν ἰοῦσιν dicta sunt quasi praecessisset οὐκ ἔστ' ἄλλως παῖδας καὶ γυναῖκας κτᾶσθαι ἤ; *legatur* igitur ἄλλῃ pro ἄλλH.

P. 452 C: Postulo ἅπερ ⟨ἔτι⟩ νῦν. Continuo post Herwerdenus ci. τῶν ⟨τοιούτων⟩ γυμνασίων, sed hic proprio sensu voc. γυμνασίων adhibitum esse videtur, quamquam in § B ult. γυμνάσια modo corporis exercitationes (σωμασκίαν) significat. Ipsa vox γυμνάζεσθαι ab ea consuetudine originem duxit neque vetus esse poterat. — In § D voce καὶ (post ἐΦάνη) sententia primaria incipit; ἐνεδείξατο est *docuit*. Propter optimorum codd. l. ⟨καὶ καλοῦ αὖ⟩ σπουδάζει (sec. Adamum Par. A praebet καὶ καλὸν αὖ) nunc scribendum censeo καὶ αὖ ⟨ὁ⟩ σπουδάζειν (sc. ἐπιχειρῶν) sive καὶ αὖ ⟨ὁ⟩ σπουδάζων κτλ. Nullo enim codice lectio ἡ nititur.

P. 453 A: Ad Dobraei transpositionem κάλλιστα καὶ pro καὶ κάλλ. conferas 388 E ἰσχυρῷ γέλωτι, ἰσχυρὰν καὶ 576 C τοῖς δὲ πολλοῖς πολλὰ καὶ δοκεῖ. Phib. 20 C κάλλιστα εἰπὼν οὕτω καὶ διαπέραινε. — In § D nunc Stallbaumio οὐ⟨κ⟩ [γὰρ] εὐκόλῳ ἔοικεν legenti assentiendum puto, cum revera bis positum γὰρ („profecto") ferri nequeat (sequitur enim οὐ γὰρ, cf. 603 D *resp.* ὀρθῶς, ἔΦη. *Socrat.* ὀρθῶς γὰρ, ἦν δ' ἐγώ).

P. 454 B: Verborum κατὰ τὸ ὄνομα διώκομεν sensus est „di-

Digitized by Google

versam esse *ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς* naturam pronuntiabamus propterea quod in sermone quotidiano *γυνὴ ἀνδρὶ ἐναντία* habetur". Fortasse legendum erit *τὴν ⟨μὴ⟩ τὴν αὐτὴν Φύσιν* pro *τὸ ⟨μὴ⟩ τήν αὐτὴν Φύσιν*. *Ὡριζόμεθα* valet „apud nos constitueremus" et verbis *πρὸς τί* animus significatur. In § ult. dele *ἐπεσκεψάμεθα*. — In § C dub. coni. *εἰ ἡ αὐτὴ Φύσις Φαλακρῶν καὶ κομητῶν* [*καὶ οὐχ*] *ἡ ἐναντία κτλ.* — In § D ad *ἰατρικὸν τὴν ψυχὴν ὄντα* conf. Alcib. 134 E ult. *νοῦν ἰατρικὸν μὴ ἔχοντι*. Praestat corrigere *τέχνην* [*τινὰ*] *ἤ ⟨τι⟩ ἄλλο ἐπιτήδευμα* (cf. 469 B 416 A alia). Vulgata *διαφέρον Φαίνηται* defendi potest; supra quoque in 453 E *ἄλλην εἶναι* singulari usus est. Hinc in sequentibus *διαφέρειν* in *διαφέρον* mutandum est, nisi verba *Φαίνηται διαφέρειν* spuria sunt (alio sensu atque hic requiritur *Φαίνεσθαι* c. infin. 426 B ult. occurrit).

P. 455 B: Genitivus *οὗ ἔμαθεν* est gen. distantiae (Bastien „l'un porte ses découvertes bien au delà de ce qu'on lui a enseigné"). — In § D verbis *ὅτι πολὺ κρατεῖται — τὸ γένος τοῦ γένους* significatur alterum genus alteri esse inferius, sine sensu (cf. Thucyd. 7. 70 *προσπέσοι ναῦς νηί* Soph. Antig. 413 *κινῶν ἄνδρ' ἀνὴρ κτλ.* Hom. N 130 sqq. *ἀσπὶς ἀσπίδ' ἐρείδει κτλ.*); deleatur igitur *τοῦ γένους*. E praegressis nullo negotio ad (*κρατεῖται* —) *τὸ γένος* suppletur *τὸ γυναικεῖον*. — Mox corrigendum censeo *ὦ Φίλε ⟨Φήσομεν⟩* (cf. 479 A *ὦ ἄριστε, Φήσομεν*) deletis in § E verbis *ὡς Φήσομεν*, quae illic mihi displicere olim significavi. — In § E ult. nunc suadeo *γυμναστικὴ δ' ἆρα οὐ οὐδὲ πολεμική* (ad *οὐ* — part. interr. — *οὐδὲ* conf. 470 E *ἀλλ' οὐ Φιλέλληνες; οὐδὲ κτλ.*).

P. 456 D: Interpreti redde verba *Φύλακας* et *σκυτοτόμους*: ecquid mirum cuiquam videtur, si *σκυτότομοι ἐν τῇ σκυτικῇ πεπαίδευνται*? — In § E ad *γελοῖον* cogita *τοῦτο* vel *πρᾶγμα*; cf. Alcib. I 109 B ult. *δεινὸν τοῦτό γ' ἐρωτᾷς*, Prot. 318 B, alia innumera. Iniuria igitur *⟨τι⟩* nonnulli postularunt. Mox interpungendum *τί δὲ αἱ γυναῖκες; τῶν γυναικῶν κτλ.*, ut facilius *custodum* uxores designentur; fortasse *τί δὲ αἱ γυναῖκες ⟨αὐτῶν⟩; τῶν κτλ.* reponere praestat.

Digitized by Google

P. 457 B: Ἓν (i. e. πρῶτον) ad κῦμα pertinere censeo. Verba τοῦ γυναικείου πέρι νόμου λέγοντες misere languere mihi videntur; suspicor aliquem olim ad κῦμα in margine adscripsisse τοῦ γ. π. ν. λέγεται, quae postea in textum recepta sunt reliquae orationi accommodata. — In § C iniuria Cobetus ci. φέρε δὴ ἴδω, siquidem talia quaestionibus praemitti solent. Itaque nunc, nisi ἴδω spurium est, commendo λέγε δή, ἵν' ἴδω. In proximis lege mutato ordine τοῖς ἄλλοις τοῖς ἔμπροσθεν coll. Phaedon. 111 A, Hipp. Mai. 293 B aliis. — In § D dele ἀπο-διδράσκων (vid. Symp. 222 D).

P. 458 B: Malo γενόμενα pro γιγνόμενα coll. γενομένου in § A, πραχθέντα in § B γενομένην in 452 B.

P. 459 B: Dubitanter οἴει delendum censeo ad sequens ἔχειν mente e praegressis ἡγεῖ supplens. — In § C suadeo [ἀλλὰ] διαίτῃ ἐθελόντων i. e. quia διαίτῃ ὑπ. non recusant.

P. 460 B: Commendo ἀφθονεστέρα⟨N⟩ [H] ἐξουσίᾳ i. e. ἀφθονεστέραν ἐξουσίαν, quamquam vulgata exemplis defendi potest. — In § D corrigatur τὸ δ' ἐφεξῆς (sc. ὂν) διέλθωμεν. προὐθέμεθα γὰρ δὴ ἐξ pro τὸ δ' ἐφ. διέλθωμεν, ὃ προὐθέμεθα. ἔφαμεν γὰρ δὴ κτλ. — In § E dubitanter suadeo τίκτειν τῇ πόλει ⟨πρσήκει⟩ vel simile quid, quoniam vulg. l. durior est. In eadem sententia repone εἰκοσέτιδος. Non male Campbellius ad δρόμου ἀκμὴν annotavit „when his powers of running are at their highest", nam pedum velocitas, qua imprimis custodum aetate *minores* excellere oportet, iuventutis primae est propria (apud Cretenses iuvenes δρομεῖς vocabantur). Quibus Plato metaphorice locutus et iuvenilem fervorem significasse videtur, iis commendaverim ὀξυτάτην ⟨ὁρμὴν⟩ [δρόμου ἀκμὴν]; Eusebius δρόμον, Stobaei cod. A δρόμην praebet.

P. 461 C: Non displicet v. l. ⟨τὰς⟩ γυναῖκας et continuo post lege ταὐτά γε δὴ pro τ. γ' ἤδη (πάντα significat πάντως). — In § D iure Schneider in notis ἐκεῖν' αὖ (unde l. ἐκείνου αὖ fluxit) commendavit.

Digitized by Google

P. 462 A: Postulo τί ποτε [τὸ] μέγιστον ἀγαθόν coll. sequentibus τί μέγιστον, 330 D 457 D 464 A ult. — In § D pro τὴν τοῦ ἄρχοντος legatur τὴν τοῦ πάσχοντος; vid. infra § E Φήσει ἑαυτῆς εἶναι τὸ πάσχον. Post Τ in scriptura unciali Π littera facile excidere poterat. Verba ἐν αὐτῇ significant ἐν τῇ κοινωνίᾳ. — In § E corrige σκοπεῖν [ἐν αὐτῇ] εἰ αὕτη (pro αὐτή).

P. 463 D: Malo εἰ ἄλλα πράττοι [ἢ ταῦτα]; αὗταί σοι (fortasse dittographia vulg. nata est). — In § E verba ἄνευ ἔργων post διὰ τῶν στομάτων μόνον frigent; in 494 D ἄνευ νοῦ, in 505 B ἄνευ τοῦ ἀγαθοῦ, in Symp. 215 C ἄνευ ὀργάνων, in Legg. 880 A ἄνευ βέλους (ψιλαῖς ταῖς χερσίν) non omnibus editoribus edere placuit.

P. 464 D: Iure Bekker et Astius ⟨μηδένα⟩ μηδὲν ἴδιον ediderunt coll. 458 C ἰδίᾳ δὲ κτλ., 543 B 416 D οὐσίαν κεκτήμενον κτλ. — In § E nisi τιθέντες genuinum, suaserim ἐπιτιθέντες s. προστιθέντες.

P. 465 A: Nunc unice vera mihi videtur Astii C^a καὶ μὴν ὅ γε νεώτερος πρεσβύτερον pro ὅτι γε, quod dittographiae debetur. Ad omissum articulum ante πρεσβ. conf. 425 B τῶν νεωτέρων παρὰ πρεσβυτέροις. Porro transponendo legatur οὔτε τύπτειν οὔτε ἄλλο ⟨τι⟩ βιάζεσθαι κτλ. — In § C ordine verborum mutato dubitanter commendo κακῶν, ὧν ἀπηλλαγμένοι ἂν εἶεν, δι' ἀπρέπειαν ὀκνῶ καὶ λέγειν. Mox lege πορισάμενοι ⟨τι⟩θέμενοι deleto interpretamento παραδόντες (v. l. apud Stob. παραδιδ.). Verba ὅσα τε, ὦ Φ., περὶ αὐτὰ (curas illas) καὶ οἷα πάσχουσι a voce (ὀκνῶ καὶ) λέγειν suspensa sunt. Quae sequuntur δειλά τε δὴ κτλ. proximis apposita sunt et scriptoris sententiam paucis et cum vi (δή) declarant.

P. 466 A: Ad verba οἷς ἐξὸν conf. Menex. 246 D ἡμῖν δὲ ἐξὸν κτλ., Thucyd: V 103 οἷς παρὸν κτλ. — In § B v. l. ἐλέγομεν pro ἔλεγον notatu dignissima est. — In § C nisi corrigitur ὥσπερ ⟨τὰς⟩ κύνας (Bastien: „comme font *les femelles* des chiens"), voces ὥσπερ κύνας ab aliquo propter ea quae 451 D leguntur adscriptae sunt: ridicule enim mulieres in muneribus

Digitized by Google

et officiis una cum viris obeundis cum canibus comparantur. — In § E verba *εἰς τὸν πόλεμον* mihi languere videntur, quum *ἄξουσι* vertere licet „secum ducent".

P. 467 C: Inconsiderate olim ⟨*τοὺς*⟩ *πολεμικοὺς* postulavi. Qui in verbis *οὔκ, ἀλλὰ διαφέρει* cogitent *οἶομαι*, eos *διαφέρειν* legere oportet; qui *διαφέρει* servant, iis Glaucon existimandus est respondisse quasi Socrates in praegressis dixisset *ἀλλὰ σμικρὸν διαφέρει*. Similis causa redit in 484 D.

P. 468 A: Verba *τὰ περὶ τὸν πόλεμον* abesse velim, quia iam inde a 466 D de bello sermo est. In sequentibus *δωρεὰν διδόναι τοῖς ἑλοῦσι χρῆσθαι τῇ ἄγρᾳ ὅτι ἂν βούλωνται* verbum *δωρεὰν διδόναι* significat „relinquere" („abandonner"), ut ad *χρῆσθαι* cogitandum sit *ὥστε*. Verba *τῇ ἄγρᾳ* abundant ut apud Xenoph. Cyr. 2. 4. 19 *ἀπενεγκὼν* (sc. *τὸν λαγῶ*) *ἐπὶ λόφον τινὰ οὐ πρόσω ἐχρῆτο τῇ ἄγρᾳ ὅ,τι ἤθελεν*. — In § C verba *καὶ αἱρέσεις τῶν τοιούτων πολλάκις παρὰ τοὺς ἄλλους* sunt praegressa *γάμοι τε ἔτοιμοι κτλ.* interpretantis: deleantur ne bis idem dicatur. Ex iis enim quae de nuptiis ordinandis ac perficiendis in 459 D—460 A med. et 461 B *ἐάν τις τῶν ἔτι γεννώντων μὴ ξυνέρξαντος ἄρχοντος κτλ.* leguntur, apparet *αἵρεσιν* praecedere *γάμῳ* et sine *αἱρέσει γάμον* fieri non posse. Qua interpolatione expuncta particula *τε* post *γάμοι* nihilominus servanda est. — In § D iniuria olim in nomine *Αἴαντα* haesi. In subsequentibus aut *τοὺς νέους* (pro *τοὺς ἀγαθοὺς*) *καθ' ὅσον ἂν ἀγαθοὶ φαίνωνται* (cf. § C *τῶν νέων ὅσοι ἀγαθοί*) aut *τοὺς ἀγαθούς, καθ' ὅσον ἂν ἄξιοι* (pro *ἀγαθοὶ*) *φαίνωνται* legendum censeo.

P. 469 A: Post *ὡς δαιμόνων* mente supple *θήκας θεραπεύομεν*, sed malo corrigere *ὡς δαιμόνων*[*, οὕτω*] *θεραπεύσομεν κτλ.* vel potius *δαιμόνων* ⟨*ὄντων*⟩*, οὕτω*. — In § B festinantius ⟨*ὧδέ*⟩*πως* pro *πῶς* et in § C *μηδέν'* pro *μηδὲ* olim postulavi, sed *μηδαμῇ* pro *μηδ' ἄλλῃ* unice verum mihi videtur. — In § D corrigatur *ἀποπτομένου*; vid. Phaedon. 84 B, ubi optimi libb. *διαπτομένη* praebent.

Digitized by Google

P. 470 A: Aut τί δὲ γῆς τε ... ἐμπρήσεως; ποῖον κτλ. interpungatur aut τί δέ; γῆς τε ... ἐμπρήσεως ⟨πέρι⟩ ποῖόν τι κτλ. corrigatur (cf. 469 B πρῶτον μὲν ἀνδραποδισμοῦ πέρι). — In § B legatur ⟨δεῖν⟩ ποιεῖν suadeo. Sequentia ὥσπερ καὶ ὀνομάζεται interpretor ὥσπερ ταῦτα, πολεμός τε καὶ στάσις δύο ὀνόματα ὀνομάζεται, οὕτω καὶ εἶναι δύο. In § ult. commendo ὅρα δὴ καὶ τόδε, εἰ κτλ. — In § D verba καὶ διαστῇ πόλις spuria mihi videntur: voce τι τοιοῦτον enim στάσις significatur.

P. 471 A: In § ult. post ἀεὶ vocem ἐχθροὺς delendam esse suspicor. — In § C verba εἰ γένοιτο errore describentis nata censeo; in sequentibus dubitanter commendo πόλει ⟨ἐν⟩ ᾗ γένοιτο (cf. 541 A τὸ ἔθνος, ἐν ᾧ ἂν ἐγγένηται sc. ea πολιτεία).

P. 472 A: Suspecta mihi sunt verba τε καὶ ἀκούσῃς; in 457 C ὅταν τὸ μετὰ τοῦτο ἴδῃς (κῦμα) nihil scriptor addidit. In eadem sententia vox εἰκότως propter πάνυ συγγνώμην ἕξεις ferri nequit; dici potest πάνυ συγχωρήσει ὅτι εἰκότως ἄρα ὤκνουν, non id quod vulgatur. Emblema igitur, eiusdem generis ac ὀρθῶς in 361 A, eiiciatur. — In § B praestat fortasse corrigere ἧττον ἀφεθήσει ὑφ' ἡμῶν [πρὸς] τὸ μὴ ⟨οὐκ⟩ εἰπεῖν.

P. 473 A: Fortasse Bywateri quidam amicus δὴ (pro δεῖν s. δεῖ) in ἂν commutans rem acu tetigit. — In § Adam verba ἀτεχνῶς ὥσπερ κῦμα ἐκγελῶν insiticia putavit (sexcenties ἀτεχνῶς voculae ὥσπερ additur), sed vide 457 B ult. παντάπασι κατακλυσθῆναι. Veri simile est lectorem aliquem in ora libri sui scripsisse ὥσπερ κῦμα ἐκγελᾷ, quod deinde textui accommodatum factum esse ὥσπερ κῦμα ἐκγελῶν.

P. 473 D: Ad Madvigii C^{am} χωλαὶ (pro πολλαὶ) Φύσεις conf. praeterea Legg. 634 A οὐ δήπου χωλὴν τὴν ἀνδρείαν κτλ., Tim. 44 C, alia. — In § E lege ἣν νυνδὴ (pro νῦν) λόγῳ διεληλύθαμεν. Post pauca V^{am} l. ἐΜβέβληκας hic minus aptam esse postea cognovi: solent enim (cf. 344 D) ἐμβάλλειν ii dici qui adversarium vel confabulantem dicto quasi telo immisso opprimere conantur (alia rursus significatio inest verbis Xenoph. Cyr. II

Digitized by Google

2. 1 εὐχαριστότατοί τε ἅμα λόγοι ἐμβληθήσονται κτλ.). Ἐκβάλλειν contra iactanter vel imprudenter loquentis est.

P. 474 A: Fortasse sic legendum erit οἷον (pro ὄν) εἰπὼν ... [οἷον] ῥίψαντας τὰ ἱμάτια [γυμνοὺς] κτλ. Verba νῦν οὕτως significant „illico". — In § B commendo ἐπειδὴ καὶ [σὺ] οὕτω κτλ., quia pron. σὺ plane inutile mihi videtur (vitium dittographiae debetur). — In § D post φιλόπαιδα verba καὶ ἐρωτικὸν delenda censeo.

P. 475 A: Corrigatur τῶν ἀνθούντων [ἐν ὥρᾳ]; ultima ex 474 D (οἱ ἐν ὥρᾳ) profecta sunt. — In § B legendum, opinor, παντὸς [τοῦ] εἴδους τούτου, ut dicatur quis „quodlibet" εἶδος τούτου amare (cf. supra πάντα οἶνον et paulo post πάσης sc. σοφίας); sic demum ad τοῦ μὲν, τοῦ δὲ cŭ facile ειδους cogitari potest. — In § C vulg. l. τί τε χρηστὸν καὶ μὴ defendi mihi posse videtur his locis: Resp. 467 C ult. ὅσαι τε καὶ μὴ ἐπικίνδυνοι, Legg. 696 D ποῖαί τε ὀρθαὶ καὶ μὴ γίγνονται, Resp. 392 A οἵους τε λεκτέον καὶ μὴ.

P. 475 D: Iniuria in sequentibus ἔσονται ⟨οἱ⟩ τοιοῦτοι postulaveram, quum πολλοὶ ἄρα καὶ ἄτοποι pro subiecto habere liceat. In sequentibus probanda est v. l. ⟨τὴν⟩ τοιαύτην διατριβὴν coll. Theaet. 172 C τοὺς ἐν Φιλοσοφίᾳ καὶ τῇ τοιᾷδε διατριβῇ τεθραμμένους, Resp. 485 D 549 C.

P. 476 A: Varia l. καὶ περὶ ⟨δὴ⟩ δικαίου dittographia orta mihi videtur; in 357 A cod. Vind. F praebet ⟨ΔΗ⟩ ΑΝδρειότατος, in 342 D οὖν ⟨δὴ⟩ ἦν δ' ἐγώ. Propter pluralem numerum φανταζόμενα praestat scribi αὐτὰ (pro αὐτὸ, i. e. αὐτὰ καθ' αὑτὰ) μὲν ἓν ἕκαστον ... καὶ ἄλλων (pro ἀλλήλων) κοινωνίᾳ κτλ., quo facto πάντα τὰ εἴδη subiectum in utroque sententiae membro esse poterit. Ad ἕκαστον iteratum conf. 586 E ἑκάστῳ — ἕκαστον.

P. 477 A: Ἔχειν ἱκανῶς est „probe scire", vid. Phaedon. 71 A. Ad Astii Cam ἢ καὶ πλεοναχῇ σκοπῶμεν conferre licet Menon. 75 B ἱκανῶς σοι ἢ ἄλλως πως ζητεῖς; Legg. 897 B τιθῶμεν

Digitized by Google

ταῦτα οὕτως ἔχειν ἢ ἔτι διστάζομεν κτλ.; Arist. Ran. 64 ἆρ' ἐκδιδάσκω τὸ σαφὲς ἢ 'τέρᾳ φράσω; alia. Aliis fortasse magis placebit κἂν εἰ ⟨μὴ⟩ πλεοναχῇ σκοποῦμεν.

P. 477 B: Astii nomen exime ex eo numero qui V^{am} l. κατὰ τὴν δύναμιν ἑκατέρα receperunt. Ad Herwerdeni C^{am} confer locum simillimum in Alcib. II 140 B ἀλλὰ κατὰ τὴν αὐτῆς δύναμιν ἑκάστη. I. Adam probavit C. Schmidtii C^{am} κατ' αὐτὴν τὴν (pro τὴν αὐτὴν) δύναμιν ἑκατέρα τὴν αὐτῆς, quod abundantius dictum mihi videtur. Ego probans Vind. F. l. κατὰ τὴν δύναμιν ἑκατέρα τὴν αὐτῆς suspicor in nonnullis codicibus *aut* e verbis κατὰ τὴν ΔΥναμιν primum κατὰ τὴν ΑΥ ΔΥναμιν, deinde κατὰ τὴν αὐτὴν δύναμιν ortum esse *aut* e male lecto κατὰ τὴν (κατ' ἀτὴν αὐτὴν κατ' αὐτὴν) natam esse variam l. κατὰ τὴν δύναμιν κτλ. — In § C v. l. οὔτε ⟨τι⟩ σχῆμα mihi placet. In proximis dub. suadeo propter praegressam negationem οἷον [καὶ] ἄλλων πολλῶν. Pro ἔνια postulo ἐκεῖνα. — In § E vulg. l. οἴσομεν defendi potest iis quae in Soph. 237 C leguntur, sed propter antecedens τίθης V^{am} l. θήσομεν cum Cobeto probandam censeo.

P. 478 A: Dubitanter suadeo ἐΦ' ἑτέρῳ ⟨τῳ⟩ ἄρα ἕτερόν τι. — In § B iniuria olim verba ὁ δοξάζων in suspicionem vocavi. — In § D repone κείσεσθαι pro κεῖσθαι coll. 477 A ἂν κέοιτο et in proximis ἔσεσθαι. — In § E verbum Φήσω, quod editores frustra interpretari conantur, e margine irrepsisse suspicor. Puto aliquem lectorem olim propter (λεγέτω) MOI ad proximum (479 A) Φήσομεν adscripsisse Φήσω, quod postea in textum receptum esse.

P. 479 D: Malo [τὸ] μεταξὺ πλανητόν. Ad ἁλισκόμενον cf. Tim. 28 A νοήσει ... περιληπτόν, Phaedon. 81 B φιλοσοφίᾳ αἱρετόν.

Digitized by Google

LECTIONES VALERIANAE.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(*Continuantur e pag.* 164).

VII 1, 2 p. 321, 26 *Is erat Arcadum pauperrimus, sed aetate iam senior terminos agelli sui numquam excesserat, parvuli ruris fructibus* [*voluptatibus*] *contentus. verum profecto beatae vitae finem Apollo non adumbratum oraculi sagacitate conplexus est.*

Voc. *voluptatibus* glossam esse Kempfius Pighio credidit atque uncis inclusit vehementer errans, nisi me fallunt omnia. Pighii sententia iam hanc ob causam ea est quae merito scrupulum cuivis iniciat quod vix ac ne vix quidem credibile videtur, sciolum quamvis stupidum vocabulo notissimo, quale est *fructus*, tamquam explicatione aliqua indigenti glossam ascripsisse, verum lectionem bonam etiam ac genuinam esse apparebit si loco suo erit restituta, qui est in versu sequenti ante voc. *adumbratum*. Videlicet factum est id quod in libris Valerianis mss. saepissime obtinuit: in archetypo exarando librarius voc. *voluptatibus* per errorem omissum supra lineam appinxit, quae causa fuit ut scriba alterius codicum optimorum (L) vocabulum ad versum superiorem pertinere existimans *ruris fructibus voluptatibus contentus* exhibuerit — alterius (A) sive imprudenter sive consulto, quasi glossam a nescio quo additam, omiserit.

VII 2, 2 p. 323, 11 *nam et prospere gerendae rei facultatem*

Digitized by Google

omittere maxima dementia est et in angustias utique pugnandi compulsum abstinere se proelio pestiferae ignaviae adfert exitum.

Mutatione nulla illata editor in apparatu critico affirmat, Wenskium recte coniecisse sibi videri *pestifera ignavia* deletis verbis *adfert exitum*, ipsum tamen supra legere malle *maximae dementiae* et h. l. cum codd. *pestiferae ignaviae*. At verba *adfert exitum* nescio an non inducenda, sed emendanda sint: quidni *pestiferae ignaviae adfert exemplum*? Vid. p. 333, 7; 339, 9; 378, 19 e. a.

ibid. 22 *metuique debere ne acri aemulo liberata in eundem somnum revolveretur* (Italia sc.).

Legendum videtur *resolveretur* cl. p. 322, 25: quod animadverteret praepotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolvi.

VII 2 Ext. 7 p. 329, 19 *Aristophanis quoque altioris est prudentiae praeceptum, qui in comoedia introduxit remissum ab inferis † Atheniensium Periclen vaticinantem non oportere in urbe nutriri leonem, sin autem sit altus, obsequi ei convenire.*

Aristophanes cum Aeschylum in inferis enuntiantem fecerit (Ran. 1431 sq.):

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν·
ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν,

Toepfferus pro *Periclen* scribendum censuit *principem poetam* (sc. Aeschylum), ut nimirum Valerii verba cum Aristophaneis congruerent. At hercle vero ne sic quidem sibi responderent, quia apud poetam in ipsis inferis Aeschylus loquitur — apud nostrum locutor inducitur remissus ab inferis. Est operae pretium attendere animum ad ea quae Van Leeuwen (Aristoph. Ran. Lugd. Bat. 1896) ad locum annotavit; verbis enim Valerii descriptis (in quibus sane pro lectione in codd. omnibus tradita *Atheniensium* tacite *Atheniensem* substituit) haec ipse addit: „Quibus in verbis si Periclis nomen debetur lapsui memoriae, nihil est quod de hac re addamus; sed scimus in Eupolidis fabula Δήμοις Periclem revera ex inferis excitum in scenam prodiisse et de patriae rebus opinionem suam protulisse, is autem de *iuvene* Alcibiade aliquanto aptius interrogari ibi potuit quam

Digitized by Google

nunc Aeschylus vates de viro maturo". Suspicionem, quae Leeuwenio inde nata est, in Ranarum fabulae exitum cum aliis versibus spuriis nonnulla ex Eupolidis Δήμοις nescio quomodo irrepsisse, honoris causa commemoro, sed ipse incertiorem, immo audaciorem esse iudicio quam cui diu immoremur. Quae cum ita sint, equidem pro verbis, quibus Kempfius Toepfferi inventum reicit: 'mihi Pericles Valerii potius quam librarii errore intrusus videtur', haec ei respondere malim: nomen *Periclen* tangendum non est, sed memoria Valerium fefellit *Aristophanis* pro *Eupolidis* ponentem.

At vero lectione ista manifeste corrupta *Atheniensium* quid faciamus, quam alii *principem* — alii *ducem* addendo emendare studuerunt? Editor vocabulo crucem praefixit, quamquam Gertzium *Atheniensium* ⟨*populo*⟩ probabiliter coniecisse affirmat. At nihil omnino supplendum est, sed nomen, in versu sequenti post *urbe* scriptum, a librario neglectum, dein supra scriptum est, denique in versum superiorem migravit. Reponas igitur: *qui in comoedia introduxit remissum ab inferis Periclen vaticinantem non oportere in urbe Atheniensium nutriri leonem* et cf. p. 332, 4: Nihil etiam Agesilai facto saepientius, siquidem, cum adversus rem publicam Lacedaemoniorum conspirationem ortam noctu conperisset, e. q. s., ibid. 14: Magone enim Cannensis pugnae exitum senatui Poenorum nuntiante.

VII 2 Ext. 11 p. 331, 6 *Idem Aristoteles de semet ipsos in neutram partem loqui debere praedicabat.*

Quoniam e more Valeriano non est, postquam viri alicuius celeberrimi dictum factumve rettulit, alterum factum vel dictum eiusdem relaturus cum est, viri nomen repetere, nomen *Aristoteles* a nescio quo intrusum opinor. Cf. 327, 6 et 17; 328, 4; 471, 26 e. a.

VII 2 Ext. 16 p. 332, 16 *Magone .... anulos aureos trium modiorum mensuram explentes fundente, qui interfectis nostris civibus detracti erant, quaesivit* e. q. s.

Praefixum suum *ef-* verbo *fundente* reddendum est, quod propter similitudinem ultimae syllabae verbi *explentes* facile omitti potuit, neque aliter est apud Liv. XXIII 12 init.: ad

Digitized by Google

fidem deinde tam laetarum rerum effundi in vestibulo curiae iussit anulos aureos, qui tantus acervus fuit, ut metientibus supra tres modios explesse sint quidam auctores.

Quicumque utriusque scriptoris locos perlegerit, non dubitabit quin noster locum Livianum ante oculos habuerit.

VII 3 p. 333, 17 *Est aliud factorum dictorumque genus ... quod, nisi fallacia vires adsumpsit, finem propositi non invenit laudemque occulto magis tramite quam aperta via petit.*

Coniecturae Perizonii *fallaciae virus* et Torrenii *a fallacia vires* ab editore memorantur, sed una litterula addita loco satis superque consulueris; mihi quidem persuasum est Valerium scripsisse: *nisi fallaciae vires adsumpsit* coll. p. 335, 5: Scipio quoque superior praesidium calliditatis amplexus est, p. 353, 23: cedit ergo interdum generosus spiritus utilitati et fortunae viribus succumbit.

VII 3, 3 p. 335, 11 *namque ex his iuvenibus, quos secum tota Sicilia nobilissimos et divitissimos sed inermes habebat, trecentos speciosa arma et electos equos quam celerrime expedire iussit.*

Duabus de lectionibus a Kempfio in hisce dissentio: male eum recensuisse arbitror *tota Sicilia* pro *tota e Sicilia*, quod èt Iulius Paris commendat, qui reliquam Valerii narrationem ad verbum reddens *tota ex Sicilia* scripsit, èt p. 416, 23 verba: tota in urbe. Porro quod Gertzii coniecturam *inertes* pro *inermes* veram videri in apparatu critico declarat improbo: lectionem traditam optimam esse apparet e loco qui est p. 394, 4: ne ... vitam inermem exigant, deinde e Iulii Paridis fida totius loci repetitione, denique e Cic. de Fin. I 7, 22: Iam in altera philosophiae parte ... iste voster plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est. Cf. etiam Ov. Ibis 2: omne fuit Musae carmen inerme meae.

VII 3, 8 p. 338, 17 *quid illa necessitate miserius, quae magistratum populi Romani abiecto honoris praetexto alienigenae religionis obscuratum insignibus per urbem iussit incedere!*

Immo *per urbes*: nempe Volusium, proscriptus cum esset, Isiaci habitu tectum et per itinera viasque publicas stipem petentem in M. Bruti castra pervenisse supra cognovimus.

Digitized by Google

VII 3 Ext. 1 p. 340, 7 *summa in hoc † mansuetudo, in alterius regis equisone calliditas.*

Enumeratis coniecturis parum probabilibus, quibus hunc locum mutilum sanare multi iam conati sunt, Kempfius se nescire affirmat an mutata voce *mansuetudo* in *asinario* reliqua recte procedant. At sic tamen deest aliquid quod vocabulo *alterius* apte opponatur. Corrigendum puto: *summa in huius asinario, in alterius regis equisone calliditas;* huius (regis) = Alexandri, cuius asinarii calliditatem modo Valerius rettulit, alterius regis = Darii, cuius equisonis vafritiam iam est relaturus.

VII 3 Ext. 3 p. 341, 11 Bias ... ita aiebat oportere homines in usu amicitiae versari, ut meminissent eam ad gravissimas inimicitias posse converti. *quod quidem praeceptum prima specie nimis fortasse callidum videatur inimicumque simplicitati, qua praecipue familiaritas gaudet, sed si † altior initamini cogitatio demissa fuerit, perquam utile reperietur.*

Hunc locum in integrum nondum restitutum esse magnopere miror, quandoquidem sententia ipsa medelam quasi ultro suggerit, haec autem una tantummodo litterula mutata facile paratur. Quid de Biantis dicto cynico, ut nunc loquimur, Valerius iudicat? Praeceptum prima specie nimis fortasse callidum videri inimicumque simplicitati, qua praecipue familiaritas gaudet, sed perquam utile reperiri — quando? Nempe *si altior ista animi cogitatio dimissa fuerit*, h. e. magnam praecepti utilitatem statim perspicies, si eius considerationem nobiliorem, eius aestimiationem moralem, quam modo V. memoravit, seposueris.

Cf. p. 464, 25: opum magnitudine quam altiore animi sensu felicior, p. 412, 22: cuius stabiliendi mores altioris animi philosopho traderentur, Cic. ad Brut. 2, 3: numquam dimittere videtur cogitationem, cuius filius sit.

Simile vitium sed vice inversa a librariis commissum est p. 461, 30, ubi *dimisisset* pro *demisisset* scripserunt.

VII 3 Ext. p. 344, 3 *cum enim ... Furius Camillus maximus dux validissimo instructus exercitu venisset, universi ei togati obviam processerunt.*

In libris mss. cum exaratum sit *universi estogati* et Iulius

Digitized by Google

Paris posuerit *universi togati obviam venerunt* neque ipse pronomen *ei* addiderit, veram lectionem esse credo: *universi cives togati obviam processerunt.*

VII 4, 1 p. 345, 7 † *Omnibus militaribus copiis Tullus Hostilius Fidenas adgressus, ... Mettius Fufetius dux Albanorum dubiam et suspectam semper societatis suae fidem repente in ipsa acie detexit.*

Soloecismum alii aliter tollere sunt conati, verisimillimum tamen esse opinor post verbum *adgressus* praetermissa esse: *cum esset.*

VII 4, 2 p. 346, 15 *iuvenili calliditati senilis astutia respondit, si quidem re eximie delectatus Tarquinius, fidei autem nuntii parum credens nihil respondit, sed* e. q. s.

Inducendum est nomen *Tarquinius*, quod moleste abundat, collata etiam Iulii Paridis rei versione, ubi non legitur.

VII 5, 4 p. 352, 9 *eine ergo populus consulatum negare potuit, cui mox duas clarissimas provincias aut daturus erat aut debiturus, Achaiam et Macedoniam?*

Emblema manifestum quod est *Achaiam et Macedoniam* quantocius delendum est. Metellum videlicet de Pseudo-philippo triumphasse atque Achaici belli maximam partem profligasse Valerius modo exposuit.

VII 6, 1 p. 353, 24 *cedit ergo interdum generosus spiritus utilitati et fortunae viribus succumbit, ubi, nisi tutiora consilio legeris, speciosa sequenti concidendum est.*

Corrigendum est: *speciosiora.*

VII 6, 3 p. 355, 16 *sed, credo, deorum providentia* [*effectum*] *et venditori et emptori quem uterque merebatur exitum adtribuit.*

Pighio voc. *effectum* deleri iubenti editor merito obtemperavit: haud dubie glossa est voci *exitum* a nescio quo olim suprascripta.

VII 6 Ext. 3 p. 357, 25 *ex hoc nimirum hoste tanto duci poena*

Digitized by Google

magis quam victoria petenda fuit, quia plus vindicatus [*libertatis*] *quam victus gloriae adferre potuit.*

Male Kempfius Perizonio obsecutus voc. *libertatis* uncinis inclusit neque Foertschii propositum *dignitatis* probandum videtur. Veram lectionem esse credo: *salubritatis.*

VII 8, 2 p. 362, 20 *nam cum haberet duas simillimae probitatis filias Pletoniam et Afroniam, animi sui potius inclinatione provecta quam ullis alterius iniuriis aut officiis conmota, Pletoniam tantum modo heredem instituit.*

Loco mendum inhaeret. Scriptoris sententia tum demum recte significabitur, si aut verba *aut officiis* expunxerimus aut pro *alterius* substituerimus *alterutrius.* E duabus emendandi rationibus hanc adhibendam esse suspicor.

VIII 1, 3 p. 367, 19 *qui iudicabant ira perciti poenam hominis cupide expetebant.*

E lectionibus, quae pro *cupide* in codd. mss. sunt (*cupidinem* L — *cupidius* A — *cupide* ** A^2 et libri deteriores exhibent), suspicio mihi nata est, olim scriptum fuisse: *cupide omnes expetebant,* ut vs. 8 huius paginae est: qui omnium consensu periturus erat.

VIII 1, 11 p. 371, 3 *causa ... absoluta est, quia homines verebantur ne praecipuae accusatoris amplitudini damnatio eius donata existimaretur.*

Pro *homines* Foertsch coni. *omnes* — Kempfius post hoc vocabulum excidisse suspicatur *sapientissimi* vel *illum rem tum iudicantes.* Equidem supplere malim *verecundi,* quod ante *verebantur* omitti facile potuit.

ibid. 18 *adfirmavit enim se ob amorem pueri servi eo esse perductum.*

Voc. *servi,* utpote vocabuli praecedentis glossa, delendum est, cl. Iul. Par.: adfirmavit se ob amorem pueri eius (i. e. mariti) eo esse perductum. Cf. etiam p. 374, 2: qui pueruli sui nimio amore correptus, ubi Iul. Par.: quidam pueri sui nimio amore correptus.

Digitized by Google

VIII 2 p. 375, 10 *quorum magis aequitas quaestionum delectare quam immoderata turba offendere lectorem poterit.*

Iure Gertzius animadvertit, nullam esse in quaestionibus, sed in iudiciis aequitatem, neque tamen ea de causa voc. *quaestionum* exstirpandum iam esse illi Kempfioque monentibus astipulor, sed potius emendandum: *quorum magis exiguitas quaestionum* cet. Cf. p. 379, 17: Atque ut omnes iudiciorum numeros exequamur, quaestiones ... referamus.

ibid. 19 *Calpurnius ... M. Porcium Catonem ... arbitrum † cum Claudio adduxit formulam, quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona.*

Uno vocabulo *quidquid* transposito (traiectione enim, non emendatione opus est) hunc locum restituere me posse confido. Legas velim: *Calpurnius ... M. Porcium Catonem ... arbitrum cum Claudio adduxit formulam sibi dare, quidquid facere oporteret ex fide bona.*

Moneo lectionem *adduxit,* quam Cuiatius et Gertzius in *addixit* immutare voluerunt, defendi loco, qui est p. 376, 21: de qua re C. Aquilius ... iudex adductus, nec non Iul. Paridis versione: arbitrum cum Claudio sumpsit, manum autem secundam in cod. A infinitivum *sibi dare* illustrasse vel potius confirmasse scribendo: *ut formulam daret.*

VIII 2, 2 p. 376, 24 *quod si eadem formula Varro et damnari et ab adversaria absolvi potuisset, eius quoque non dubito quin turpem et inconcessum errorem libenter castigaturus fuerit.*

Foertschium Madvigiumque secutus Kempfius *ab adversaria* recensuit pro lectione in libris mss. ad unum omnibus tradita: *adversariae,* cum antea cum Torrenio vocabulum uncis inclusisset. At tamen codicum scripturam immerito suspicionem movisse credo: in hac eadem pagina vs. 2 legimus: *continuo illum Calpurnio damnavit*; quoniam igitur *damnare aliquem alicui* latine dici potest, me non videre confiteor quare *absolvere aliquem alicui* dicere non liceat.

VIII 3, 2 p. 378, 21 *itaque inusitatis foro latratibus adsidue tribunalia exercendo muliebris calumniae notissimum exemplum*

Digitized by Google

evasit, adeo ut pro crimine inprobis feminarum moribus C. Afraniae nomen obiciatur.

Pro *moribus* reponendum est: *oribus*.

VIII 7 p. 384, 2 † *quae* (sc. industria) *cum sit perfectissima virtus, duramento sui confirmatur.*

Coniecturarum copiam, quam ad hunc locum viri docti protulerunt, Kempfius in apparatu congessit, e quibus cum ne ulla quidem probabilis ei visa sit, lectioni traditae crucem praeponendam curavit. At quid tandem sit quod in hoc dicto multis displiceat numquam intellego; quidni interpretamur: industria, quae quia est (ipsa per se) perfectissima virtus, duramento sui confirmatur (neque incremento sive ex se ipsa seu ope aliena parato indiget). Si quid utique mutare velis, verba *per se* ante *perfectissima* excidisse conicias, quamquam necessaria non sunt (cf. p. 407, 1; 410, 17; 453, 25). Apte conferas p. 432, 16, ubi crudelitas effervescere dicitur, cum munimentum ex se ipsa repperit.

ibid. 22 *qua quidem industria ostendit aliis tempora decesse, alios* [*superesse*] *temporibus.*

Gertzio et Wenskio auctoribus editor verbum *superesse* delevit, cum ipse suspicatus esset *aliis superesse* (deleto vocabulo *temporibus*). At nihil in hisce delendum est, sed iustus verborum ordo revocandus; uno enim vocabulo *superesse* traiecto sic locum refingo:

ostendit aliis superesse tempora, decesse alios temporibus.

ibid. 24 *Terentius autem Varro humanae vitae expleto spatio non annis, quibus saeculi tempus aequavit, quam stilo vivacior fuit.*

Ista Wenskio obsecutus Kempfius dedit pro codicum scriptura *exemplo et spatio*, alii alia proposuerunt quae in apparatu memorantur. Legendum credo: Terentius autem Varro *humanae vitae exemplo* ⟨*eximius*⟩ *et spatio*, cl. p. 390, 19: eximia tamen hominis prudentia delectatus, p. 391, 14: atque ut longae et felicis industriae quasi in unum acervum exempla redigamus, p. 408, 24: et ipse nervosae vivacitatis haud parvum exemplum, p. 416, 10: ut senatus deinceps in eam provinciam ituris magistratibus exemplum

Digitized by Google

atque normam officii Scaevolam decreto suo proponeret, p. 449, 5: honorum omnium consummatione civis eximius.

VIII 7 Ext. 5 p. 389, 25 *sed ei Melissa, quam uxoris loco habebat, temperato* [*inter*] *studia non interpellandi et inediae succurrendi officio dexteram suam necessariis usibus aptabat.*

Praeeunte Madvigio Kempfius voc. *inter* inclusit spretis Gertzii conatibus *viri* vel *rite* vel *scite*. An forte: *intenta studia*? Cf. p. 458, 28: intento illas animo legens.

VIII 8 in. p. 394, 4 *illis, ne* † *propriae vitam inermem exigant, his, ut tempestiva laboris intermissione ad laborandum fiant vegetiores.*

In codice optimo *proprie* exaratum est — Halm *pro patria*, Madvig *propriam* scribi iussit. Fuit cum loci sententiam flagitare censerem: *perpetuo*, nunc tamen a sententia non alienum et quod ad palaeographiam attinet probabilius duco olim scriptum fuisse: *pro p. re* h. e. *pro re publica*. Cf. ea quae ad II 1, 2 p. 58, 2 et II 4, 4 p. 69, 9 (Mnem. Vol. 41 p. 140 sq.) a me exposita sunt.

VIII 10, 1 p. 398, 9 *Sed ut propositi fides in personis inlustribus exhibeatur, C. Gracchus, eloquentiae quam propositi felicioris adulescens*, e. q. s.

Voc. *propositi* cum intra brevissimum sermonis spatium bis positum sit, illud Gertzio merito suspectum visum esse Kempfius annotavit. Mihi vero potius hoc spurium videtur utpote ex illo male repetitum, quod defenditur etiam loco in p. 438, 3: cum propositi fides excellentissima quaeque conplecti moneat, atque Valerium scripsisse suspicor: *eloquentiae quam consilii felicioris adulescens*. Cf. p. 203, 17: prostratis enim iam et perditis C. Gracchi consiliis rebusque.

VIII 10 Ext. 1 p. 400, 7 *ergo etsi operi illius adici nihil potest, tamen in Demosthene magna pars Demosthenis abest, quod legitur potius quam auditur.*

Quin puerile illud additamentum *quod ... auditur* in marginem rursus relegandum sit equidem non dubito.

Digitized by Google

ibid. 9 XI. QVAM MAGNI EFFECTVS ARTIVM SINT.

Effectus etiam artium † recognosci posse aliquid adferre voluptatis, protinusque et quam utiliter excogitatae sint patebit.

Multi in hoc loco restituendo iam desudarunt, e quorum inventis, a Kempfio in apparatu enumeratis, alia soloeca, ingeniosa alia sunt, verum improbabilia omnia. Atque sane frustra laborem susceperunt, cum semel vocabula *recognosci posse* corrigenda esse sibi persuasissent, nam revera optime se habent, sed e titulo in contextam orationem per scribae errorem migrarunt. Sic enim locus sarciendus est:

XI. QVAM MAGNI EFFECTVS ARTIVM SINT RECOGNOSCI POSSE.

Effectus etiam artium aliquid adferre voluptatis protinusque et quam utiliter excogitatae sint patebit.

Similem tituli formam et alibi saepe animadvertere licet et in capitulo sequenti (p. 402): QVAEDAM NVLLA ARTE EFFICI POSSE.

VIII 11, 2 p. 401, 9 *Caesar Spurinnae 'ecquid scis idus iam Martias venisse?' at is 'ecquid scis illas nondum praeterisse?' abiecerat alter timorem tamquam exacto tempore suspecto, alter* e. q. s.

Scribendum puto *Caesar Spurinnae 'ecquid' inquit 'scis* cet. cl. Iul. Par.: 'ecquid scis' inquit, 'iam idus Martias venisse?' et in seqq.: *abiecerat alter timorem tamquam iam exacto tempore suspecto.*

VIII 11 Ext. 5 p. 402, 20 *Ceterum natura, quem ad modum saepe numero aemulam virium suarum artem esse patitur, ita aliquando inritam fesso labore dimittit.*

Corrigas quaeso: *ita aliquando inrito fessam labore dimittit.*

VIII 13 Ext. 4 p. 408, 18 *Arganthonius autem Gaditanus tam diu regnavit, quam diu etiam ad satietatem vixisse abunde foret.*

Verba *ad satietatem*, a nescio quo inserta, expungenda sunt. Gertzius vitio, quo locus laborat, ita occurrere voluit ut *vixisse ad satietatem* transponeret, sed vel sic voc. *abunde* facit ut verba *ad satietatem* molestissime abundare videantur.

VIII 14 Ext. 5 p. 413, 20 *ac bene consuluerant Ephesii decreto memoriam taeterrimi hominis abolendo, nisi Theopompi magnae facundiae ingenium historiis cum suis conprehendisset.*

Digitized by Google

Post *decreto* excidisse credo: *suo*, cl. p. 416, 11: ut senatus ... exemplum atque normam officii Scaevolam decreto suo proponeret, p. 452, 4: ne ad eam ullus honor suffragiis *suis* (omissum est in codd. optimis!) perveniret. Porro quod in libris mss. optimis *in abolendo* exaratum est, nescio an praepositio *in* olim ante voc. *historiis* scriptum fuerit atque in lineam superiorem infeliciter demigraverit.

VIII 15, 2 p. 414, 22 *tam hercule quam curia † superioris Catonis effigies illius ad cuius generis officia expromitur.*

Quod in hoc loco emendando viam aliam ingrediendam esse censeo atque alii multi ante me ingressi sunt animum meum incendit ut meam quoque opinionem in medium proferam. Qui longam coniecturarum seriem, quam Kempfius ad l. attulit, inspiciet, videbit omnes loco mederi conatos esse verba tradita mutando aut nova vocabula vel vocabulorum particulas supplendo. Mihi vero locus sanandus videtur duabus vocibus *effigies illius* post voc. *officia* transpositis:

tam hercule quam curia superioris Catonis (sc. *imagini*), *ad cuius generis officia effigies illius expromitur.*

VIII 15, 7 p. 416, 12 *Inhaerent uni voci posterioris Africani septem C. Marii consulatus ac duo amplissimi triumphi.*

Magnopere miror, quod editor pro codicum mss. scriptura *illi* de suo *uni* recensendum esse credidit. Semper et ubique Valerius rem vel hominem, de quo aliquid traditurus est, pronomine *ille* significare solet, cuius rei exempla afferre ne opus quidem esse opinor.

VIII 15, 8 p. 417, 1 *Iam quae in Cn. Pompeium et ampla et nova congesta sunt, hinc adsensione favoris, illinc fremitu invidiae litterarum monumentis obstrepunt.*

Ita Madvigio monente Kempfius locum constituit. Cum vero in libris mss. sit: *invidiam — obstrepuntur*, veram lectionem esse credo: *hinc adsensione favoris, illinc fremitu invidiae in litterarum monumentis obstrepuntur*, cl. Cic. Marc. 9: sed tamen eiusmodi res nescio quo modo, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur et tubarum sono.

Digitized by Google

IX 1 in. p. 419, 22 *Blandum etiam malum luxuria, quam accusare aliquanto facilius est quam vitare, operi nostro inseratur.*

Immo *mutare* cl. p. 420, 3: iungatur illi libido ... neque aut a reprehensione aut ab emendatione separentur. Cf. etiam p. 448, 8: satiusque duxit maximo scelere coinquinari quam pravos ac taetros mores mutare.

IX 1, 3 p. 421, 24 *quod si animi muliebris apparatus intueri potuissent, quibus cotidie aliquid novitatis sumptuosius adiectum est, in ipso introitu ruenti luxuriae obstitissent.*

Gertzii coniectura *animis* laudata editor se subdubitare dicit an *animi* a librario adiectum sit *muliebris* genetivo dictum putante. At *muliebris* revera pro genetivo casu habendum neque quicquam male additum esse aio, verum vocem *animi* emendatione egere. Legendum enim est: *mundi muliebris apparatus* (toiletartikelen), quod nemo negabit, qui totum capitulum attente perlegerit. Sequuntur nempe haec: „Sed quid ego de feminis ulterius loquar, quas et inbecillitas mentis et graviorum operum negata adfectatio omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur conferre?"

Cf. p. 231, 13: exequiarum apparatus, Liv. XXXII 40, 11, XXXIV 7, 9, Tertull. de hab. mul. 4.

IX 1 Ext. 3 p. 426, 3 *quanta, dum deliciis nimiis capitur, amplissimi imperii ruina evasit!*

Corrigere ne dubita *carpitur*, cl. huius paginae l. 23: quapropter deliciis tam enerves animi spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt, p. 425, 8: quid iis ergo vitiis foedius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, cet.

IX 2 in p. 427, 6 *crudelitatis vero horridus habitus, truculenta species, violenti spiritus, vox terribilis, omnia minis et cruentis imperiis referta.*

Pighius *ora minis* — Gertzius *lumina minis* coni., Kempfius an *omnia* delendum sit rogat. Immo, opinor, *omnino minis et cruentis imperiis referta.*

ibid. 14 *Sulla, quem neque laudare neque vituperare quisquam*

Digitized by Google

satis digne potest, quia, dum quaerit victorias, Scipionem [se] populo Romano, dum exercet, Hannibalem repraesentavit, e. q. s.

Madvigio iubente editor voc. *se* reiecit, at vero vix dubito quin verba *se populo Romano* insiticia sint; suspicio me tenet, formam interpretamenti prius fuisse: *sc. populo Romano* atque postea *sc* in *se* abiisse.

IX 2, 1 p. 428, 18 *quem ... non prius vita privavit quam oculos infelices erueret et singulas corporis partes confringeret.*

Praetulerim *infelici.*

IX 2, 2 p. 429, 8 *paene tanti victoriae eius* (C. Marii sc.) *non fuerunt, quarum oblitus plus criminis domi quam laudis in militia meruit.*

Voc. *paene,* quod quam inepte ibi positum sit facile vides, denique iam loco suo reddendum est in linea sequenti; legendum enim est: *paene plus criminis domi quam laudis in militia meruit.*

IX 2 Ext. 2 p. 431, 4 *idem* (Hannibal sc.) *captivos nostros oneribus et itinere fessos iam prima pedum parte succisa relinquebat.*

Quid sit *prima pedum parte succisa* non assequor neque multum praestare Gertzii coniecturam credo: *ima [prima] p. p. s.,* quae Kempfio vera esse videtur. Locum legenti mihi versus Ennianus in mentem venit:

his pernas succidit iniqua superbia Poeni,

atque quaerendum esse mihi visum est, cum Valerii narratio haud dubie ad idem factum pertineat atque Ennii versus, num forte noster, cum ei inter scribendum verba poetae in mentem venirent, *perna succisa* posuerit, nescio quis ad vocabulum minus usitatum illustrandum deinde verba *pedum parte* addiderit, quibus ut fieri solet in textum receptis scriba, cui voc. *perna* ignotum minusve notum esset, pro eo *prima* exaraverit. Accedit videlicet quod Iul. Paris locum ita reddidit: *iam pedum parte succisa* omissa voce *perna*: nempe ex indiciis duobus, quae apud Valerium invenit, sc. *perna* et *pedum pars,* id elegit quod melius norat.

Digitized by Google

Verba quae continuo sequuntur haec sunt:

quos vero in castra perduxerat, paria fere fratrum et propinquorum iungens ferro decernere cogebat neque ante sanguine explebatur quam ad unum victorem omnes redegisset.

in quibus voc. *victorem* inducendum est.

IX 3 Ext. in. p. 438, 5 *ceterum cum propositi fides excellentissima quaeque conplecti moneat, voluntas operi cedat, dum praeclara libenter probandi necessaria narranti conscientia non desit.*

Sunt ista quae editor e manus alicuius secundae scriptura (*probandi*), ex ambigua unius codicis lectione (*necessaria*), e Madvigii coniectura (*narranti*) consarcinavit, e quibus omnibus enuntiatum constituit cuius neque forma neque sententia cuiquam probari posset.

Ad traditam lectionem nobis confugiendum est ut quid agendum sit considerare valeamus; est autem haece:

dum praeclara libenter probanda necessaria narrandi conscientia non desit.

In his autem non nisi unum verbum desideratur ad eam sententiam revocandam quam quivis qui locum accurate percensuerit requiret.

Reponendum enim est:

dum praeclara libenter proban⟨ti improban⟩da necessario narrandi conscientia non desit.

h. e. dummodo mihi, qui res praeclaras semper libenter probo, si quando res improbandas narro, conscientia ne desit, me necessario eas narrare. Origo corruptelae manifesta est: oculi librarii, cum *proban* scripsisset, ad alterum *proban* aberraverunt ita ut litteras interiacentes omiserit.

IX 6, 1 p. 444, 8 *cuius filiam virginem ... Tatius ut armatos Sabinos in arcem secum reciperet corrupit.*

Conicio: *secreto reciperet.*

IX 7 Mil. Rom. 1 p. 447, 10 *Detestanda fori condicio, sed si castra respicias, aeque magna orietur indignatio.*

In his post *detestanda* excidisse videtur *ista*.

Digitized by Google

IX 10, 1 p. 451, 20 *Tribunus pl. M. Flavius ad populum de Tusculanis retulit, quod eorum consilio Veliternos Privernatesque † rebellaturos diceret.*

Iul. Paridem, cum scripserit: *quod eorum consilio Veliterni et Privernates rebellassent,* apud Valerium legisse suspicor: *rebellantes.*

IX 11, 5 p. 455, 5 *e quibus unus 'ab illo' inquit, 'quem tantopere diligis, demonstratus nostro ministerio filii indicio occideris'.*

Emblema manifestum *filii indicio* tollendum est.

IX 12 in. p. 458, 1 *nam et si eo bene uti velis, etiam parvum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando.*

Veram lectionem esse arbitror: *namque si.* Cf. p. 459, 7.

IUVENALIS SAT. 3, 23.

hic tunc Umbricius 'quando artibus' inquit 'honestis
nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
deteret exiguis aliquid, proponimus illuc
ire, e. q. s.

Verba *atque eadem cras deteret exiguis aliquid* editores quantum scio omnes nunc ita fere explicant: atque (res ea familiaris) cras rursus aliquid consumet de exiguis suis reliquiis. Interpretatio minime probabilis, quoniam res eadem primum minui (hodie minor est), deinde minuere (cras deteret) dicitur, neque intentio, quam pronomen *eadem* vocabulo *res* addit, opportuna esse mihi quidem videtur. Fortasse emendandum est pro *eadem*: *itidem,* ita ut adverbium *cras* verbi *deteret* fiat subiectum. Cf. Hor. S. II 3, 124:

quantulum enim summae curtabit quisque dierum.

P. H. D

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e pag.* 151.)

DE AMORE PROLIS [1]).

Libellum *de fraterno amore* hic in codicibus excipit. Sic aliquatenus intellegitur quomodo nata sit scriptorum horum moralium collectio quam nunc habemus. Huc illuc sparsae erant illae clarissimi philosophi ad amicos epistulae, orationes, diatribae;

---

1) Priusquam ad hunc libellum tractandum transeam ea, quae huiusce voluminis p. 137 (inde a verbis *sunt iis* l. 20) et sequenti (usque ad l. 7) leguntur, sic esse corrigenda moneo:

Sunt iis nomina Nigrinus et Quintus sed pro altero legendum est *Quietus* secundum Q. C. III, 1, 5, ubi in genitivo audit Κυήτου, atque idem illud nomen reddendum Macrobio (VII, 3, 15) pro *Quinto*, nam ét apud Macrobium (l. c.) et illo Quaestionum Convivalium loco iisdem fere verbis hoc documentum datur quanta ille integritate suae provinciae praefuerit:

> cum aegrotans de frigidis quereretur manibus, „atqui" amicus quidam inquit „calidas eas e provincia retulisti". Sic adversus illum iocari amicus poterat, gnarus probe eum intellecturum contrarium cogitari.

Denique *Quieto* (non Quinto e ci. Reiskii, Κόντε pro Κόντε legentis) dedicatus est praeclarus ille liber de S. N. V. Ad Nigrinum quod attinet, in promptu est coniicere eundem eum esse atque Avidium Nigrinum proconsulem, quocum per literas de re gravissima égit Domitianus (Plin. Epl. X, 65 sq.). Ergo et hic eo tempore fuit vir amplissimus. Atqui fratres sunt Nigrinus et Quietus. Inspice nunc C. I. L. VI, 3828 (= Dessau 6105). Legitur ibi ... dio Quieto. Non dubitabis quin recte Mommsenus lacunam literis *Avi* impleverit.

Avidiis ergo fratribus suum *de fraterno amore* dedicat libellum Plutarchus lepidissima urbanissimaque hac usus praefatione.

Digitized by Google

post mortem eius sedulo conquirebantur, conquisitae disponebantur coniungebanturque. Quo munere qui fungebantur grammatici philosophique interdum rem acu tangebant, velut cum librum *de superstitione* statim post *septem sapientium convivium* ponerent; ipsum hoc sic voluisse Plutarchum credibile est: cum in *convivio* admodum strenuus exstitisset miraculorum patronus, ne hoc libro ad nimiam credulitatem abriperentur homines, statim alterum adiunxit, cuius hoc esset primarium propositum ut demonstraretur minus esse impium eum qui omnino deos esse neget quam qui dirissima quaeque et turpissima de iis credat. Sed saepe externam speciem secuti et titulorum similitudine in errorem inducti inter se iunxerunt quae essent diversissima. Sic libellus *de fraterno amore* vitae plenus est: ipsam enim vitam spectat et ad mores hominum emendandos est utilissimus, ob eandemque causam lectu est iucundissimus et variis exemplis narrationibusque legentem detinet. Et subiungitur hic qui neque suavitatis neque utilitatis habet quidquam: docta docti est philosophi diatribe, qui nunc quidem de curandis sanandisque hominum mentibus non cogitat, philosophicam quaestionem quam accuratissime illustrare studet et in ea re neque labori neque chartae pepercit, nam dubium non est quin multo maior pars perierit. Sermo est admodum intricatus neque desunt loci ubi ingenii quoddam ostentandi deprehendatur studium. Aequales tamen Plutarchi, ut equidem opinor, doctum hoc et laboriosum opus impense admirati sunt. Cui si quis suum sibi inter Plutarchi scripta assignare locum velit, haud inepte cum libris ab eo contra Epicureos scriptis coniungat. Quaedam enim hic leguntur quae libri *adversus Colotem* nos admoneant.

Quae de singulis libri lectu tam difficilis locis observanda videantur haec fere sunt:

493 C Adeo a sua natura aberrarunt homines ut iam debeamus *ζητεῖν ἐν ἵπποις καὶ κυσὶ καὶ ὄρνισι, πῶς γαμοῦμεν αὐτοὶ καὶ γεννῶμεν καὶ τεκνοτροφοῦμεν.*

Aut sensu cassa haec sunt aut falsissima absurdissimaque. Sed vera et apta praebet interpres: „apud equos, canes et aves quaerimus quomodo nobis matrimonia *contrahenda*, proles *procreanda* et *educanda* sit".

Ut sana haec sententia in Graecis insit verbis lenissima emen-

Digitized by Google

datione γαμῶμεν et τεκνοτροφῶμεν legamus pro eorundem verborum indicativis.

Sequuntur haec:

ὡς μηδὲν ἐν ἑαυτοῖς δήλωμα τῆς Φύσεως ὂν τὰ τῶν θηρίων ἤθη καὶ πάθη προσαγορεῦσαι

quae cum praecedentibus non cohaerent. Reiskii supplementum καί, ante τά positum, probat Wyttenbachius, et certe sic vitium tollitur. Videndum tamen an non rectius illud καὶ ante ὡς ponatur. Mihi quidem in hac re hiatus impedimento non est. Insolite hic προσαγορεῦσαι positum est hoc fere sensu: convertere se, appellare, consilium inde petere. Vitium subesse non credo.

ib. (Natura nostra) πρὸς πολλὰ μιγνυμένη δόγματα καὶ κρίσεις ἐπιθέτους ποικίλη γέγονε καὶ ἰδία.

Quae sint κρίσεις ἐπίθετοι intelligere mihi videor. Sunt iudicia aliunde, non ex nostra ipsorum mente, petita. Conferatur quod de vocabuli κρίσις significatione annotavi ad priorem partem disputatiunculae libello *de fraterno amore* praemissae. Sed ἰδία mihi ferendum non videtur, licet annotet editor: ἰδιάζουσα ἑκάστῳ. Hanc enim vim adiectivum illud neque habet neque potest habere. Quid requiratur docet quod continuo sequitur: τὸ δ' οἰκεῖον οὐ τετήρηκε. Requiritur ergo aliquid quod τῷ οἰκείῳ opponatur, ἴδιος vero et οἰκεῖος tantum non synonyma sunt. Ipsum vocabulum non praesto. Nam ἀλλοτρία a ductibus literarum traditarum nimis remotum est.

493 D Ne miremur εἰ τὰ ἄλογα ζῷα τῶν λογικῶν μᾶλλον ἕπεται τῇ Φύσει· καὶ γὰρ τὰ Φυτὰ τῶν ζῴων, οἷς οὔτε Φαντασίαν οὔθ' ὁρμὴν ἔδωκεν ἑτέρων ὄρεξιν τοῦ κατὰ Φύσιν ἀποσαλεύουσαν.

Admodum molestum quod legenti verbi ἔδωκεν subiectum petendum est ex Φύσει. Diu frustra quivis illud quaerat necesse est. Sed prorsus non ferenda sequentia, quae arenae sine calce instar sunt. Annotat editor Emperium pro ἑτέρων proposuisse ἐνεργόν, quod vix credo, nam illa vox ad totam sententiam non quadrat, sibi autem magis placere ἢ ἑτέρων, quod mihi quidem languidissimum videtur. Suspicor totum istud ἑτέρων ὄρεξιν natum esse ex annotatione quae legentem certiorem fecerit pro

Digitized by Google

ὁρμήν exstare *variam lectionem* ὄρεξιν. Si in marginem erit reiectum, optime procedent omnia.

ib. Parum elegans hoc quod cetera animalia (praeter hominem) primum cum nave comparantur, quae movetur quidem sed ancora retinetur, deinde dicuntur tamquam frenis et habenis regi ita ut rectam teneant viam.

493 E Illa naturam sequuntur neque alia legum praemia poenasque respicientes neque τιμὰς τρίπαιδας.

Optime ultimum vocabulum correxit Dochnerus, vir acutissimus, τριπαιδίας reponens. Lepidissime additur:

ὡς Ῥωμαίων πολλοὶ γαμοῦσι καὶ γεννῶσιν, οὐχ ἵνα κληρονόμους ἔχωσιν ἀλλ' ἵνα κληρονομεῖν δύνωνται.

Agnoscis hic scriptorem qui vitae haud parvam partem Romae degerit.

494 A Omnia quae ad animalium graviditatem partumque pertinent enarrare pudor me vetat

πλὴν ὅτι γίγνεται ἕκαστον αὐτῶν ἐν τῷ Φιλοστόργῳ, ταῖς προνοίαις, ταῖς καρτερίαις, ταῖς ἐγκρατείαις.

Prorsus me fugit cur editor commemoret tantummodo, non recipiat in textum egregiam Emperii emendationem ἕκαστον αὐτῶν ἕν. An ullam putat excogitari posse rationem qua ista praepositio defendatur?

494 B Nidum suum accuratissime perfectum alcyon ἀκριβῶς ὑπέθηκε τῷ κλύσματι τοῦ κύματος. Operam perdit infelix avis, si tamen *mergitur* nidus, neque ad eam rem magna opus est cura (ἀκριβῶς). Repone cum Doehnero ἐπέθηκε.

ib. Tam accurate autem illae aves nidum ad sui corporis mensuram construunt

ὥστε ... μηδὲ θάλατταν παραδέχεσθαι μηδὲ τὰ ἐλάχιστα.

Iure editor malit παρεισδέχεσθαι. Sequitur:

μάλιστα δ' οἱ γαλεοὶ ζῳογονοῦσι μὲν ἐν ἑαυτοῖς κτέ.

Istud μάλιστα quorsum pertineat in tenebris latet. E corrupto praecedenti τἀλάχιστα natum suspicor, Plutarchum autem scripsisse οἱ δὲ γαλεοὶ ζ. κτέ.

Digitized by Google

494 F Quotidie ante oculos sunt gallinae et aliis rebus pullis suis prospicientes èt *προσέρποντα πανταχόθεν ἀναδεχόμεναι.*

Delectant me pulli isti *reptantes.* Sustulit ineptias Doehnerus *προστρέχοντα* legendo.

ib. *κύνας δὲ καὶ δράκοντας, ἂν περὶ αὐτῶν Φοβηθῶσι, Φεύγουσι.*

Fabulosas bestias ab hoc loco alienas puto, sed quid pro *δράκοντας* sit legendum non definio.

ib. Denuo in *animalium* nomine turbatum est, ubi hanc partem disputationis suae sic concludit scriptor: et putemus haec omnia sic naturam creasse

ἀλεκτορίδων ἐπιγονῆς καὶ κυνῶν καὶ ἄρκτων προνοοῦσαν

et non prospicientem hominibus eosque exemplis monentem?

Quandoquidem in praecedentibus *non* fuit sermo de canum fetu, et hic siletur de alcyonibus, de quibus accurate est disputatum, dubium non est quin pro *κυνῶν* recte Doehnerus *ἀλκυόνων* reposuerit.

495 A Admodum raro vocabulorum usu hic inter se opponuntur: *οἱ ἑπόμενοι,* ii qui naturae obtemperant, et *οἱ ἀνάλγητοι,* ii qui praecepta eius exemplaque nihil curant.

495 E *γῆν ἐν Φυτοῖς ὀργῶσαν ἐν καιρῷ παρέχειν* nihili est, licet annotet editor: „*ἐν Φυτοῖς* i. e. *ἐπὶ τῶν Φυτῶν* frustra tentatur", nam ista explicatione nihil proficimus. Dele prius *ἐν* ex errore in Plutarchi textu frequentissimo natum: oportet in tempore agrum tamquam cupidum concipiendi praebere *semini.*

495 F Contorte admodum et nimio ornatu obscure haec dicuntur de foetu quae in utero alitur:

ἄχρι οὗ τοὺς προσήκοντας ἀριθμοὺς τῇ ἐντὸς αὐξήσει κυηθὲν ἑτέρας ἀνατροφῆς καὶ χώρας δέηται.

ib. Tum vero natura

ἔχει παρεσκευασμένας οἷον ἐγγείους ἢ τινας κρήνας νάματος ἐπιρρέοντος.

Deliberandum etiam fuit editori ut certam probaret Reiskii

Digitized by Google

emendationem ἤ delentis. Et tamen ne nunc quidem in textum eam recepit!

496 A Lepide de eadem haec dicuntur:

εὐμενὲς τῷ τοῦ νηπίου στόματι καὶ προσφιλὲς ψαῦσαι καὶ περιλαβεῖν ἐνδίδωσι ταμιεῖον

nisi quod simplici verbo δίδωσι opus hic est.

496 D Versus Iliadis (Λ 269 sqq.) quibus parientis dolores describuntur non Homerum scripsisse sed Homeridem quandam

λέγουσι τεκοῦσαν ἢ τίκτουσαν ἔτι καὶ τὸ μῖγμα τῆς ἀλγηδόνος ... ἐν τοῖς σπλάγχνοις ἔχουσαν.

Praeclara est Reiskii emendatio νύγμα legentis pro absurdo μῖγμα. Sed ne sic quidem locus est persanatus. An quisquam tam insanus fuit unquam ut *parientem* fingeret versus facientem, atque adeo *etiam* (ἔτι) parientem? Restituetur manus Plutarchi si sic legemus: λέγουσιν, ἔτι τὸ νύγμα τῆς ἀλγηδόνος ... ἐν τοῖς σπλάγχνοις ἔχουσαν, cetera sciolo reddemus.

Adduntur haec: ἀλλὰ τὸ φύσει φιλόστοργον ἔκαμπτε καὶ ἦγεν.

Nollem editor hic pro ἦγεν coniecisset, ἦγχεν, quo nihil minus aptum potuit excogitari. Aptissime contra κάμπτειν καὶ ἄγειν inter se iunguntur: a mala abducere via et ducere recta.

496 E Recens natum infantem mater statim fovet refrigeratque

τίνων ταῦτα μισθῶν ἢ χρειῶν ἐκείνοις; ἀλλ' οὐδὲ τοῖς νῦν.

Omittit haec interpres; certe ista ἐκείνοις et τοῖς νῦν admodum obscura sunt. In praecedenti tragici fragmento quae sint σπαργάνων ἐρείπια frustra quaero.

497 A Lepide perstringuntur heredipetae *Romani*, quos ex Horatio, Luciano, Martiale aliis tam bene cognitos habemus. „Divites" ait „cur liberos habere cupiunt? Num ut ab iis adultis alantur ipsi? An ut habeant heredes?"

οὐ γὰρ ἔστιν εὑρεῖν οὐδ' ἐπιτυχεῖν τοῦ τἀλλότρια βουλομένου λαμβάνειν.

Optime haec sic vertit interpres: „*scilicet*, quia non licet invenire qui aliena accipere velit".

Digitized by Google

497 B Danaus quinquaginta filiarum pater

εἰ ἄτεκνος ἦν, πλείονας ἂν εἶχε κληρονομοῦντας; καὶ οὐχ ὁμοίως.

Addit *ἀχαρίστους* Reiskius. Leniori emendatione *ὁμοίους* legemus: non similes, i. e. meliores.

497 C Facile quamvis multos amicos inveniunt non omnes divites sed divites orbi:

τούτους οἱ πλούσιοι δειπνίζουσιν, οἱ ἡγεμόνες θεραπεύουσιν, οἱ ῥήτορες μόνοι; τούτοις προῖκα συνηγοροῦσιν.

Haec sic refingenda censet editor: *τούτους* (orbos), *εἰ πλούσιοι, δειπνίζουσιν οἱ ἡγεμόνες, θεραπεύουσιν οἱ ῥήτορες, μόνοις κτέ.*

Frustra, ut opinor. Sua cuique danda sunt, nunc singula de ceteris, bina de oratoribus enuntiantur. Quid autem ducibus et magistratibus cum cenis? Epulis excipere proprium est divitum; ducum autem et imperatorum coli et observari, orbos vero pecuniosos colunt ultro observantque.

ib. Postquam satis iam demonstravit solam naturam facere ut liberos ament parentes, sic pergit:

ἐξαμαυροῦται γὰρ καὶ ταῦτα καὶ πολλὰ τῶν ἄλλων ὑπὸ τῆς κακίας.

Nullus hic particulae *γὰρ* locus: ad *alia* enim transitur. Lege ergo *δέ* cum Amyoto.

AN VITIOSITAS AD INFELICITATEM SUFFICIET.

Si quis unquam exstiterit qui omnino sibi incredibile videri declaret vel fraude vel casu scriptoris antiqui libris spuria quaedam esse admixta — et quam opinionem nunquam ab ullo mortalium prolatum iri pro certo affirmare possumus? — is mihi legat ineptias quas hicce *περὶ κακίας* et *κακοδαιμονίας* libellus Plutarcho obtrudat: statim sententiam mutabit. Habemus enim hic meras nugas quisquiliasque, quas sophista aliquis a Plutarcho quam diversissimus effundens paratum sibi speravit legentium audientiumque plausum. Et tamen in sola Didotiana asteriscum appictum titulo videmus. Ergone neque Wyttenbachio

Digitized by Google

neque Bernardakio quidquam suboluit? At damnare libellum non dubitavit Naberus. Dixeris ergo meis iam argumentis opus non esse. Certe ipse mihi non is videor qui Naberi suscipiam patrocinium. Sed paucis verbis defunctus ille est; res ipsa autem haud indigna est de qua accuratius disputetur, cum praesertim videamus aliorum, eorumque maxime idoneorum, iudicum et fuisse et esse etiamnunc contrariam sententiam. Age ergo litem hanc, nam *litem* esse apparet, tandem aliquando ad exitum perducere conemur!

Naberum hoc prae ceteris movet, et hoc solo utitur ille argumento, quod de Decio absurdissima hic traduntur et quae ineptum in modum recedant a pervulgata narratione. Et sunt profecto absurdissima illa et Plutarcho prorsus indigna. Sed ut quam sint inepta et insana penitus *sentiatur* — nam *sentiuntur* eiusmodi res magis quam certis argumentis demonstrantur — totum caput, ubi leguntur, considerandum est. Quod qui fecerit non poterit non mirari talia unquam pro Plutarcheis venditari potuisse. De toto ergo capite illo (tertio) nostris referamus verbis.

Inducitur ἡ κακία („vitiositatem" eam appellat interpres, et utendum nobis eo est vocabulo, quoniam melius aliquod in promptu non est), Vitiositas ergo inducitur cum Fortuna disputans ut demonstret ab illa sola hominem miserum reddi non posse. Atque sic fere suam agit causam:

„Paupertatemne minaris, Fortuna? Ridet te Metrocles qui hieme in ovium stabulis, aestate in vestibulis templorum noctem degens Persarum rege sibi beatior videretur, licet hibernam ille haberet regiam Babylone, aestivam in Media".

Hic mihi paulisper subsistendum est. Si quidquam in his probandum, equidem probanda censeo *stabula* illa *ovium*. Quid enim aptius mendico vel vero vel simulato quo hieme sub noctem confugiat? Nonne is ad summam redactus aut est aut videtur paupertatem, qui ne inter immundissima quidem animalia somnum capere reformidet? Haud ita Usenero visum qui pro Graecis vocabulis ἐν τοῖς προβάτοις reponi iussit ἐν τοῖς πριβάτοις i. e. in balneis privatis. Hic notum illud „distingue" usu venit. Ipse Plutarchus vocabulis utitur latinis, sed raro et cum ipsa res de qua agitur tantum non cogit uti. Sic in libello de vitando aere alieno *Kalendarum* nomen legitur, aptissime: ante

Digitized by Google

oculos enim nunc pastor noster ovibus suis ponit pericula iis impendentia nisi cavebunt sumptibus suis excedere reditus terminos: tum enim aes alienum contrahere debebunt, quae res quantum habeat mali certo experientur tempore, nunquam enim deerit vir ille metuendus qui eos *Kalendarum* admoneat; nam in provinciis foeneratores plerumque erant equites *Romani*, et *Romanis* tota res peragebatur legibus, ergo tunc Graeculis *Kalendae* aeque erant notae atque olim ἡ ἐνὴ τε καὶ νέα. Tum latinis utitur vocabulis Plutarchus cum de rebus agit Romanis aut certe Romanis magis quam Graecis: tum enim ea vocabula magnam habent persuadendi vim. Hic vero cur *privata* potius quam ἴδια vocet βαλανεῖα? Et quis mendicus tam est praeposterus et perversus ut multo labore privata effringat balnea, publica, etiam patentia, praetereat? Stabula autem ovium hieme et calorem praebent et haud magno aperiuntur labore; aestate, cum pecus in montes acta est, aut omnino nulla sunt — magna enim eorum pars in tempus e lignis componitur — aut ita iacent neglecta ut pluvialem aquam non arceant. Tum templorum vestibula perfugium praebent gratumque frigus. Non fuit iste Plutarchi imitator — nam cum imitatore Plutarchi hic nobis res est — adeo ét in Plutarcho ét in sui temporis vita ipsa hospes ut ista omnia ignoraret.

Pergamus, nam pergit Vitiositas et sic declamat:

„An servitutem affers, vincula, forum venale? Contemnit te Diogenes ille qui, cum a praedonibus venumdabatur, exclamabat: quis dominum vult emere? An venenum misces?"

Etiam in sermone Graeco mirum quantum impostor hic turbet: κύλικας Φαρμάκου ταράττεις ait.

„An venenum misces? Nonne et Socrati illud propinasti, nonne ille ebibit impavidus, lenis, placidus, neque colore neque habitu mutato? Post mortem vero eius *vivi* (profecto sic Graece legitur: οἱ ζῶντες) beatum eum praedicabant (mirum ni *mortui* id fecerint!) quod ne apud inferos quidem sorte cariturus esset divina? Ignem tibi praeripuit Decius Romanorum dux, qui inter duos exercitus exstructo rogo *ex voto* se immolavit Saturno pro patriae principatu".

ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας ait. Nonne sic ea sunt verba latine vertenda ut ego verti? An prorsus sensu cassa sunt? Sed quae

Digitized by Google

insania hunc egit hominem ut inter se confunderet Decii mortem et ... Peregrini? Confudit tamen et sic omnem nobis ademit facultatem credendi genuinum hoc esse Plutarchi opusculum. Quinquaginta enim post Plutarchi mortem annis se *ex voto* Peregrinus in ignem iniecit ardentem, quod neque ante neque post illum fecit quisquam.

„Uxores apud Indos, quae quidem maritos suos amant probaeque sunt, de rogis inter se pugnant certantque, quaeque victoriam reportavit et cum viro suo crematur, eam felicem vocant ceterae".

Mira hic declamator utitur vocabulorum structura: *τὴν νικήσασαν ... συγκαταφλεγῆναι.*

„Neque quisquam ibi sapientium beatus felixque videtur qui non vivus, mentis compos, sano corpore, igne animam a corpore separavit, purusque excedat e carne, postquam *abluit* quidquid habebat mortale".

ἐκνιψάμενος τὸ θνητόν. En hoc est Graece scribere!

„An a divitiis, regia, cena opipara lautaque compellere vis ad peram mendicorumque panem? Hoc Diogeni felicitatis, Crateti gloriae fuit initium. An cruci affiges palove? Quid Theodori interest utrum humi putrescat an supra terram?"

Credatne, obsecro, quisquam talia a Plutarcho scribi potuisse?

Et tamen, quamvis absurdum hoc caput sit, aliquid certe quod minime est spernendum hinc potest protrahi. Scriptor hic — et quam ineptus ille sit nunc quidem non refert — qui haud dubio Plutarchum se esse mentitur, ergo aliquanto *post* Plutarchum vixit, cum demonstrare vult ne crucem quidem infelicitatis esse causam posse, nullum aptius afferre argumentum potest quam dictum illud agreste et vere cynicum Theodori. Ne fando quidem quidquam audivisse videtur de fidelibus illis qui Magistri sui crucem summam putant gloriam summumque decus.

Considerandum hunc locum relinquo viris doctis qui vetustissimae Christianismi operam dant historiae.

Denique quo melius appareat e quo genere scriptorum iste sit: cum dicere vult: „Vitiositas non latronum opera utitur qui hominem excipiant in montium anfractibus locisque solis, non grandine qui vastet segetes", sic blaterat:

Digitized by Google

οὐ λῃστῶν ἐνοδίοις διαζώννυσιν ἐνέδραις ἐρήμους ὑπωρείας, οὐ νέφη χαλαζοβόλα πεδίοις περιρρήγνυσι καρποφόροις.

Et sunt cetera ad eandem normam. Sequitur hic aliquid quod certa emendatione corrigi et possit et debeat. Nam cuicuimodi iste nebulo fuit, *intelligi* certe voluit:

οὐ Μέλητον οὐδ' Ἄνυτον οὐδὲ Καλλίξενον ἐπείγει συκοφάντην.

Illud ἐπείγει Bernardakii est pro tradito ἐπεί τι. Quanto Wyttenbachii certa emendatio ἐπάγει praestat!

Cetera cum pulvisculo excutere piget taedetque.

ANIMINE AN CORPORIS AFFECTIONES SINT PEIORES.

Hoc quoque fragmentum levem quidem et tantummodo titulum aspicienti sed tamen aliquam movet de auctore dubitationem. Quae cuiusmodi sit paulo accuratius exponere lubet. Novimus omnes librum illum *de frigoris origine* sive, ut Graeca hic verba verti solent, *de primo frigore*. Ibi variae sententiae:

a frigus est caloris deminutio
b „ „ aer frigidus
c „ „ aqua frigida
d „ „ terra frigida

proponuntur et sola earum prima plane ut levis futilisque damnatur, ceterae quam accuratissime tractantur defenduntur que, atque ita ut quae scriptori maxime placeat haudquaquam appareat, totaque disputatio sic clauditur:

„hanc opinionem (frigus esse terram frigidam) ceteris oppone. Quod si illis minus probabilis videtur, immo vero nisi ceteras probabilitate longe videtur superare, missas fac omnes, philosopho dignius esse ratus in rebus incertis iudicium differre quam se huic vel illi sectae addicere"

En hic habemus philosophum qui non solum Academicus est sed etiam βούλεται εἶναι τοιοῦτος, cui ἐποχή illa non tristis quaedam videtur necessitas, quam aequi bonique vir vere sapiens consulere debet, sed qui illud putat omnis philosophiae propositum, quo naviter et ex animi sententia cuivis docto sit tendendum. Tam Academice atque adeo tam Sceptice vix unquam

Digitized by Google

audimus Plutarchum disputantem, neque mirum est exstitisse virum doctum qui contenderet non tam suam quam alienam hic defendere Plutarchum opinionem. Iohannes Schroeterus ille est, qui nuper libello eleganter scripto, apte disposito atque bonae frugis pleno (prodiit ille Lipsiae ex aedibus Dicterichianis) demonstrare conatus est Plutarchum non sponte iniisse viam illam quae *a dubitatione ad fidem* [1]) ducat sed Philonis vestigia secutum. Ita se rem habere equidem infitias ire nolim, sed non est cur ob eam causam Plutarchum contemnamus. Etenim quamvis doceat idem Plutarchus quod Philo, ne hic quidem quidquam docet quod non ipsi sit persuasissimum, et longe longeque auctorem suum superat, tenebrionem istum qui suis allegoriis omnia perturbat obscuratque.

Sed scriptus est liber ille *de primo frigido* Favorino philosopho *sceptico* et inter scripta Plutarchi singularem tenet locum. Certe nullum novi quod nobis ita *meram* praebeat doctrinam, eam doctrinam quam *doctrinae causa* exerceri aiunt, quam ceteroquin Plutarchus minime solet habere in deliciis, neque ullum quod tam aperte uni tantummodo sit homini destinatum eique non minus docto quam ipse est scriptor. An *iuniori* hic in re philosophica socio Plutarchus specimen dare vult quomodo agendum illi sit qui difficilem aliquam quaestionem quam accuratissime tractare velit?

Quocunque modo se res habet, quin Plutarchi liber ille sit neque dubitat quisquam neque potest dubitari: tanta est cura tantaque diligentia elaboratus — etiam hiatus sedulo vitantur — ut affirmare liceat non potuisse eum ἀχείφαλον errare inter homines, hunc qui scripsit strenue dedit operam ut sibi vindicaret opus unde tantum laudis posset sperari gloriaeque. Eiusmodi liber qui auctor *fertur* auctor *est*. Accedit indicium unum minime spernendum: hic quoque habemus flosculum illum quo adeo delectari solet Plutarchus de aqua e puteo hausta iterumque demissa sed ita ut urna qua hausta est superficiem aquae, quae est in puteo, non tangat: haustam tum aquam frigidiorem aqua putei esse docet.

Sed alia est illius libri et nostri fragmenti causa. Litem *de*

1) Germanice: „von der Scepsis zum Offenbarungsglauben".

Digitized by Google

primo frigido a Plutarcho non dirimi facile ferimus; utrum esset aqua illud an aer an denique terra, quamvis docte de ea re disputaverit, parum eum curasse consentaneum est. Facile se poterat hic communem praebere omnibus iudicem, qui aequo esset quemvis litis exitum laturus animo. Ad mentes hominum tota illa quaestio non pertinet. *Sana* mente esse potest qui aerem primum frigidum esse putat non minus bene quam qui pro aqua vel terra hic pugnat. At nunc vix auribus nostris credimus hoc *rogare* Plutarchum utrum peiores sint animi an corporis affectus, tamquam si de ea re ulla possit esse dubitatio. Vel *poni* ab eo eiusmodi dilemma est quod miremur, nam quisquis unquam de ea re dubitavit, nunquam noster dubitavit mentium medicus. Sed est *fragmentum* tantummodo, idque non plus quatuor paginarum, quod ubi perlegisti, omnem tibi exemptum sentis scrupulum: nihil habet vel in sermone vel in ornamentis orationis quapropter spurium nobis videri possit, contra haud pauca in quibus statim peculiare illud scribendi genus atque adeo ipsum agnoscas Plutarchum. Ii citantur poetarum loci quos prae ceteris semper in ore habuisse nostrum ex aliis eius libris novimus, illud

κινοῦσα χορδὰς τὰς ἀκινήτους Φρενῶν,

Agaves carmen quod occiso cecinit filio

ἄγομεν ἐξ ὄρεος,

adhortationem qua homo mente perturbatus placatur:

μέν', ὦ ταλαίπωρ', ἀτρέμα σοῖς ἐν δεμνίοις.

Ipsum mentium medicum semper arti suae intentum hic videmus (501 B):

„qui corpore laborant ipsi medicos vocant, sentiunt enim quibus rebus sibi adversus morbos suos opus sit; at quorum mens aegra est ii *philosophos* fugiunt, in ipsis enim rebus illis, in quibus peccant, recte sibi agere videntur".

Pars vero ipsius vitae, quae tunc fuit hominum in provinciis Romanis, tamquam in tabula nobis proponitur in hisce (501 E F):

„Sed quid opus est animorum affectus enumerare, quorum ipsum quod nunc adest tempus nos admonet? Videtis magnam illam promiscuamque hominum multitudinem, quae nunc *huc* confluxit in forum et circum tribunal: pulsantur et alius alii impinguntur. Non ut patriis rem divinam facerent diis conve-

Digitized by Google

nerunt, non ut simul gentilibus uterentur sacris, non *Ascraeo* Iovi Lydiorum ferunt fructuum primitias, non Baccho nocturnas celebrant ferias communibusque funguntur orgiis; sed certo anni tempore morbi quodammodo vis summa Asiam exasperat et *huc* compellit ad iudicia litesque, quibus suus est constitutus dies. Tum, ut fluminum, causarum multitudo in unum incidit forum fervetque, certamina fiunt *perdentium* et *pereuntium*, ut ait Homerus".

Huc — huc, ἐνταῦθα ... ἐνταῦθα. Sic solet Plutarchus pro ἐνθάδε. Sed quo, quaeso? Romamne? Non opinor. Quid enim Romae cum Baccho et praesertim cum *Ascraeo* illo Iove? [1]) Et cum sic uno vocabulo ἐνταῦθα locum, ubi cum maxime versatur, Plutarchus iudicat, aut de sola cogitat Chaeronea aut certe de patria sua Boeotia. Ergo ita res se habere videtur ut praetor Achaiae stato tempore, atque eodem, quo magnae ibi in honorem indigenarum deorum celebrantur feriae, Delphis considat, ibique dirimendis vacet controversiis privatis, non Graecorum modo sed etiam Asianorum, qui mox deorum cum omnium tum Boeotorum obliti internecivum inter se gerunt bellum.

Denique ne mireris in idem huncce receptum libellum volumen, quod et librum *de tranquillitate animi* continet, atque adeo ut mireris non statim post illum esse positum, lege mihi quem sibi scriptor suae disputationis promittat fructum (500 C):

οὐ μικρὸν πρὸς εὐθυμίαν ὄφελος.

Profecto, si integer ad nos liber pervenisset, multa hic quoque haberemus exempla atque praecepta ad sanandas hominum mentes utilissima.

Quae ad singulos annotem pauca sunt et eiusmodi ut plerumque cur haeream dicam, raro difficultatem tollere coner.

500 C Homerus nullum dixit in terris vivere animal ὀιζυρώτερον ἀνδρός. Nos vero hominem secum ipso comparemus ὥσπερ ἤδη νικῶντα κακοδχιμονίᾳ ... καὶ τῶν ἄλλων ἀθλιώτατον ζῴων ἀνηγεροεσυμένον.

Scio interdum sic superlativum pro comparativo poni et cum

---

1) In Plutarchi Moralibus hoc loco solo deus ille commemoratur. Qui praeterea in *indice nominum* apud B. hic inveniuntur numeri, ii a nomine Ἀσκληπιός aberrarunt.

Digitized by Google

genitivo τῶν ἄλλων (hoc sensu: *quam* alii) iungi, ut hoc significetur: „*multo* melior, peior simm.", sed hic, ubi in *comparandi* ratione tota res vertitur (αὐτὸν ἑαυτῷ συγκρίνωμεν), crediderim solito librariorum errore ἀθλιώτατον ex ἀθλιώτερον natum.

Tum „certamen instituamus corporis animique de suis malis" ait. „Non inutilis ea res sed qua maxime nobis opus est; scire enim oportet: πότερον διὰ τὴν τύχην ἢ δι' ἑαυτοὺς ἀθλιώτερον ζῶμεν".

Miramur hic subito *fortunae* iniici mentionem, sed quomodo decurrat disputatio sat bene tamen intelligimus. Sic enim pergit: „in corpore morbus oritur *natura*, mentis pravitas incipit eius esse opus, deinde morbus eius fit".

Hoc est: „si corpore laboramus, morbi causa extrinsecus est allata, ergo tunc habemus cur accusemus fortunam; si mente, morbi causa in nobis ipsis latet, ergo tunc praeter nos ipsos nihil aliud accusare possumus".

Continuo sequitur οὐ μικρὸν δὲ πρὸς εὐθυμίαν ὄφελος, quae verba iam laudavimus tamquam totius libri consilium — et consilium Plutarcho dignissimum! — in clara ponentia luce. Sed quae adduntur ea probare non possum. Quid enim suam sibi animo tranquillitatem reddere dicitur?

ἂν ἰάσιμον ᾖ τὸ χεῖρον.

Hic nimiam brevitatem aequi bonique consulo, quamquam admodum obscure scriptor significat se non solum peiores animi quam corporis esse morbos demonstraturum sed etiam peiores illos esse sanabiles. At his quae annectuntur recte esse tradita non credo: καὶ κουφότερον καὶ ἄσφυκτον. Non latuit vitium interpretem, qui haec dat: „allevarique *possit* et impetu careat". Sed hoc non est explere rimam verum fidelia obtegere; quid quod tantum partem obtegit? *Excidisse* hoc fere equidem crediderim: δύνηται γίγνεσθαι, ut tota haec sit sententia: „ad tranquillitatem animi multum confert si sciamus morborum nostrorum id quod peius sit genus aut sanari posse, aut certe ita allevari ut iis non concutiamur".

500 D Vulpes cum panthera certans utra sit ποικιλωτέρα, suam περὶ τὸ ἦθος εὐτροπίαν monstrat.

Digitized by Google

Nulla est in vocabulo εὐτροπία calliditatis et versutiae notio, virtus ea est potius quam vitium. Probe hoc sensit Reiskius et εὐστροφίαν proposuit. Provocare hic poterat et ad alios auctores et ad Aristophanem: in mentem enim venit Carionis in Pluto iocantis ubi Στροφαίου nomen audit.

500 E Corporis morbos et aliae res indicant et πόνοι προπετεῖς. Qui illi sint scire velim. Interpretis hic verba sunt: „*subitis doloribus* indicantur". Et eiusmodi aliquid hic requiritur sed e verbis Graecis peti non potest. Vitium subesse puto.

ib. Sed animi vitia plerumque latent et διὰ τοῦτ' ἐστι κακί,ω προσαφαιρούμενα τὴν ἐπ' αὐτοῖς τοῦ πάσχοντος αἴσθησιν.

Non praepositione πρός (quid enim *praeterea* vitia illa hic adimere dicuntur?) sed πρό opus esse, nemo, ut opinor, semel monitus negabit. Sed mihi praeterea suspectum illud ἐπ' αὐτοῖς est, quod ab oscitante vel festinante librario scriptum puto pro ἐπ' αὐτοφώρῳ.

Statim sequitur: τῶν μὲν γὰρ περὶ τὸ σῶμα νοσημάτων ἐρρωμένος ὁ λογισμὸς αἰσθάνεται.

Sana quidem haec, sed neque eleganter neque perspicue enuntiata. Quid enim sibi illud ἐρρωμένος velit sequens demum τοῖς δὲ τῆς ψυχῆς συννοσῶν αὐτὸς οὐκ ἔχει κρίσιν ἐν οἷς πάσχει docet.

500 F ἀρχὴ γὰρ ἀπαλλαγῆς νόσου μὲν αἴσθησις ...

Hiatus vitandi causa non suo loco posita est particula: oportebat enim sic: ἀρχὴ μὲν γάρ. Nam mox opponitur: ὁ δ' ἀπιστίᾳ τοῦ νοσεῖν οὐκ εἰδὼς ὧν δεῖται, κἂν παρῇ τὸ θεραπεῦον, ἀρνεῖται.

501 A Enumerantur hi corporis morbi qui *non sentiuntur*: λήθαργοι, κεφαλαλγίαι, ἐπιλῆψίαι, ἀποπληξίαι.

Et vox ipsa et usus docet unum ex his absurdissime hic poni. Nam quis ille est *dolor* qui *non* sentitur? Et dolere se nemo, ut opinor, sentit magis quam qui capite laborat. Exime totum vocabulum: sufficiunt enim tria exempla.

Digitized by Google

501 C Saepe ad persuadendum ei qui corpore laborat ut necessariam sibi quietem capiat sufficit monitum quale est illud μέν' ὦ ταλαίπωρ' ἀτρέμα σοῖς ἐν δεμνίοις. At qui mente laborant τότε μάλιστα πράττουσι, τότ' ἥκιστα ἡσυχάζουσιν.

Haec quoque morbo laborare probe sensit editor, sed quam ille affert medicinam (ὅτε pro priore τότε legens) neque sanat quidquam et ridiculi aliquid addit. Quis enim monendus etiam est quo quisque magis opus faciat eo minus eum quiescere? Et remanet id quod et traditam lectionem et repositam vitii arguat. Requiritur enim hoc: „cum maxime *opus faciunt* et *se exercent*". Sed id in πράττουσι non inest. Totum illud τότε μάλιστα πράττουσι insulsum esse interpretamentum sequentium suspicor. Vix unquam a se impetrant scioli ut ad enuntiata *negativa* nihil adscribant.

501 D Mentis morbi hominem non sinunt in quietis confugere portum, atque sic ille per turbidum mare sine gubernaculo ancorave iactatur donec εἴς τι ναυάγιον Φοβερόν ἐξέπεσε.

Insolito sensu hic ναυάγιον non est navis *fragmentum*, sed id quod *frangit* navem. *Scopulum* interpres vertit.

501 E ὥστε καὶ διὰ ταῦτα καὶ τούτοις χεῖρον νοσεῖν ταῖς ψυχαῖς ἢ τοῖς σώμασιν.

Non fert hanc verbositatem editor et aut διὰ ταῦτα aut καὶ τούτοις damnat. Abesse hoc equidem malim.

ib. In loco supra laudato de litigantium multitudine qui certo anni tempore ex Asia affluunt ad praetorem Romanum illud *certo anni tempore* sive *die stato condicto* inaudito significatur vocabulo ἐμπροθέσμως, quod natum opinor ex ἐκ προθεσμίας. Proclivis error ille.

(*Continuabuntur*).

Digitized by Google

II. DE ILIADIS COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

(*Continuantur ex pag.* 80).

c. *Quibus Iliadis partibus contineatur poëma a* Πατροκλείας *auctore conditum.*

Qui poëta Patroclum Achillis comitem atque amicum ab Hectore caesum finxisset, eundem sibi proposuisse eius mortem ab Achille vindicatam, uni igitur auctori et Πατροκλείαν deberi et Ἕκτορος ἀναίρεσιν, ita per se perspicuum est ut demonstratu non opus sit. Neque tamen minus certum videtur eundem ademisse Achilleïdi Πρεσβείαν et Μηνίδος ἀπόρρησιν. Nam nisi voluisset in harum locum substitui Πατροκλείαν et Ἕκτορος ἀναίρεσιν, nihil negotii fuit rem ita instituere ut repugnantia quam inter eas cerni demonstravimus evitaretur, omittenda nimirum fuerunt ea quae nunc leguntur Π 70ᵇ, 71, 84—87 „si Agamemnon mihi benignus esset" et „reddant mihi Achivi virginem et augeant me honore", quae non tantum excogitari non poterant a Πρεσβείας auctore, sed ne ab ullo quidem poëta qui Πρεσβείας rationem haberet, id quod etiam pertinet ad Achillis verba Λ 608 sqq. „nunc credo Achivos ad meos pedes procubituros esse", quae aut debentur Πατροκλείας auctori aut poëtae recentiori cui Πατροκλεία nota erat. Atqui Μηνίδος ἀπόρρησιν a Πρεσβείᾳ secerni non posse cum ostenderimus, necesse est hanc quoque noster spreverit.

Itaque sic statuendum est, Πατροκλείας auctorem quodammodo alteram condidisse Achilleïdem, cuius prior pars eadem esset atque Achilleïdis principalis, altera prorsus differret praecisis omnibus quae in illa sequerentur ab inde solis occasu qui narratur Θ 485 sqq., eorumque loco substitutis Patrocli cum Achille colloquio, rebus gestis, clade, Achillis in aciem reditu, caede

Digitized by Google

Troianorum, amici morte in Hectore vindicata. Ne sic quidem partes ambas optime cohaerere, Thetidis enim preces quibus Iovem oret ut hostibus adsit donec Graeci filium in honorem revocent, Iovis consilium eo pertinens, Minervae vaticinationem fore ut triplicibus donis Agamemnon iniuriam compenset, recta ratione carere cum Achilles nulla satisfactione oblata iram dimittat, minime negandum est; hoc vero cum in unius poëtae opere ferri non possit, tamen eiusmodi est ut ab alterius partis auctore facile intellegatur neglectum esse aut eum fugisse. Neque aliter iudicandum de Iovis ad Iridem mandatis quibus Hectore se vires additurum dicit (Λ 193 sqq.), donec ad Graecorum naves perveniat et solis occasu tenebrae oboriantur; nam ne haec quidem ad Πατροκλείαν quadrare supra [1]) demonstravimus. Sin autem quis putet Πατροκλείαν et Ἕκτορος ἀναίρεσιν non tam eo consilio conditas esse ut priori Achilleïdis parti iungerentur quam ut carmen existeret quod sua pila staret, hoc obstare videtur quod haud obscure Πατροκλείας initium se applicat ad ea quae narrantur sub finem libri O.

At vero nunc oritur alia quaestio; perlegentem enim quae continentur libris Π—X, ut nunc omittamus ea quae sequuntur post Hectoris mortem, neminem non subibit suspicio multa in his esse quae a poëtis recentioribus sint addita. Sed accurate rem inspicienti mox apparet multa hic ambigua esse, indicia certa quibus res conficiatur in plurimis desiderari. Itaque de singulis proferentes ea quae sentimus, nonnulla evincere posse putamus, cetera satis habemus si ostenderimus credibilia esse. Hoc praefamur. Nisi tamen certa documenta essent quibus diversitas auctorum Iliadis probaretur, si contra ab illa suspicione cum discederes, nihil credere vetaret Iliadis argumenti ubertatem uni deberi auctori, facile ferremus hunc in tanti ambitus incepto multa quae salva argumenti cohaerentia abesse possent delectandi causa inseruisse. Sed quoniam hic habemus poëtam, Πατροκλείας auctorem dico, cuius poëseos fines minus late pateant, quippe qui sibi proposuerit hoc maxime narrare cur et quomodo Achilles alia ratione quam etiamnunc crederetur, iram demisisset et in aciem redisset, quae narratio adeo natura sua ad finem festinat,

1) p. 59.

Digitized by Google

aliena censenda esse videntur quaecunque in ea obvia eius decursum morantur.

Iam vero primum quidem interpolatum censeo versum Π 27 ubi memoratur Euripyli vulnus, quam rem infra ostendam *Πατροκλείαϲ* auctori ignotam fuisse. Sed tum a poëtae nostri opere seiungendum puto quamvis per se spectatus nihil habeat quod offendat et pro parte saltem ex antiquis fontibus haustus esse videatur [1]), locum Π 168—196 ubi Myrmidonum copiis in quinque partes distributis singulorum ducum commemorantur nomina et origo. Porro vss. 342—350 quibus Meriones narratur occidisse Acamantem, Idomeneus Erymantem. Idomeneus hic, quasi eum iam cognitum habeant auditores inter belli Troiani duces, sine patris vel patriae nominibus appellatus, néque comparet in Achilleïde [2]), quae sola Iliadis pars — id quod mox ostendemus — poëma nostrum originis aetate superat, néque credibile esse eum carminibus Iliade antiquioribus adnumeratum esse oppugnatoribus Troiae in superioribus demonstravimus [3]), néque in poëmate nostro recurrit, nam locum P 605 sqq. ubi rursus eius mentio fit mox ostendemus ob causas ad Idomeneum nihil pertinentes *Πατροκλείαϲ* auctori denegandum esse, quapropter hic simul cum comite Merione insitivus est habendus. Tum vero Sarpedonis, deinde Cebrionae cladem et, una cum utraque, ea quae praecedunt i. e. Π 372—683 698—783 a *Πατροκλείαϲ* auctore abiudico. Ubi in his de Sarpedone agitur, bis tangitur *Τειχομαχία*. Nam Π 510 legimus de Glauco quem Sarpedon moribundus auxilio vocat „*τεῖρε γὰρ αἰνῶϲ ἕλκοϲ ὅ δή μιν Τεῦκροϲ ἐπεϲσύμενον βάλεν ἰῷ τείχεοϲ ὑψηλοῖο*, quae res narrata erat M 388 sqq., et Π 558 a Patroclo Sarpedon vocatur is qui *πρῶτοϲ εἰσήλατο τεῖχοϲ Ἀχαιῶν* [4]). Iamvero *Τειχομαχίαν* et propter belli annum decimum commemoratum M 15 inter recentiores habemus Iliadis partes, et propter Eurypyli vulnus a Patroclo curatum cuius mentio fit M 1, recentiore saltem origine est quam Patrocli missio ad Nestorem (Λ 596 sqq.), nam ab hoc rediens Patroclus

1) Vide Mnem. 1912 p. 306 sq.

2) Locum A 145 ubi obiter memoratur, propter ipsam hanc causam Achilleïdi abiudicavimus.

3) Cf. de hoc loco etiam Mnem. 1913 p. 227, ann. 1.

4) De hoc loco egi Mnem. 1913 p. 247, in ann.

Digitized by Google

incidit in Eurypylum vulneratum (Λ 809 sqq.). At manifesto Patrocli missio non excogitata est ante quam Πατροκλεία conderetur, huic igitur Sarpedonis clades demenda est. Nunc autem agam de eis quae ei anteeunt. Hic locus (Π 372—418) si retinetur demtis eis quae ad Sarpedonem pertineant, coniungendi sunt vss. 419 et 684 sqq. Sed non bene hi conveniunt; nam „Τρῶας μετεκίαθε" (vs. 685) non apte dicitur de eo qui in mediis Troianis versatur quemadmodum Patroclus vs. 685; praeterea displicet quod octo Troianos poëta enumerat ab eo occisos paene continuo rogaturus (vs. 692 sqq.) ἔνθα τίνα πρῶτον τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξας Πάτροκλος; novemque enumeraturus Troianos ab eo interfectos; propterea περικοπή quae continetur versibus Π 394—419 insitiva videtur. Neque vero aliter iudicabit de versibus praecedentibus (Π 372—393) qui attendet his vix aliud quidquam enuntiari atque proxime superioribus (Π 358—371), nisi quod ibi Aiax hic Patroclus Troianos fundere narratur, èt vs. 367 èt vs. 383 legimus Ἕκτορα δ' ἔφερον ἵπποι; praeterea versus 372 Πάτροκλος δ' ἕπετο κ.τ.λ. vix differt a versu 684 Πάτροκλος .... μετεκίαθε. Postremo Cebrionae cladem et quae praecedit, Patrocli audaciam ab Apolline repressam (Π 698—783) propterea Πατροκλείας auctori abiudicamus, quoniam post verba τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστερον ἐξενάριξας Πάτροκλος ὅτε δή σε θεοὶ θάνατόν δ' ἐκάλεσσαν (Π 692 sq.) iure existimaveris commemoratis novem Troianis a Patroclo trucidatis in eo esse ut heroïs ipsius iam exitus narretur, quae tamen res differtur interiectis impetu in Troianae murum ab Apolline repulso, congressu cum Hectore, Cebrionae interfectione. Haec igitur aliena videntur, quibus omissis optime coniunguntur vs. 697 et vs. 784. Versibus 693—696 enumerati erant novem Troïanos quos Patroclus interfecit, versu 784 sq. ter novem Troianos triplici impetu caesorum numero addidisse dicitur, tum sequitur ipsius interitus de quo praemonuerat poëta eum compellans δή σε θεοὶ θάνατόνδ' ἐκάλεσσαν. Cetera pars pars libri Π non vexanda videtur, itaque haec coniungenda sunt 1—167, 198—341, 351—371, 684—697, 784—867. Quae ab his secrevimus maximam partem tamen laude poëtica non inferiora putamus, imo Sarpedonis fatum magnifice proponi, neque eum quidem qui Cebrionae descripserit obitum inter malos poëtas referendum esse. De

Digitized by Google

Sarpedone pro fonte fuisse supra suspicati sumus [1]) carmina quae haberent laudes Dorum Rhodiorum Tlepolemo duce contra Lycios bellantium; Patrocli fortitudinem propellentis hostes a Graecorum navibns et mortem ei ab Euphorbo illatam nulla dum Achillis, Apollinis, Hectoris ratione habita, celebratam esse vidimus [2]) ab antiquissimis cantoribus belli Troiani; sed *Πατροκλείας* auctor cum spreto Achilleïdis exitu mansuetiore, suscepisset auditoribus proponendam Achillis imaginem in pugnam regredientis, contra hostes saevientis in eos ira conversa a popularibus, et incidisset in cogitationem eam rem ita expediendi ut sumeret Achillis mentem mutatam esse ardore ulciscendi Patroclum quem Irae Cantor aut antiquior iam poëta eius comitem fuisse finxit, sponte inducebatur ut hunc proponeret ab ipso Troianorum duce fortissimo occisum: sic futurum ut Achilles haberet dignissimum adversarium, qui Graecis illo quiescente insignem cladem intulisset, cuius morte simul illa clades lueretur. Praeterea vero nobis apparuit nonnullas e Patrocli rebus in Iliade narratis, imprimis quae ad eius mortem pertinerent, repetitas esse e carminibus quibus Achilles ipse ageretur initio de hoc heroë traditas, ut Apollinis partes in eo occidendo, ploratum equorum divinorum, tenebras offusas pugnantibus de mortui corpore cetera quae suo loco enumeravimus [3]).

Quae huius generis sunt leguntur in libris PΣ; sed multa in his libris edita ét alia ét huc spectantia vehementer dubitandum est an hausta e fontibus antiquis, a poëtis recentioribus inserta sint Iliadi, ornamenti loco addita *Πατροκλείας* auctoris poësi. Huic libri P versus 1—129 denegandi non videntur neque enim omittere poterat referre quid Euphorbo factum esset [4]), quomodo Achillis armis potitus esset Hector. Neque dubium quin eum haec induisse, id quod legitur P 192 sqq. narraverit noster, eisque indutum ab Achille occisum esse (X 322 sqq.), quod nisi voluisset non finxisset Patroclum ea ab Achille

1) Mnem. 1913 p. 246. 2) Mnem. 1912 p. 10.

3) Cf. Mnem. 1912 p. 324.

4) Fortasse Euphorbi exitus iam traditus erat in antiquo carmine quo Patroclum interfecisse narraretur; modo non Menelaus, quippe de quo illius carminis auctor cogitare non poterat (cf. Mnem. 1912 p. 6, 32; 1913 p. 26 sqq.) sed alius quispiam e Graecorum principibus eum occidisse narrabatur.

Digitized by Google

mutuatum [1]). Sed et colloquium Glauci et Hectoris quod praecedit (P 140—187) et Hectoris adhortatio sociorum (P 210—232) a qua separare non licet Menelai monita appellantis Graecorum duces (P 233—261), consulto enim haec iuxta posita esse videntur, aperte confiteor indigna videri Πατροκλείασ auctore qualem ceteroquin se ostendit insignem ingenio poëtico; displicet Glaucus Hectori nullo iure increpans, displicet Hector ei respondens se non totum diem ignavum se praebiturum (vs. 179 sqq.), magis etiam displicet promittens (vs. 230 sqq.) se si quis Patrocli corpus Graecis eripiat dimidiam partem daturum eius spoliorum quibus nempe ipse iam indutus erat. Rem vero conficere videtur mentio facta de Sarpedonis morte (P 160 sqq.), quam ad Πατροκλείασ auctorem nihil pertinere vidimus. Qua propter vss. 130—191 et 210—261 secernendos puto et coniungendos vs. 192 cum vs. 129, vs. 209 cum vs. 262. In sequentibus autem ita ducitur per varios casus narratio pugnae ancipitis ut eius longitudinem descriptio fere aequet, quae minuta diligentia historici potius est quam poëtae, verborumque ponderi quod minime desideratur multitudo tamen nocet imprimis molesta quod festinandum erat ad Achillis in pugnam reditum. Versu P 262 legimus Τρῶεσ δὲ προύτυψαν ἀόλλεεσ, ἦρχε δ' ἀρ' Ἕκτωρ tum post duodecim versus rursus vs. 275 ὧσαν δὲ πρότεροι Τρῶεσ Ϝελίκωπασ Ἀχαιούσ, qui tamen impetus mox reprimitur ab Aiace neque multum abest quin Τρῶεσ Ἄρηι Φίλοι ὑπ' Ἀχαιῶν Ϝίλιον εἰσανέβησαν, id quod prohibetur ab Apolline et Aenea et pugna restituitur teste versu 365: ὣσ οἱ μὲν μάρναντο δέμασ πυρόσ; cumque vs. 384 legamus τοῖσ δὲ πανημερίοισ ἔριδοσ μέγα νεῖκοσ ὄρωρε et vs. 424 ὣσ οἱ μὲν μάρναντο, σιδηρεῖοσ δ' ὀρύμαγδοσ χάλκεον οὐρανον ἷκε, vix dictu opus est nihil decerni certaminibus quae inter hos versus depingantur, imo in sequentibus res eodem loco manet donec pervenitur ad versum 543 ἀψ δ' ἐπὶ Πατρόκλῳ τέτατο κρατερὴ ὑσμίνη.

1) Bergk. v. cl. (in opere cui titulus „Griechische Litteraturgesch." p 627) in antiquissima Iliade Patroclum Achillis arma induisse negat. Quem sequitur Ben. Niese v. cl. (die Entwicklung der Hom. Poesie p. 92). Sed adstipulandum videtur Nabero (Quaestiones Homer. p. 193) Bergkium „levibus quibusdam conclusiunculis efficere hoc conatum"; neque debueram in superioribus (Mnem. 1912 p. 299 in ann. 1 sub fin.; p. 324) in huius ire sententiam.

Digitized by Google

Quis non sentit non cuncta haec eidem poëtae deberi, sed complures concinisse alio alium excipiente? Atque totus locus P 274—318 quo Aiacis Telamonii demonstratur virtus, quamvis per se spectatus optime se habeat fortasse haustus ex antiquissimis de bello Troiano carminibus, tamen denegandus videtur *Πατροκλείας* auctori quoniam sine ullo contextus damno carere eo possumus; item versus qui sequuntur 319—365 quippe quos propter versum 319 „*ἔνθα 'κεν αὖτις Τρῶες Ἄρηι φίλων ὑπ' Ἀχαιῶν, Ϝίλιον εἰσανέβησαν*" cohaerere pateat cum superioribus; tum locus insequens vs. 366—383 ubi explicatur cur Patrocli mors latuerit Antilochum, hoc enim pertinet ad Antilochi missionem Achillem de ea re docturi, — nam ubi missio narratur (P 640 sqq.) legimus Antilochum rei ignarum a Menelao certiorem fieri — quam missionem mox videbimus *Πατροκλείας* auctori non posse tribui. Coniungendus igitur videtur vs. 273 cum vs. 384. Postremo autem versus 424—542 — sive potius 412—452 de qua re quoque mox agemus — a poëta nostro abiudicandi videntur. Vs. Π 865 is narraverat Automedontem ab Hectore petitum abstulisse equorum celeritatem. Convenit quod nostro loco P 425 proponuntur *μάχης ἀπάνευθεν ἐόντες*. Neque hoc offendit quod dolore oppressi *οὔτ' ἀρ' ἐπὶ νῆας ἐπὶ πλατὺν Ἑλλήσποντον ἠθελέτην ἰμέναι οὔτ' εἰς πόλεμον μετ' Ἀχαιούς*, atque optime se habet quod Iuppiter eos consolans, (vs. 451 sq.) „*γούνασι δ' ἐν σφῶιν*" inquit „*βαλέω μένος ἠδ' ἔνι θύμῳ, ὄφρα καὶ Αὐτομέδοντα σαώσετον ἐκ πολέμοιο νῆας ἐπὶ γλαφυράς.*" Quid autem porro? Navesne igitur petunt? Ita censes; revera autem *ῥίμφ' ἔφερον θόον ἅρμα μετὰ Τρῶας καὶ Ἀχαιούς*. Sequitur Automedontis *ἱππασία* in curru *παραιβάτῃ* vacuo, colloquium cum Alcimedonte, congressus cum hostibus. His consideratis satis apparet ploratum equorum Iovisque eorum confirmationem, ex antiquo hausta fonte quo ageretur mors Achillis, hic adhibita esse ut facultas daretur inserendi id quod fontis auctor minime cogitaverit, Automedontis volo strenua facta. Iamvero si rogas utrum veri similius sit hoc *ἐπεισόδιον* deberi *Πατροκλείας* auctori cui etiam his omissis uberrima materies tractanda erat an poëtae recentiori — neque hercle optimo *ἱππασία* enim illa satis insulsa est — qui poësi nobili flosculum addere cuperet, vix dubitaveris utrum optandum sit. Reliqua pars libri P i. e. vss. 543—761 ita

Digitized by Google

cohaerere videtur ut non possis quin uni tribuas auctori. Sed dubitare licet an hic non fuerit *Πατροκλείας* auctor. De qua re nunc agendum nobis est.

Pars nostra libri P complectitur èt nonnulla certamina (vs. 543—625) in quibus a Troianorum parte excellit Hector, a Graecorum parte complures heroës, èt missionem Antilochi ad Achillem de Patrocli interitu, quae continuatur in libro Σ (vs. 1—35). Quod autem ea missione intenditur, ut Achilles surgat et amici corpus ab hostibus defendat (P 692) sic non impetratur; neque Achilles de hac re cogitat neque Antilochus omnino verbum facit ad eum monendum, lugentibus supervenit Thetis, longum habetur colloquium; mortuum absportassent Troiani nisi Iuno *κρύβδα Διὸς ἄλλων τε θεῶν* Iridem misisset (Σ 166 sqq.), cuius tandem hortatu id efficitur quod ut fieret frustra missus erat Antilochus.

Hanc rerum compositionem unius poetae deberi ingenio parum veri simile est. Et primum quidem hoc absonum est, non Achilli ipsi quamvis percusso amici morte hoc ante omnia in mentem venisse corpus mortui servandum esse, non Antilocho succurrisse propterea se missum esse ut corpus servaretur. Voluit poëta colloquium Thetidis cum filio interponere uniceque intentus ut id ei contingeret rectam rationem ex oculis amisit. Colloquii quis non admiretur pulchritudinem et splendorem? Sed est „purpureus" quem dicit Horatius „late qui splendeat pannus" cui „nunc non erat locus". Oculos ferit ibi id fuisse inserendum ubi mortuum in lecto positum Myrmidones plorare coeperunt (Σ 355 sq.). Tum demum Achilli otium dabatur indulgendi dolori. Atque vix credibile, poëtam quem fugeret eum debuisse nihil antiquius habere quam defendere Patroclum, Antilochum nihil quam id eum poscere, eundem narravisse hunc ad ipsum eum finem missum esse. Attende vero hoc quoque. Cum Iris Achillem incitare conatur (Σ 178 sqq.) ut surgat hostesque arceat, quid respondet? Pudetne eum obliviosae segnitiae? Imo reluctatur, matrem se vetuisse in aciem prodire dum sibi arma a Vulcano comparasset, neque inter milites Graecorum quemquam esse cuius armis uti possit nisi scuto Aiacis Telamonii. Quam ignava haec sunt, quam indigna fortissimo Graecorum, quam pusilla, ne dicam quam absurda quasi tegi non posset scuto

Digitized by Google

viri minoris staturae! Ad expediendas has molestias unum praesto est auxilium. Sic ratiocinandum. Utraque missio, Iridis dico et Antilochi, non uni tribuenda est poëtae. Altera debetur Πατροκλείασ auctori, alteram in eius locum alter poëta substituit, tertius nescio quis utramque coniunxit. Qui Iridis missionem invenit non tantum voluit Achillem ab ea incitari, voluit simul ab ea prima nuntium afferri de Patrocli morte. Utrique consilio suppetunt deae verba quae leguntur Σ 171 sqq. *Πατρόκλῳ ἐπάμυνον, οὗ εἵνεκα Φύλοπισ αἰνὴ ἔστηκε πρὸ νεῶν, οἱ δ' ἀλλήλοισ ὀλέκουσι οἳ μὲν ἀμυνόμενοι νέκυοσ πέρι τεθνηῶτοσ, οἱ δὲ ῥερύσσασθαι ποτὶ Ϝίλιον ἠνεμόεσσαν Τρῶεσ ἐπιθύουσι*; his auditis omnia habebat Achilles quae scire opus erat. Itaque deae verba *ἀλλ' ἄνα μηδ' ἔτι κεῖσο* olim non valuerunt „torporem pelle quo dolor te illigavit" verum „desidiam exue cui indulsisti propter iram" [1]). Ab altera parte is qui Antilochi missionem invenit et hunc narravit assedisse amico torpore percusso, haud dubie finxit deinde incitantem ut in hostes prosiliret, quae instigatio in Iliade nostra praecisa est interposito Thetidis adventu. Alium fuisse qui Iridis, alium qui Antilochi cogitaret missionem, eo quoque confirmatur quod Σ 9 sq. qui locus cum hac cohaeret, discimus Achillem procul viso tumultu Graecorum cogitationem subisse matrem se praemonuisse Myrmidonum optimum ipso vivo a Troianis perditum iri, cum P 410 sqq. quem locum nihil opus est cum Antilochi missione coniungere neque quidquam vetat auctori tribuere Iridis missionis, perhibeatur mortem Patrocli non praesagisse Achillem quippe quem mater cum saepe monuisset neque cum Patroclo neque sine hoc eum Troiam deleturum esse tum non fecisset certiorem de tanto malo quod occidisset comes carissimus. Accedit quod P 268 sq. legimus Iovem tenebras multas offendisse certantium de Patroclo oculis cum nollet eum tradi Troianorum canibus, haec igitur caligo significatur prodesse Graecis, sed P 643 sqq. qui locus rursus cohaeret cum Antilochi missione eadem res prorsus aliter proponitur; ibi enim Aiax e commilitonibus aliquem nuntium ad Achillem missurus queritur, se propter caliginem neminem discernere posse et Iovem precatur ut tenebras dissolvat. Iam vero Thetidis colloquio neutrius missionis auctor

1) Cf. B 689 *'κεῖτο γὰρ ἐν νήεσσι ποδάρκησ δῖοσ 'Αχύλλεύσ.*

Digitized by Google

carere potuit, necesse enim fuit nova promitti arma a Vulcano fabricata, sed cum initio locum obtineret quem supra monuimus unice aptum esse, unde sequitur ut versus qui nunc est Σ 323[a] olim sic se habuerit: ὣς ὁ βάρυ στενάχιζε, atque huic successerit qui nunc est Σ 35[b] ἄκουσε δὲ ποτνία μήτηρ, tum Σ 36—148, deinde vs. 344 (ibi autem στῆσαν non στῆσαι) —355, tertius ille poëta quem supra dixi, quoniam nullo alio modo utramque missionem coniungere potuit, ibi id collocavit, ubi nunc legitur. Huic igitur debentur ea quae continentur versibus Σ 181—201, quae quam insulsa sint, supra ostendimus, et quae continentur versibus Σ 324—343 quae aliquanto melioris notae sunt, postremo versus qui nunc sunt Σ 149 sq. Qua forma autem poëma erat cum in eo mortem Patrocli Iris Achilli nuntiaret, statim post versum qui nunc est P 411, habebat ea quae leguntur Σ 151 sq. Nam locum P 424—542 Πατροκλείᾳ demendum esse supra ostendimus cuius auctori mox ostendemus debere Iridis missionem, omnia autem quae post P 542 sequuntur usque ad Σ 35[d] ita cohaerent ut divelli nequeant, atque in iis abinde P 640 ea narrantur quae ad Antilochi missionem pertineant; tum versus quoque P 412 —424 huius auctori assignandi esse videntur propterea quod, cum Iridis missio optime coniungatur cum versu P 411, ubi legimus Achillem a matre non praemonitum esse de amici sorte, maximam enim vim habet ad animum commovendum Achillis mens ignara mali imminentis deinde subito ab Iride edocta, versus nostri quamquam per se spectati bene se habent, eo ipso quod intercedunt nescio quomodo frigent, sed ad ea quae in Iliade nostra eis succedunt optione quadrant. Iamvero locum Σ 153—165 insertum puto sive a tertio illo poëta, sive a recentiore. Nam huius loci causa fere eadem est atque versuum P 412—424, per se spectatus nihil habet quod offendat, hoc offendit quod inutilem moram interponit repetita imago pugnae ancipitis quae in superioribus satis erat descripta. Atque Iovis colloquium cum uxore Σ 356—368, quam propter Iridis missionem perstringit Olympius, olim continuo post ipsam mis sionem i. e. post versum qui nunc est Σ 202 locum suum ha-

1) Nonnullos viros doctos male habuit quod Minerva, quamvis Iunonis incepti ignara esset, tamen continuo post in parte eius fuit, sed quid obstabat quin dea cum Iridem vidisset colloquentem cum Achille atque hunc surgentem ad eum festinaret?

Digitized by Google

buisse videtur, transpositum a tertio nostro poëta quem ostendimus inseruisse versus Σ 181—201. Ipsum colloquium vexare nolim. Eo quod dixerat poëta (Σ 167 sq.) Iunonem κρύβδα Διὸς ἄλλων τε θεῶν misisse Iridem, quid aliud significaverat nisi hoc ὑπὲρ μόρον eam egisse? Neque enim id quod fato convenienter fit insciis deis omnibus fit quemadmodum nostro loco Iunonis inceptum omnes deos latet, imo alio loco poëta Patrocli interitum fato deberi significans — id quod supra vidimus [1]) — eum compellat δή σε θεοὶ θάνατόνδ' ἐκάλεσσαν; videtur autem Homerus distinxisse inter ea quae fatum ultro constitueret neque sineret eludi, et alia quae non constitueret attamen sineret fieri, quemadmodum in Odyssea Iuppiter queritur (α 33 sq.) saepius mortales sibi mala praeter fatum contrahere. Propterea neque mirum est quod poëta dicit futurum non fuisse ut Patrocli corpus ab amicis servaretur, nisi Iuno misisset Iridem [2]), neque vero quod maritus eam propter audaciam reprehendit, sed hoc non oportuit differri in tempus posterum quemadmodum in nostra Iliade et Achillis ἀνάστασιν et Troianorum contio intermittur. Hanc etiam alienum videtur, id quod obiter moneo, narrari antequam Achillis et Myrmidonum lamentationes, colloquiumque Thetidis cum filio quod initio cum illis cohaesisse vidimus, ad finem perducta essent; quapropter suspicor initio post versum qui nunc est Σ 242 secutum esse versum qui nunc est 316, et qui nunc est 243 successisse ei qui nunc est 356: versum autem 315 insertum esse ab eo qui illa transposuerit et postrema verba vs. 314 quae nunc sunt αὐτὰρ Ἀχαιοί mutata esse cum antea legeretur ἐν τελέεσσιν vel eiusmodi aliquid. Ceterum qua forma poëma erat cum in eo Antilochi non vero Iridis missio extaret, locum P 412—Σ 35ª habebat qualis nunc est, post versum Σ 35ª aliqua in eo aderant quae nunc deperierunt, aberant autem versus Σ 149—202, 356—368.

Aliter quam is qui eorum poesin conglutinavit, auctores missionum Iridis et Antilochi inter summos poëtas haud dubie habendi sunt. Utri si rogas palma tribuenda sit, incertus haereo. Oratio Iridis acerba sua brevitate id habet quo nihil altius pe-

1) Mnem. 1912 p. 278.

2) Fortasse in fontibus suis invenit Patrocli corpus ab hostibus abreptum esse.

Digitized by Google

netrare olim potuerit animos auditorum, nos ὀψιγόνους vix ullum poeseos cuiusvis saeculi exemplar vehementius afficiat. „Age, surge Achilles, defende Patroclum, de corpore mortui hostes et amici certant, Hector studet caput abscidere et palo affigere; ne diutus deses iacueris, pudeat amicum mutilatum ad inferos descendere". Hoc modo Achilles de clade certior fit. Quid vero ille? Quid respondet? Ne verbum quidem. Neque enim respondendum erat, sed agendum — αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ὦρτο Διὶ φίλος — prorumpentis autem etiam vividius exprimitur terribilis aspectus et saevi clamores, quod Minerva fingitur aegidis terrore et voce consona eum prosequens; tum Iovis Iunonisque altercatio collocata inter Iridis ad coelestes reditum et heroïs ἀνάστασιν, nonnihil affert ad augendam rei totius magnitudinem ferocem. Ab altera parte mollius quidem tangimur neque tamen minus commovemur Antilochi nuntio. „Ὤ μοι Πηλέος υἷε δαΐφρονος ἦ μάλα λυγρῆς πεύσεαι ἀγγελίης ἦ μὴ ὄφελε γενέσθαι", quanta miseratio, quanta pietas in dicendi exordio [1]). Brevissime deinde ne amicum ultra quam necesse sit affligat quid acciderit docet. Tum ante oculos nobis ponit poëta imaginem fortissimorum iuvenum in communi moerore iacentium, alterum humi prostratum caput formosum cinere adspergentem, alterum inter lacrimas non immemorem curae amici, eius manus occupantem ne magnitudine luctus oppressus, ferro sibi mortem consciscat. Sed si quis rogat utra missio, Iridis an Antilochi, adscribenda sit Πατροκλείας auctori, vix dubium videtur quin illa optanda sit. Nam primum quidem nihil veri similius erat quam Achilli ex amicis aliquem pro nuntio venisse, neque igitur si haec narratio antiquior esset eundem ob finem recentior poëta arcessivisset nuntium e coelo. Ab altera parte Iridis missio quia brevius narratur, antiquiorem prodit originem. Nam materies carminis cum recoquitur, consentaneum est dilatari eam non contrahi. Atque brevitas illa magis quadrat ad ceterae Πατροκλείας rationem quam fusior expositio. Quod ut apparet placeat conferre quae in Iliade sequantur post terrorem Troianis incussum subito Achillis con-

1) Ceterum haec nuntii verba quodammodo in formulam abisse inde apparet quod iisdem Antilochum alloquitur Menelaus P 686.

Digitized by Google

spectu. Quinque ibi versibus (Σ 232—236) proponitur mortuus ex hostium telis ereptus, in Achillis tabernaculum ipso comitante feretro delatus, in lectulum depositus, a commilitonibus plangentibus circumdatus. Optime autem convenit quod eodem modo cunctas res gestas in Πατροκλείᾳ tractatas esse e superioribus apparet, omissis nempe eis quae ob varias causas ab ea secernenda esse iudicavimus. Postremo hoc ipsum, quod Patroclum fato sacrum dei ad mortem vocavisse dicuntur (Π 693) et rursus Iuno sine fati auctoritate se interponens κρύβδα θεούσ egisse dicitur, utroque igitur loco fatum significatur deorum consensu, eiusdem poëtae manum prodere videtur. Ceterum quia constare vidimus [1]) Thetidis cum filio colloquium deberi illius missionis auctori quae antiquior sit, apparet iam id deberi auctori missionis Iridis. Nec arte poëtica inferior est. Matrem enim, eamque deam, lamentantem se filium nec morti maturae eripere posse, nec adeo iuvare contristatum, dum vivat, aerumna perpetua, euntem tamen ne lugenti desit; filium fortissimum omnium aequalium querentem se sibi videri terrae oneri esse qui nullo usu omnes viribus superans amicum non valuerit servare, quem fugiat mirifice reddere eos affectus qui non sint populi vel temporis unius, sed omnibus hominibus communes omni tempore pectora agitaverint?

Pervenimus ad versum Σ 369 a quo inde libri pars extrema continetur Thetidis apud Vulcanum adventu, precibus de armis filio fabricandis, dei armorum fabricatione. Ceteris mihi videtur Πατροκλεία carere non posse, clipei amplam descriptionem excipio. Idque ob nullam aliam causam nisi quod eius ambitus longe superat modum èt quem consentaneum erat poëtam sibi statuere in eiusmodi παρέργοισ èt quem revera in ceteris statuisse in superioribus ostendere conati sumus. Quod Vulcanum memorantem audimus (vs. 397 sqq.) se a matre olim e coelo deiectum esse cum a patre se id perpessum in deorum coetu paucis diebus ante dixisset (A 590 sqq.), molestum est iis qui Achilleïdem et Πατροκλείαν uni auctori tribuendas putent, nos alia omnia censentes nihil moramur in hac rem eandem negligentius paulo aliter quam in illa proponi. Sed quae Thetis

1) Supra p. 298.

Digitized by Google

refert (Σ 448 sqq.) principes Graecorum Achillem oravisse multis promissis donis ut hostium impetum a se defenderet, hunc vero recusantem quominus ipse hoc susciperet, Patroclum suis armis indutum in aciem misisse, de his nobis paulo accuratius agendum est. Fuerunt inter viros doctos qui contenderint aut hoc loco Πατροκλείᾳ auctorem respexisse Πρεσβείαν aut locum interpolatum esse. Quibus assentiendum non videtur. Non hoc consilio poëtam nostrum instituisse opus suum ut carmen conderet quod sua pila staret ipsum patefecisse vidimus cum ita exordiretur (Π 1) ὡς οἳ μὲν περὶ νηὸς ἐυσσέλμοι' ἐμάχοντο quo versu quasi digito indicavit hanc pugnae ad naves conditionem quam descripsit Achilleïdis auctor iis versibus qui nunc leguntur in fine libri O. Ab hoc autem rerum statu initium faciens, pro solis occasu quem ille poëta, id quod in superioribus vidimus, sequi narraverat, nunc legimus Θ 584 sqq., proque consilio regum et legatione ab Agamemnone ad Achillem missa, quae continentur libro Iliadis I, et regum amicitiae reconciliationem quam nunc habet Iliadis liber T, substituens Patrocli cum Achille colloquium, incendium navis Protesilai, Patrocli res gestas et mortem, cetera quae Πατροκλεία habet, auditores haud dubios reliquit quin illa sperneret et negligeret non ἔτυμον λόγον esse iudicans, ipse meliora docturus, neque igitur potuit eo loco de quo nunc agimus respicere Πρεσβείαν. At tamen nihil vetabat eum quasi per transennam strictim enuntiare se non infitias ire Nestorem, Diomedem Ulixen qui ex acie discessissent, heroem iratum adisse et cuncti exercitus verbis larga dona promisisse dum sociis laborantibus auxilio veniret; quodammodo sic significavit quem veri nucleum inesse censeret Πρεσβείᾳ quam ceteroquin respueret. Facere hoc potuit inquam sine ulla repugnantia. An postquam Achillem finxit negantem Agamemnonem sibi benevolum esse (Π 72 sqq.), Patroclum adhortantem ad ita rem instituendam (Π 83 sqq.) ut Graeci sibi Briseïdem restituerent, loco nostro Thetidem proposuit dicentem Agamemnonis spiritus fractos esse, declarasse regem se Briseïde cessurum? Ne verbo quidem. Quod autem Thetis de Patrocli silet precibus, quidni eis supersedere licebat? Causam igitur non video cur locum nostrum censeamus interpolatum esse.

Libri T perspicuum est quaecunque ad Μηνίδου ἀπόρρησιν

Digitized by Google

pertineant a Πατροκλείᾳ separanda esse. Restant vss. 1—34 (sed pro εἰσ ἀγορὴν καλέσασ requiritur εἰσ πόλεμον καλέσαι) 37—41 356 (sed pro ᾤχετο requiritur πάντασ) 357—424. Sed Achillis colloquium cum equis i. e. vs. 399—424 vehementer dubito an melius excipiatur, quippe quod alienum videatur a proposito poëtae nostri. Auditu ex equis mortem sibi imminere Achilli non opus erat, satis superque eius rei gnaro, frustra eis ob hanc causam Iuno vocem praebet. Ex antiquissimo sane mytho haustus qualibus in Thessalia Achillem celebratum fuisse nemo nescit, e quorum numero supra vidimus [1]) complures in Iliade tangi, a poëta recentiore locus noster insertus esse videtur.

Librum totum Υ et maximam partem libri insequentis (usque ad vs. 525) Πατροκλείασ auctori abnegavit Naber [2]). Quocum magna ex parte consentio neque tamen ex omni parte. Nam versus Υ 1—3, 156—158ᵃ, 364ᵇ—405, 456—503 retinendos puto. Naber versum Υ 398 coniungit cum Φ 526. Sic vero aliqua desiderantur. Versibus Υ 365—398 poëta descripserat Achillem arma induentem, Automedontem et Alcimum equos iungentes, illum in currum ascendentem. Versu Φ 526 sqq. legimus: εἰστήκη δ' ὁ γέρων Πρίαμοσ θειοῖ' ἐπὶ πύργου εἰσ δ' ἐνόησ' Ἀχιλῆα πελώριον αὐτὰρ ὑπ' αὐτοῦ Τρῶεσ ἄφαρ κλονέοντο πεφυζότεσ, οὐδέ τισ ἄλκη γίγνετ'. Aegre sic requiritur èt pugnae èt fugae initium, quod utrumque bene supplent versus quos supra diximus. Legimus enim Υ 1—3 ὣσ οἱ μὲν παρὰ νηυσὶ κορώνισι θωρήσσοντο ἀμφί σε Πηλέοσ υἱὲ μάχησ ἀκόρητον Ἀχαιοί, Τρῶεσ δ' αὖ ἑτέρωθεν ἐπὶ θρῴσμῳ πεδιόοιο et Υ 156—158ᵃ Τῶν δ' (i. e. Graecorum et Troianorum) ἅπαν πλήσθη πέδιον καὶ ἐλάμπετο χαλκῷ ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων, κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσιν ὀρνυμένων deinde 364ᵇ Τρώεσσι δὲ Φοιβιμοσ Ἕκτωρ κέκλεθ' ὁμοκλήσασ, φάτο δ' ἀντ' ἰμέναι Ἀχιλλῆοσ, quibus apte succedunt verba Apollinis monentis ne Achilli obviam eat Hector et huius recessus intra suorum turbam (vs. 366—380), Achillis autem impetus (vs. 381—382ᵃ) et strages hostium (382ᵇ—405, 456—489), tum comparationes aliquae quibus haec illustrantur (vs. 490—503); his bene se applicant versus Φ 526 sqq.

Iamvero ex iis quae Naber affert ad probandam sententiam

1) Mnem. 1912 p. 324. 2) l.l. p. 200 sqq.

Digitized by Google

suam, complura virum clarissimum acute et vere disputasse puto. Et primum quidem de *Θεομαχίᾳ* agens, cuius altera pars legitur Υ 4—74 altera Φ 383—425, „admirabili consilio" inquit, Υ 26 sqq. „Iuppiter deos et deas iubet pugnae interesse ne forte Achilles contra fatum urbe potiatur". „Nam plures erant dii qui Graecis favebant quam Troianis" [1]). „Postquam autem satis diu adsteterunt in acie tandem sequenti libro videbimus quem exitum deorum pugna habuerit. Scilicet est haud dubie victoria penes Graecorum deos, reliqui solis exceptis Minerva et Apolline redeunt in coelum nec tamen Troia ab Achille capitur". Sed „poëta etiam obliviosus est neque recordatur ipse cur dii in campum descenderint: facit enim Iunonem (Υ 125) ita dicentem *πάντες δ' Ὀλύμποιο κατήλθομεν ἀντιάοντες τῆσδε μάχης ἵνα μή τι μετὰ Τρώεσσι πάθῃσιν (Ἀχιλλεὺς) σήμερον*". Rectissime sane haec sunt monita, neque minus recte addidit vir clarissimus ridicule se gerere deos, testibus imprimis versibus Φ 380 sq., 463 sq., 389 sq., 396 sq., 426 sq., palmam autem stoliditatis iure contendit praeripere vs. 502 sq. *ὣς ἀρ' ἔφη, Λητὼ δὲ συνήνυτο κάμπυλα τόξα πεπτεῶτ' ἄλλυδις ἄλλα μετὰ στροφάλιγγι κονίης* [2]). Quod autem post priorem *Θεομαχίαν* partem sequitur certamen singulare Achillis et Aeneae (Υ 75—364[a]), in superioribus demonstravimus haustum esse e carmine ante Homeri aetatem condito, sed insertum est ab alio poeta non a *Πατροκλείᾳ* auctore quippe ad cuius propositum prorsus inutile sit. Tum Achillis et Hectoris certamen incohatum (Υ 419—454) etiam magis in

1) Antequam Iuppiter consilium declarat, Themidem iubet omnes deos advocare (Υ 4 sqq.), quo fit ut omnes quoque fluvii, Oceano excepto, omnesque Nymphae in Olympum ascendant. Ingeniose vLeeuwen suspicatur (in Comm. Exeget. 1912) poëtam sic mutasse fabulam vetustam in qua deus non Olympius sed Idaeus non cuncta numina in bellum mitteret sed suos fluvios et suas Nymphas iuberet Troianis adversus Achillem et deos peregrinos opitulari, quemadmodum mox Scamander revera iis auxilium tulerit. Ita viro clarissimo assentiri possum, si ea fabula censetur in Troianorum agro pervulgata fuisse antequam prima carmina de bello Troiano a Graecis poëtis panderentur neque igitur ad hoc bellum initio pertinuisse. Nam si primi cantores belli Troiani deum Idaeum cum cognoscerent, distinxissent ab Olympio, manifesto ne posteriores quidem, id quod alio loco demonstravi (cf. supra Mnem. 1913 p. 269), eos pro eodem habuissent. Ceterum quoquomodo haec res se habet, nullo modo eam vim habet ut desinamus vituperare poëtam qui in Iliadem eam fabulam adhibuerit. Ita enim contorte et inepte eam proposuit ut omnis ratio abeat.

2) vLeeuwen monet (l.l.) vocibus *κάμπυλα τόξα* hic sagittas una cum arcu designari. Sane. Sed id ipsum absurdum est.

Digitized by Google

oculos incidit poëtae huic abiudicandum esse, nam repugnat Apollinis consilium Hectori datum cedendi, utque hoc recte se habet ita illud friget. Etenim Achilles et Hector sicubi congrederentur, huic esse succumbendum adversario neque fieri posse quin imminueretur rei vis et effectus si non primo statim certamine sed altero vel tertio demum Achilli contingeret ut pro Patrocli morte interfectorem ulcisceretur, si ante aut aequo Marte discederetur aut tamen Hector e vitae periculo evaderet; auditorum autem animos intentos in congressus eventum non oportere differri et duci, haud dubie intellexit poeta summus qui poëmatis de quo agimus argumentum mente concepit. Ab altera parte non poterat eum fugere victoriam ex Hectore reportatam caput et summam esse cladis ab Achille Troianis illatae, debere igitur ceteras huius res gestas praecedere, concludi Hectoris exitu, neque tamen hunc fingendum esse metu adductum certamen detractantem quod et ipso indignum foret et quo fieret ut dignus non esset Achille adversario. Is cuncta haec felicissime expedivit cum Apollinem arcesseret qui Hectori auctor esset ne Achilli obviam iret, et liquido apparet miserrime omnia conturbasse eum qui certamen illud incohatum insereret. Ceterum cum hoc quoniam cohaeret Polydori clades (Υ 407—418) haec una cum eo resecanda est, qua propter praecisis versibus 406 et 455, versum 456 coniunximus cum versu 405. Postremo libri Φ versus 1—382 — nam versibus 383—525 continetur altera *Θεομαχίας* pars de qua iam egimus — cur displiceant restat ut ostendatur. Quae libri initio narrantur (vs. 1—33) paucis sic comprehendo [1]): altera pars Troianorum recta urbem petivit, altera urgente Achille dextrorsum deflexit, dein cum ad ripam Scamandri pervenisset hunc per vadum traicere conata est ut in montium saltus posset se conicere; cuius vadi spatium quoniam multo erat angustius quam quod omnes qui simul illuc ruebant recipere posset, multi fugientium de ripae praeruptae saxis in ipsum fluminis alveum inciderunt. Haec si per se spectantur optime se habent, verum cum nusquam Achilles dicatur cursum a flumine avertere, contra omnes eius res gestae quae narrentur nostra libri Φ parte, agantur aut in Scamandri ripis

1) Leeuwenii utor verbis cf. Comm. Exeg. 1912 p. 736 sq.

Digitized by Google

aut in flumine ipso, ac nihilominus abinde versu 526 fingatur proxime accedens ad urbem, satis causae esse videtur cur versus 1—33 quoque tribuamus illi poetae vel, si plures fuerint, uni ex illis qui has res gestas inseruerint. Et primum quidem hic offendimus eius congressum cum Lycaone (Φ 34—135), qui quamvis multa habeat quae arte poetica excellant, tamen Lycaonis iterum comprehensi casus fuse enarratus et Achillis verbositas in occisi nece triumphantis, haud dubie hausta e carmine vetustiore [1]), nostro loco prorsus aliena sunt. Sequitur certamen cum Asteropaeo consertum (Φ 136—210) cui rursus antiquum carmen pro fonte fuisse videtur [2]). Achillem hic non modo verbosum sed loquacem iure dicas, ridicule autem, quod non fugit Naberium [3]), hostem mortuum allocutus, genus suum paternum recenset et de matre dea tacens gloriatur se tertium esse a Iove. Tum proelium narratur a Scamandro initum (Φ 211—281) quod ipsum quoque veri similiter censeas ex antiquo derivatum carmine [4]). Sed narrationem qualem nostro loco habeamus rectissime Naber hiare monuit [5]). Rogat enim Scamander Achillem ne mortuorum corporibus fluminis cursum impedire velit (vs. 219), concedit Achilles (vs. 223 sqq.) nec tamen desistit a caede (vs. 227 sqq.). Scamander Apollini exprobrat (vs. 229 sqq.) quod Troianorum interitum non curet, sed antea ne ipse quidem curarat si quidem ad Achillem dixerat (vs. 216 sqq.) *εἴ τοι Τρῶας ἔδωκε Κρόνου παῖς πάντας ὀλέσθαι, ἐξ ἔμεθεν ἐλάσας πεδίον κάτα μέρμερα ῥέξε.* Apollo nihil respondet, nec opem fert laborantibus Troianis nec laboranti fluvio. Denique ne verum quidem est quod Scamander retulit vs. 229 sq. Iovem iussisse Apollinem adesse Troianis, liberum enim deis arbitrium dederat Iuppiter Υ 25. Sed ne Achilles quidem servat quod spoponderat, nam neque Scamandro parcit et in fluctus insilit vs. 233. Iure haec Naber usque quaque absurda esse iudicat.

Extremam partem libri Φ Naber integram *Πατροκλείας* auctori assignat. Cui adstipulari nequeo. Nam de Achillis cum Agenore congressu Φ 544—Χ 4, Χ 7—24 non alio modo iudicandum puto atque de eiusdem certamine cum Aenea deque priore certamine

1) Mnem. 1912 p. 290.
2) Mnem. 1912 p. 305.
3) l.l. p. 204.
4) Mnem. 1912 p. 290.
5) l.l. p. 205.

Digitized by Google

cum Hectore, credibile non esse ita non poëtam nostrum circumscripsisse argumentum propositum ut moraretur in Παρέργοισ quae eo non facerent. Aliter res se haberet si poëma nostrum farrago esset e carminibus antiquioribus conglutinata nullo interioris cohaerentiae vinculo, sed quamvis èt Πατροκλείᾳ et Ἕκτοροσ ἀναιρέσει vetusta carmina pro fontibus fuerint, manifesto tamen novi quid et penitus cohaerens ex his poeta effecit. Atque saltem Achillis et Agenoris congressum nihil est cur ex antiquo fonte derivatum credamus. Quod autem complures viri docti multi fuerunt in demonstrando suo iure poësin epicam nectere moras (teutonice: „retardirende Momente") et fuse („in Epischer Breite") singula persequi, quoniam haec lex efficitur ex ipsa Iliade qualem eam nunc habemus iisque poëmatis, quibus ut Vergilii Aeneïdi illa pro exemplo fuit, in circulo vertitur, id quod alio loco iam monueramus [1]), qui eam legem afferat ut poëmatis auctori vindicet quaecunque quasi per satiram eius argumento inmixta sunt. Ab altera parte quid magis in promptu, quid convenientius naturae humanae, quam ut quo tempore epica poësis floreret et vigeret, multi poëmatis laudibus incenderentur ut ipsi quoque aliquantulum conferrent ad id exornandum? Ne multa; coniungendos censeo vss. Φ 543, X 5, 6, 25 sqq.

In sequentibus autem Naberio iure neganti retinere posse vss. X 46—53 quibus Priamus de filiis Lycaone et Polydoro loquitur, ita assentior ut etiam vs. 45 abesse malim. Quid autem quod damnat vir clarissimus vss. 111—130, 167—187, 254—259, 261—269, 281—288, 323, 328—329, 335—366? Versum 323 quem propterea eicit, quod sibi persuasit [1]) Hectorem non induisse Patrocli arma, de ea re qui aliter sentit retinendum putabit. Quod autem Naber repugnare censet Λ 353 ubi Hectoris galea dicitur Apollinis donum, nihil huc facit si nobiscum ab Achilleïdis auctore ad quem ille locus pertinet, Πατροκλείαν abiudicas; porro quod vir cl. suo iure Hectoris verba quae sequuntur (P 231 sqq.) damnat, inserta haec esse a poëta recentiore demonstravi supra [2]). Tum vss. 111—130, 167—187, 281—288 Naberio videntur languere, aliis fortasse placent, equidem do nihil desiderari si absint, ferri tamen posse arbitror. Sed vss.

1) l.l. p. 188. 2) p. 295.

Digitized by Google

254—259 ubi Hector conditionem proponit de tradendo mortui corpore, 261—269 quibus eam abnuit Achilles, 335—336 quibus Hectoris corpus canes laceraturos praedicit, 337—366 ubi moribundus hic precatur ut corpus suum parentes redimere Achilles sinat, et precibus spretis inimico mortem vaticinatur, 328—329 quibus explicatur qui fieri potuerit ut Hector quamquam δι' αὐχένος ἥλυθ' ἀκωκή (vs. 327) tamen vocem ruperit, propterea Naber resecandas censet, quoniam non dubitat quin vs. 393 poëta destiterit, neque igitur tradiderit vexasse Achillem inimici corpus (vs. 395—404). At fac hoc ita esse, inde non sequitur ut illa retineri nequeant. Ab altera parte negare non licet optime ceteris omnibus careri posse, tantum vs. 335 sq. ita convenit ut potius retineas. Sed imprimis hoc molestum est quod Hector ingulo perfosso satis longa utitur oratione, nam quod additur versibus 328—329 ad id expediendum, iure Naber frigidum dicit inventum. Etiam vss. 372—375 alienos puto, neque enim iocos militares apte afferri ad rem tragicam.

Utrum poëta noster coucluserit versu qui nunc legitur X 393 an versus quoque X 394—404 ei assignandi sint non decerno, utrumque enim aeque credibile videtur. Sed prorsus assentiendum est, ex iis quae deinde habeat Ilias, nihil addendum esse. Auditoribus illo poëmatis exitu non satisfactum esse, flagrasse studio cognoscendi pater, mater, uxor heroïs occisi, quo animo quo planctu accepissent tantum mali, quo honore Achilles amici funus celebrasset, denique quid factum esset Hectoris corpore, negabit nemo. Sed ad argumentum natura sua definitum quod poëta sibi proposuisset haec non pertinebant; ab altera parte mirum fuisset si materiem ab eo rite relictam nulli occupassent alii. Itaque id quod iam saepius animadvertimus hic quoque videmus, multa in Iliade legi quae egregie placeant sed nihilo minus liquido appareat inserta esse.

Superest ut e superioribus computemus versuum numerum quibus consistat Πατροκλεία ceteraque eiusdem auctoris poësis. Sunt autem hi:

Π 1—167, 198—341, 351—371, 684—697, 784—867.

Ρ 1—129, 192—209, 262—273, 384—411.

Σ 151—152, 166—180, 202, 356—368, 203—242, 316—322, 323^a (mutato στενάχων in 'στενάχιζεν) 35^b (abinde ἄκουσε)

Digitized by Google

—148, 344 (mutato στῆσαι in 'στῆσαν) —355, 243—314 (mutato αὐτὰρ Ἀχαιοί in ἐν τελέεσσι), 369—481, 609—617.

Τ 1—34 (mutato εἰσ ἀγορὴν καλέσασ in εἰσ πόλεμον καλέσαι), 37—41, 356 (mutato ᾤχετο in πάντασ), 357—398.

Υ 1—3, 156—158ᵃ, 364ᵇ—405, 456—503.

Φ 526—543.

Χ 5—6, 25—44, 54—110, [111—130?], 131—166, [167—187?], 188—253, [254—259?], 260, [261—269?], 270—280, [281—288?], 289—327, 330—336, 367—371, 375—393, [394—404?]

Poëma hoc niti duplici quasi fundamento ex antiquis hausto fontibus sequitur ex iis quae in superioribus demonstrare conati sumus [1]), aliis carminibus celebratas esse Patrocli res gestas et mortem Apollinis ope ei illatam ab Euphorbo, aliis certamen quo congressi essent Hector et Aiax Telamonius, ille autem victus occidisset. Duplicem hanc materiem noster ita coniunxit et reformavit ut prorsus novum inde argumentum existeret: Patroclus ab Achille rogatu suo ipsius armis indutus in proelium missus, ab Euphorbo et Hectore Apollinis ope interfectus, ultor Achilles post magnam Troianorum clade Hectore devicto et necato. Applicavit noster poësin suam ad Achilleïdem quo loco in hac proponebatur summum navium discrimen, substituens suum opus pro illius poëmatis parte posteriore, Achillem fingens, nullis ab Agamemnone legatis missis, cum amico querentem regis superbiam. Aliter atque Achilleïdis auctor Apollinem auxilium praesens Troianis Hectori imprimis tulisse ratus est; Graecorum ducibus quos ea habuit, addidit Peneleum,; Troianorum principes praeter Hectorem et Paridem appellavit Panthoum, Euphorbum, Polydamentem, Deiphobum, cunctos e priscis carminibus iam diu cognitos. Etiam Othryntei filium Iphitionem ab Achille occisum (Υ 382 sqq.) eiusmodi fonti debuisse videtur [2]). Praeterea vix dubium quin arma Achilli Thetidis rogatu a Vulcano fabricata, lamentationes Thetidis mortem filio instantem deplorantis, mentio Vulcani a matre e coelo deiecti ex antiquis fontibus ad bellum Troianum nihil pertinentibus derivata sint.

1) Mnem. 1912 p. 10, p. 15.

2) Mnem. p. 1912 p. 291.

Digitized by Google

d. *Qua maxime ratione ex Achilleïde Ilias facta sit.*

Is qui Achilleïdem duplicem in superioribus pertractatam in unum poëma coniunxit, quomodo rem instituerit docet ipsa quam nunc habemus Ilias. Nam ex hac apparet eum, id quo nihil magis in promptu erat, legationis ad Achillem missae exitum ita mutasse ut reverterentur legati re infecta; cladem autem Graecorum ab Agamemnonis vulneratione ortam quam in priore Achilleïde legatio sequeretur, post eam collocasse ita ut pro solis occasu qui in illa Troianorum victoriam terminasset et contione horum nocturna deinceps habita, sequeretur Achillis cum Patroclo colloquium, incendium Protesilai navis, Patrocli res gestae et mors, arma coelestia filio a Thetide petita, non aliter ac in Achilleïde altera; tum inter arma Achilli a matre allatae et Achillis reditum in aciem quo Troiani profligarentur interficeretur Hector, inseruisse Agamemnonis cum Achille gratiae reconciliationem quae in Achilleïde priore continuo post legationem sequeretur; postremo cum iam desideraretur pugna Graecis adversa ante legationem commissa, ipsum eam confinxisse quae Κολὸσ μάχη nomine Iliadis nostrae libro Θ proponitur, eamque finivisse solis illo occasu quo in Achilleïde priore finiretur Graecorum clades, ita ut èt hic èt Troianorum contio quae eum sequitur eodem ante legationem loco quem in illa haberet, retineretur. Aptissime nostrum assecutum esse propositum suum haud cunctanter pronuntiaveris, nam quamquam singula cōnsiderantem latere non possunt eiusmodi inconcinna quae diversitatem auctorum haud dubie arguant, tamen si poëtas omittis et poëma solum spectas, compositionis summa minime reprehendenda videtur. Heroëm fortissimum gravi iniuria ab expeditionis duce affectum, cum et ipse recusasset ne amplius proeliis interesset et a summo deo impetrasset ut quamdiu bello abstineret hostes vincerent, neque verbis supplicibus neque pollicitationibus regis et exercitus mente mutata, mox tamen amico roganti dedisse ut cum suis militibus, suis armis indutus sociis laborantibus auxilio veniret, atque illo post multa fortia facta ab hostium duce occiso, surrexisse ad eum ulciscendum, ultro cum imperatore in gratiam redisse, in hostes invasisse,

Digitized by Google

magna eorum strage edita denique interfectorem petitum necavisse: huc redit argumentum Iliadis quod optime se habere ecquis negat? Nihilominus quamvis haec ita sint arte poëtica non excelluisse διασκευάστην nostrum, sic enim eum appellare licet, confitendum est, siquidem, id quod multi viri docti viderunt, ante omnes Naber demonstravit [1]), illa poëmatis pars quam solam illi debemus, Κόλον μάχην dico, minus commodas habet scenae mutationes rerum conversiones victores qui modo victi erant et contra [2]), atque praeterea velut cento est e variis locis comportatus. Ipsa huius poëseos ratio, id quod obiter notare libet, qua ceteris omnibus fere Iliadis partibus est posthabenda, permira sit si tota Ilias tribuatur auctori uni, sin vero hic habemus supplementum διασκευάστῃ debitum, nihil est cur miremur.

Iam vero eo ipso quod Κόλος μάχη magnum exhibet versuum numerum „quorum ea est ratio" ut iterum Naberii utar verbis „ut saepe aliunde desumti possint videri, raro autem octavus liber fons sit reliquorum locorum", interest nostra accuratius hanc rem considerare, quo appareat quae Iliadis partes praeter Achilleïdem et Πατροκλείαν cetera quae huius auctori debentur, διασκευάστῃ nostro praesto fuerint. Et primum quidem animadvertimus versum Θ 68 eundem esse ac Π 777 qui versus legitur

1) l.l. p. 141.

2) Documento sit libri conspectus quem dat Naber l.l. p. 141 »Post deorum concilium a Iove advocatum fit proelium atrox donec Iuppiter duas aequato examine lances sumsit et fata imposuit diversa duorum. Exin post meridiem inclinatur Graecorum acies. Fulminibus ex Ida territi undique fugiunt, sed restituit pugnam Diomedes occiso Hectoris auriga. Hinc metuens ne Graeci Troianos usque ad urbem repellant ipse summus Iuppiter identidem tonans fulgurans Diomedem cogit convertere currum. Sequitur breve colloquium Iunonis et Neptuni. Frustra soror fratrem hortatur ut Graecis auxilio sit. Interim Graeci sensim complerant intervallum quod inter murum et fossam erat et Hector iam poterat sperare fore ut naves incenderentur. Sed Iuno ipsa animum addit Agamemnoni eumque hortatur ut pugnam renovet. Postquam rex sociis exprobravit ignaviam et Iovem precatus est ut perniciem a classe avertat miseratus Graecorum calamitatem, pater deorum mutat consilium eosque missa aquila fausto omine recreat. Exin Graeci extra fossam prorumpunt eduntque ingentem stragem, sed mutatis partibus Iuppiter iterum adest Troianis et Hector Graecos intra munitiones repellit. Ancipitem pugnam de summa arce Iuno et Minerua indignabundae aspiciunt, itaque parant Graecis auxilium ferre, sed cum in eo est ut de Olympo descendant, conspicit eas Iuppiter et per Iridis ministerium domum eas ire iubet. Ipse quoque paulo post redit in Olympum ut rideat dearum irritos conatus et deinde profitetur postero die quam diu Achilles absit a pugna insignem se daturum Hectori victoriam, postremo sol occidit".

Digitized by Google

in ἐπεισοδίῳ quo Cebrionae clades agitur (Π 727—783), sed cum solus sit illi cum Κόλῳ μάχῃ communis isque eiusmodi ut facile e quovis carmine antiquiore depromi potuerit — est enim hic: ἦμος δ' ἠέλιοσ μέσον οὐρανον ἀμφεβεβήκει — nolimus eum adhibere. Tum Θ 29 sq. idem est ac X 183 sq., qui versus utrum Πατροκλείασ auctori dandi sint an cum Naberio pro insitivis habendi supra censuimus [1]) non constare, qua propter item omittimus. Ceteri versus de quibus inquirimus repetiti sunt e libris Γ Δ E N O (Γ 127 = 251 = Θ 71, Δ 20—25 = Θ 457—462, Δ 446—451 = Θ 60—65, E 40—42 = Θ 258—260, E 221—223 = Θ 105—107, E 719—721 = Θ 381—383, E 733—737 = Θ 384—388, E 745—752 = Θ 389—396, E 787 = Θ 228, N 23—26 = Θ 41—44, N 420—423 = Θ 331—334, O 1—3 = Θ 343—345, O 367—369 = Θ 345—347), supra autem demonstravimus [2]), si discedas a paucis aliquibus ἐπεισοδίοισ vel versuum fasiculis per libros de quibus agimus dispersis, auctorem libri Γ eundem esse ac libri Δ et libri E, libri N eundem ac libri Ξ et libri O. Inter ἐπεισόδια quae excepimus, Τειχοσκοπίαν esse (Γ 121—244) ostendemus suo loco, hic notamus Κόλῳ μάχῃ cum illa unum versum communem esse, hunc autem versum (Γ 127 = 251 = Θ 71) cum nihil habeat nisi hoc „Τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων" non eiusmodi esse ut inde quidquam efficere liceat. E libris N O Ξ excepimus [3]) nonnisi versus N 136—155, O 593—595, 653—658, 674—67 quorum nullus in Κόλῳ μάχῃ recurrit, sed cum eos Achilleïdi dandos esse ostenderimus, apparet omnia quae contineantur libris illis origine antiquiore esse quam Κόλον μάχην. De libris autem Γ Δ E in praesentia satis habemus concludere maiorem eorum partem originis aetate superare Κόλον μάχην.

In libris N Ξ O amplum locum obtinent res gestae Idomenei, id vero ita ut quo loco in his libris primum inducitur (N 210), poëta significet se non dubitare, quin auditores eum inter duces belli Troiani iam cognoverint, nam patriam patrem fortunam omittit. Tamen ex iis quae in superioribus disseruimus [4]) cum sequatur nihil esse cur credamus ullis quae ante Homerum essent de

1) p. 308.
2) p. 68 sq., p. 74 sq.
3) p.p. 75 sqq.
4) cf. Mnem. 1913 p. 260 sqq.

Digitized by Google

bello Troiano carminibus laudatum esse Idomeneum, fieri non potest quin aliquis ex Iliadis auctoribus primus eum in bellum Troianum induxerit. Inquirendum igitur videtur quibus locis Iliadis ubi primum appelletur in aliquo contextu qui proprio auctori deberi credibile sit [1]), ita proponatur ut simul cum auditoribus communicetur quis sit genere et natione. Sunt autem huius generis nonnisi loci tres. Quorum primus invenitur in Catalogo navium ubi legimus (B 645): *Κρητῶν δ' Ἰδομενεὺς δουρὶ κλυτὸς ἡγεμόνευε*, alter in *Τειχοσκοπίᾳ* (Γ 230 sqq.): *Ἰδομενεὺς δ' ἐτέρωθεν ἐνὶ Κρήτεσσι θεὸς ὣς ἔστηκ' ἀμφὶ δέ μιν Κρητῶν ἀγοὶ ἡγερέθονται*, tertius in *Ἀγαμέμνονος ἐπιπωλήσει* (Δ 251 sqq.): *ἦλθὲ δ' ἐπὶ Κρήτεσσι κίων ἀνὰ Φούλαμον ἀνδρῶν, οἳ δ' ἀμφ' Ἰδομενῆα δαΐφρονα θωρήσσοντο*". Primum locum ex his omittere licebit, neque enim quisquam putaverit in Catalogum receptum esse Idomeneum antequam in cetera Iliade aliquas partes egisset; *Τειχοσκοπίαν* et *Ἀγαμέμνονος ἐπιπώλησιν* inter ea *ἐπεισόδια* esse quae maiori parti librorum Γ Δ E altera manu addita sint, propterea suspicari licet, quod salvo ceterorum quae in his libri narrantur contextu auferuntur, nihil habent quo illi opus sit; atque aut eidem auctori tribuendae sunt aut *Ἐπιπώλησις* recentior est nam *Τειχοσκοπίαν* quodammodo explet, in hac enim appellantur Agamemnon, Ulixes, Aiax, Telamonius, Idomeneus, in illa rursus eidem sed praeterea Nestor Menestheus, Diomedes, Sthenelus, Aiax alter. Concludimus maiorem partem librorum N Ξ O origine recentiorem esse quam *Τειχοσκοπίαν*, fortasse etiam quam *Ἀγαμέμνονος ἐπιπώλησιν*, quae *ἐπεισόδια* ipsa recentiora sunt quam maior pars librorum Γ Δ E quippe cui inserta sint. In hac autem cum iam sequatur fieri non posse ut Idomenei mentio facta sit, quippe quem *Τειχοσκοπίας* auctor in Iliadem induxerit, etiam locus E 43—47 quo solo praeterquam in *Τειχοσκοπίᾳ* et in *Ἐπιπωλήσει* in his libris commemoratur — narratur autem ibi eius certamen cum

1) Cur eiusmodi tantum locorum ratio habenda sit hac in re, exemplo patefiet. Ψ 450 Idomeneus vocatur *Κρητῶν ἄγος* sed Ψ 113 qui primus locus est libri Ψ ubi commemoretur, mentio eius facta erat neque patre neque patria additis. Itaque *Ἄθλων ἐπὶ Πατρόκλῳ* auctor, qui haud dubie idem est ac *Τάφου Πατρόκλου* auctor, tamen sibi proposuit eum inter belli Troiani duces cognitum habere auditores. Ut etiam N 259 vocatur *Κρητῶν ἀγός*, sed N 210, id quod supra monuimus, primum in libro N commemoratus, nomine solo indicatus erat.

Digitized by Google

Phaesto, Bori filio Maeonio — fieri non potest quin recentiore manu insertus sit, eaque fortasse eadem atque Τειχοσκοπία, neque enim quidquam magis in promtu erat quam ut ab eodem qui Idomeneum induxisset in Iliadem, etiam aliquod fortutidinis eius exemplum laudaretur. Accedit, id quod supra monuimus [1]), quod auctor loci E 43—47 cum ab Idomeneo narret necatum esse Phaestum, quem quamvis ex urbe Tarne oriundum tradat ipso nomine suo apparet initio fuisse heroëm eponymum urbis Phaesti in insula Creta sitae, in usum suum convertisse videtur carmen antiquum ad bellum Troianum non pertinens, quod optime convenit ei qui primus Idomeneum belli Troiani participem fecerit. Ceterum cum paene ubicunque Idomeneus in acie prodit iuxta eum comparet comes Meriones, vss. quoque E 59—68 ubi hic narratur interficere Phereclum Tectonis filium, eidem poëtae atque vss. 43—48 tribuendos censeo. At de Merione pauca aliqua addere placet. Hic enim quamquam plerumque Idomenei comes est, in Achilleïde, quam Idomeneum non habuisse èt sequitur ex eis quae modo demonstravimus èt nobis iam apparuit cum illius poëmatis ambitum descripsimus [2]), solus tamen appellatur duobus locis (I 83, T 239) idque ita ut neque addatur patria neque pater, quamvis non magis quam de Idomeneo ullum extet indicium unde efficias eum iam ante Homeri aetatem in bellum Troianum inductum esse, Iliadis autem antiquissima pars ipsa Achilleïs sit. At utroque loco personam agit minoris momenti, altero enim (I 83) est inter septem praefectos custodiarum quorum quisque centum ducit milites, altero (T 239) cum septem aliis eum eligit Ulixes per quos curet Agamemnonis dona Achilli subministranda, cumque simul cum Merione inter illos custodiarum praefectos sit Deïpyrus quidam (I 83), inter donorum administratores Melanippus quidam (T 240), quorum neutrius per totam Iliadem aut pater aut patria commemoratur [3]), nihil vetat credere Irae Cantorem ut sescenties fit apud Homerum ubi aguntur homines de plebe, arripuisse nomen aliquod quod ei sive e carmine aliquo sive aliunde acceptum ob animum versaretur, alios poetas

1) Mnem. 1913 p. 260 sq.

2) Supra p. 65 sqq. cf. imprimis p. 80 cf. etiam p. 292.

3) Alius Melanippus natione Troianus ab Antilocho interfectus filius Hicetaonis dicitur O 547 sqq.

Digitized by Google

postquam Idomeneus in bellum Troianum receptus esset eodem nomine usos esse ut huic comitem adderent [1]).

Supra vidimus maiorem partem librorum N Ξ O recentiorem esse quam Τειχοσκοπίαν. Sed etiam recentior est quam Τειχομαχίχ [2]). Nam versu O 3 haud obscure illa spectatur, ubi dicuntur Troiani Iove dormiente e castris Graecorum repulsi esse ad eum locum ubi currus suos reliquisse narrati erant M 80 sqq. Repugnare videtur locus M 113—117 ubi tangitur mors Asii ab Idomeneo trucidati, quae res narratur N 381—401. Sed nihil dubii quin locus ille interpolatus sit, absurdum enim est quod ibi profertur, Asii stultitia factum esse, utpote qui currum relinquere noluisset, ut Idomeneus eum interfecerit. Re vera inter utramque rem nullam intercedere rationem in oculos incidit inspicienti locum N 381—401; alter locus videtur deberi scioli alicuius praeposterae solertiae [3]). Ceterum Τειχομαχία ipsa condita est post quam locus Λ 806—848 ubi narratur Patrocli cura adhibita Eurypylo vulnerato, nam tangitur haec M 1 sqq. Atque haec, id quod demonstratu non opus est, aut eidem debetur aut recentior est quam Νέστορος καὶ Πατρόκλου ὁμιλία (Λ 596—805), cuius auctori etiam tribuendum esse locum Λ 501—520 inde apparet, quod manifesto propterea Alexander Machaonem vulnerasse narratur et Nestor eum secum ex acie abduxisse, ut inseri possit Ὁμιλία. Sed Λ 501 appellatur Idomeneus, idque rursus ita ut haud dubie auditoribus cognitus esse habeatur, qui locus igitur recentiore est origine quam

1) Antiquum carmen spectare videntur quae de Merionis galea narrantur ei dono data ab Amphidamante hospite Cythereo K 261 sqq. Ibi patris quoque Moli nomine mentio fit qui semel in Iliade recurrit (N 249). Poëtae qui post Homerum vixerunt eum finxerunt Idomenei fratrem sed galeae ἱστορία indicio est nullam ei initio cum insula Creta intercessisse rationem. — Itaque minus recte in superioribus (Mnem. 1912 p. 261) suspicati sumus Merionem iam Cretensium carminibus simul cum Idomeneo laudatum esse.

2) Perperam in superioribus (Mnem. 1913 p. 246 in ann.) contrarium perhibuimus. Vide ann. 3 in hanc paginam.

3) Praeter locum M 113—117 etiam hoc speciem praebere possit quasi Τειχομαχία recentior sit quam maior pars librorum NΞO, quod huius auctorem apparet (propter locum N 362 sqq., cf. supra p. 66) sibi proposuisse res quas narret primo belli anno gestas esse, Τειχομαχίας vero auctor Troiam tradit (M 15) decimo belli anno expugnatam esse. Sed vidimus (supra p. 73, p. 74 ibique in ann. 1) poëtam hunc quamvis veri simile sit etiam iram Achillis Hectoris exitum adscripsisse decimo belli anno non tamen prorsus necesse esse ut id inde efficiatur, et fieri posse ut auctor maioris partis librorum NΞO non effecerit.

Digitized by Google

Τειχοσκοπία. Quam recentiorum esse quam librorum Γ Δ Ε partem maiorem supra vidimus, quippe cui inserta sit.

Ab altera parte haec recentior est habenda quam Πατροκλεία idque propter duas causas. Quarum una est quod ubi eius auctor primum appellat Antilochum (Δ 457), eodem modo atque de Idomeneo vidimus ubi hic primum appellaretur ab auctore maioris partis librorum N O Ξ, solo nomine eum indicat, haud dubie iudicans patrem et patriam auditoribus cognita esse. Iam vero Antilochum cum fratre Thrasymede non magis quam Idomeneum cum comite Merione ulla est causa cur credamus ullis carminibus ante Homeri aetatem conditis in belli Troiani partes receptos esse, imo veri simile videtur omnino nullis ante Homeri aetatem carminibus eos commemoratos esse. In Achilleïde autem semel mentio fit de Nestoris filio Thrasymede (I 83), semel etiam de Nestoris filiis (Τ 239) nomine proprio non apposito. Neque in Achilleïde maiores hi partes agunt quam Meriones, nam altero loco Thrasymedes una cum hoc est inter custodiarum praefectos, altero loco „filii Nestoris" rursus cum eodem enumerantur inter Agamemnonis donorum administratores. Addito autem patris nomine Antilochus commemoratur èt ubi primum mentio eius fit in Πατροκλείᾳ (Π 317 sqq.) èt ubi narratur eius missio ad Achillem (Ρ 365 sqq.), quem locum Πατροκλείᾳ insertum esse ostendimus [1]), èt in Ἄθλοισ ἐπὶ Πατρόκλῳ, quod ἐπεισόδιον fieri non posse ut vetustiore sit origine quam Πατροκλεία perspicuum est. Itaque auctor maioris partis librorum Γ Δ Ε Πατροκλείαν cognitam habuit.

Altera autem causa cur hanc illa antiquiorem esse contendimus ea est quod èt illius auctori tribuendum censemus locum Λ 1—83, quem supra demonstravimus recentiorem esse quam ea quae in eodem libro sequuntur [2]), sive potius locos Λ 1—46, 56—83 nam vss. Λ 47—55 interpolati esse videntur; èt versu Λ 56 „Τρῶεσ δ' αὖθ' ἑτέρωθεν ἐπὶ θρώσμῳ πεδίοιο" repetitum esse iudicamus versum Τ 3. Hic versus eo differt a versu Λ 56 quod vox θωρήσσοντο quae in hoc aegerrime desideratur in eo facile auditur e versu Τ 1, is igitur loci sui contextu melius se habens ab huius loci auctore excogitatus esse videtur; neque enim cur credamus illud

1) Supra p. 301 sq. 2) p. 72.

Digitized by Google

Τρῶες δ' αὖθ' ἑτέρωθεν κ. τ. λ. ex antiquo carmine depromptum esse — quod si ita esset vs. Λ 56 antiquior esse posset quam Υ 3 — ulla omnino causa est. Versus autem Λ 47—55, si recte contendimus locos Λ 1—46, 56—83 eidem auctori tribuendos esse atque maiorem partem librorum Γ Δ E, fieri non potest quin recentiore manu sint additi nam, id quod etiam iam supra animadvertimus [1]), versus Λ 47 sq. eidem sunt atque Τειχομαχίας locus M 84 sq. ubi aptissime duces Troiani castra Graecorum oppugnaturi currus suos apud fossam reliquisse narrantur, cum altero loco omnino nihil sit cur currus apud fossam retineri opus sit, de fonte vero antiquo cogitandi nihilo magis quam loco modo pertractato ulla omnino reperiatur causa. Iam vero Τειχομαχίαν supra vidimus recentiorem esse quam libros Γ Δ E. Quo autem iure perhibeamus vss. Λ 1—46, 56—83 assignandos esse eidem auctori cui maiorem partem librorum Γ Δ E, nunc demonstrabimus. Libros Z H supra ostendimus [2]), si excipias unum alterumve ἐπεισόδιον quod recentius esse videatur, uni auctori tribuendos esse eique aut eidem atque maiorem partem librorum Γ Δ E aut, id quod maluimus, alii qui hanc cognitam habuerit. Atqui sive libri Z H recentiore sunt origine quam Γ Δ E, sive referendi sunt ad horum auctorem, hic cum suam poësin Iliadi insereret, Ἀγαμέμνονος ἀριστεία nondum locum suum mutaverat quippe quae mutatio debeatur Κόλον μάχης auctori, quem vidimus cognitam habuisse maiorem partem librorum Γ Δ E utpote e qua complures versus repetiverit. Itaque versum qui nunc est Γ 14 tum continuo sequebatur Λ 84 [3]). Sed hic versus („ὄφρα, μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ") neque apte iungitur libri E neque libi H versui postremo, sed ut contextus recte se haberet requirebatur ut huic versui praemitteretur novi diei exordium, quale describitur ipsis versibus Λ 1 sqq. Necesse est igitur ut hi versus inserti sint ab auctore maioris partis librorum Γ Δ E sive hic simul auctor est librorum Z H sive minus. Ceterum sub finem libri H narratur solis occasus, sed si libri Z H recentiores sunt quam maior pars librorum Γ Δ E, manifesto fieri non potest quin antequam illi insererentur solis occasus comme-

1) Cf. p. 72. 2) p. 69.
3) Vide supra p. 72 ubi tamen perperam scripsi Λ 85 (ut etiam p. 75) et Γ 15.

Digitized by Google

moratus fuerit post ea quae narrantur libro E. Hunc igitur solis occasum quo post dearum Iunonis et Minervae in Olympum reditum diem terminari consentaneum erat, resecavit auctor partis maioris librorum Z H. At cur tandem censemus hos libros recentiores esse quam maiorem partem librorum Γ Δ E? Ob varias causas. Et primum quidem incredibile videtur ὅρκων σύγχυσιν et certamen singulare Aiacis et Hectoris ab eodem poëta esse condita. Mitto quod etiam per se spectatum minus veri simile est eundem poëtam sibi duo proposuisse certamina eodem die commissa cum praesertim is dies iam satis superque expletus esset rebus gestis quas habent libri Γ Δ E. Verum hoc nego ullo modo fieri potuisse ut poëta qui certaminis mane habiti leges foede a Troianis violatas narrasset, idem narraverit sub eiusdem diei meridiem alterius certaminis leges nullo pudore ab Hectore propositas (H 67 sqq.) [1]), nulla apud Graecorum principes contumeliae recordatione, ne recentis quidem Menelai vulnere neque ipso neque ceterorum quoquam memore, acceptas esse. Idque cuiusnam certaminis? quod nullam neque necessitatem neque rationem haberet. At inquiunt ea quae leguntur libris Γ Δ E Z H inserta sunt ut adhiberentur argumenta carminum antiquorum ad ornandum et augendum poëma cui insererentur, eoque factum est ut inconcinna aliqua negligerentur. Non refragor; Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν, Διομήδους ἀριστείαν, Hectoris cum uxore colloquium, Paridis in proelium reductionem, Nestoris res gestas narratas in libro H, Hectoris Aiacisque certamen, Troianorum contionem de reddenda Hellena habitam, cuncta haec ex antiquis fontibus hausta esse in superioribus demonstrare conatus sum. Sed haec res tantam habet vim ut intellegamus quomodo fieri potuerit ut auctores librorum Γ Δ E et Z H complura ediderint quae minime concinant, non ut credamus potuisse unum eundemque esse. Accedunt enim ad ea quae attulimus

1) Hector quid de Pandari fraude censuerit non significat auctor librorum Γ Δ E. Veri simile est eum ne voluisse quidem Hectorem scivisse quisnam sagittam in Menelaum intendisset, nam Agamemnonem saltem id nescisse significat (Δ 206 sqq.) neque non Diomedem et Sthenelum qui tamen de ea re non siluissent cum Pandarum et Aeneam se petere animadverterent (E 241 sqq.). Sed utique duci Troiano etiam si perfidiam indigne ferret vix quidquam reliqui erat nisi ut foedere irrito facto suos in hostem duceret.

Digitized by Google

alia. Nam nuntius quem Priamus Agamemnoni mittit (H 372 sqq.) nolle Paridem Helenam reddere, si Graecorum imperator flagitasset ut redderet recte se haberet, ultro missus, sicut factum legimus, post vulnus Menelao inflictum et proelium deinde commissum praeposterus ne dicam absurdus est. Expectasset, credo, senex dum rogaretur, quod sane rogare Graeci vix operae pretium ducturi essent. Fugisse hoc auctorem libri H si alius fuit ac librorum Γ Δ E facile intellego, si idem fuit incredibile puto. Praeterea hoc notandum. Appellatur (H 165) Idomeneus inter heroës qui surgunt ad certamen cum Hectore ineundum sed rursus ita appellatur ut auditoribus cognitus esse habeatur, cum tamen neque antiquiorum Iliadis partium neque maioris partis librorum Γ Δ E auctores eum cognovisse viderimus.

Pertractavimus eas Iliadis partes quas licebat ostendere ante conditas esse quam Κόλου μάχην. Simulque apparuit quo temporis ordine deinceps essent conditae. Vidimus enim originis aetate maiorem partem librorum N O Ξ e qua illa complures versus repetitos haberet, succedere Τειχομαχίᾳ quae in ea tangeretur, Τειχομαχίαν vero tangi in Eurypyli vulnerati curatione atque hanc sequi post Τειχοσκοπίαν in qua Idomeneus quis esset auditoribus proponeretur, qui in hac, sive potius loco (Λ 501) qui eidem auctori esset tribuendus, auditoribus cognitus esse sumeretur, Τειχοσκοπίαν autem recentiorem esse quam maiorem partem librorum Γ Δ E utpote cui inserta esset, postremo hanc ob duplicem quam explicavimus causam recentiore origine habendam esse quam Πατροκλείαν cuius auctor Achilleïdem antiquissimam Iliadis partem cognitam haberet. Nunc autem videamus de ceteris Iliadis partibus ecquid statuere liceat quod pertineat ad temporis rationes sive quae inter ipsarum origines intercedant sive cum originibus earum partium quas modo pertractavimus.

Κόλοσ μάχη quamquam inter recentissimas partes Iliadis habenda est, recentior tamen est Νυκτεργεσία et Δολωνεία. Pro fonte Δολωνείᾳ fuisse supra vidimus [1]) carmen aliquod quod ad bellum Troianum non pertineret sed librum K inseri non potuisse nisi cum Πρεσβεία et Πατροκλεία in unum poëma con-

1) Mnem. 1913 p. 44.

Digitized by Google

iunctae essent, per se perspicuum est. Nam neque in Achilleïde ullus locus ei erat, neque in illo poëmate quod in Πρεσβείαϲ locum substitutam haberet Πατροκλείαν. Porro Διάπειρα videtur recentior esse libris N Ξ O, nam N 362 sqq. agi nobis apparuit (cf. supra p. 66) primum belli annum, in illa vero regum rixam cetera quae in Iliade narrentur, fingi vidimus acta esse belli anno decimo, sed utrum Διάπειρα ante an post Κόλον μάχην Iliadi addita sit sciri nequit, huius enim auctor quid de illa re censuerit non apparet neque aliud extat indicium quo res conficiatur. Neque magis apparet quae temporis ratio intercedat inter Κόλου μάχηϲ et Καταλόγου origines. Sed hic videtur post Διάπειραν insertus esse nam in hac legimus B 355 τίϲαϲθαι Ἑλένηϲ ὀρμήματά τε ϲτοναχάϲ τε, qui versus in illo recurrit B 590. Haustum esse hunc versum ex antiquo fonte in superioribus demonstravimus. Sed vix dubium quin Catalogi auctor repetiverit Διαπείραϲ locum. Nam in Nestoris oratione magnam vim habet mentio facta de Helenae luctationibus et lamentis, Catalogi vero loco vix ullam. Itaque si rogamus utri poëtae, Διαπείραϲ an Catalogi auctori, verisimilius sit fontem antiquum animo obversatum esse, responsum dubium esse non potest; neque enim versus noster in eorum numero est qui quasi pro formulis habendi sint. Ab altera parte res fert ut is qui Catalogum confecerit — cuius nuclei fontem fuisse ostendimus [1]) inter carmina antiquissima quae essent de bello Troiano — omnium receperit ducum nomina qui in Iliade qualis esset eius aetate, aliquas partes agerent. Itaque cum in eo desiderentur Asteropaeus dux Paeonum qui obiter commemoratur P 218, 351, et cum Achille congressus ab hoc interfectus esse narratur Φ 135 sqq., — Paeones duce Pyraechme habet Catalogus (B 848) et nullo duce addito Δολώνεια (K 428) —, Rhesus Thracum rex cuius cladem legimus in Δολωνείᾳ (K 435 sqq.), — Thracum autem gentem cui Rhesus imperet ante hac ostendimus [2]) distinguendam esse ab iis Thracibus quibus praesint Acamas (Z 8) et Pirous (Δ 520, 484) —, Caucones qui commemorantur in Δολωνείᾳ K 429 et in ἐπειϲοδίῳ quod est de Aeneae et Achillis certamine (T 329 sqq.), sequitur ut Δολωνεία, Asteropaei clades, Achillis

1) Mnem. 1912 p. 4. 2) Mnem. 1912 p. 86 sq.

Digitized by Google

cum Aeneae certamen, loci P 218, 351, postea quam Catalogus Iliadi addita sint. Etiam M 102 obiter appellatur Asteropaeus una cum Glauco, hos enim ibi Sarpedon sociis Troianorum praefectus comites in pugnae ductum ascivisse sibi narratur. Sed vss. M 102—104 interpolatos puto; proponitur enim ibi uterque quasi auditoribus iam cognitus sit neque patris neque patriae nominibus additis, cum tamen néque in libro M ante quam nostro loco néque usquam in cetera Iliade nisi locis origine libro M recentioribus compareant, néque quidquam sit cur credamus comparuisse in antiquioribus de bello Troiano carminibus [1]). Δολωνείαν modo vidimus recentiore esse origine quam Κόλον μάχην, de Catalogo sitne idem statuendum iam monuimus latere, inque eadem causa sunt loci quibus Asteropaei mentio fit, et certamen Achillis cum Aenea. Ceterum in Catalogo non tantum desiderantur complures duces et populi qui alibi commemorantur, sed ab altera parte complures etiam populi cum ducibus in Catalogo recensentur qui alibi in Iliade non occurrunt. Nam nonnisi B 603 sqq. inveniuntur Arcades, 748 sqq. Aenianes et Perrhaebi, 750 sqq. Dodonaei, 756 sqq. Magnetes, 671 sqq. incolae insularum Symae, Carpathi, Coi, Calydnarum. Hos igitur aut Catalogi auctor, aut quisquis alius sive poëta recentior sive rhapsodus eos Catalogo addidit, satis habuit inter Graecorum copias appellari nihil curans eos nullas partes agere in cetera Iliade. Quid vero? An inde efficiemus fieri posse ut etiam inter duces populosque Graecorum quos èt Catalogus èt cetera Ilias habet, tamen sint qui quo tempore ille conficeretur in hanc non dum recepti essent? Neque hoc per se verisimile est neque revera ex iis ulli sunt qui non occurrant in eis Iliadis partibus quae aetate superent Διάπειραν, quam ipsam antiquiorem esse quam Catalogum nobis apparuit. Sed videntur Arcades, ceteri quorum causa eadem est, tum additas esse cum multitudo nationum quas cetera Ilias doceret contra Troianos profectos esse, speciem praeberet expeditionis cuius universa fere Graecia particeps fuisset. Sic enim facile intelligitur fuisse qui censerent sine iusta causa illos praeteriri — praesertim si aliqua fama extaret ne eos quidem expertes fuisse expeditionum maritima-

1) De Asteropaeo cf. Mnem. 1912 p. 305; de Glauco cf. Mnem. 1913 p. 245 sqq.

Digitized by Google

rum — neque tamen qualis ipsorum aetate Ilias esset, ullum locum in ea relinqui viderent inserendi aliqua fortia facta ab illorum principibus edita, aut ipsi non essent ea ingenii fertilitate quae talia eis suppeditaret. E Troianorum sociis non populos quidem sed duces aliquos Catalogus habet qui in cetera Iliade non recurrant, qualis est Ciconum dux Euphemus (B 846) Halizonum Epistrophus (B 856), Pelasgorum Pylaeus (B 840), Carum Nastes (B 867). Sed nihil vetat credere Catalogi auctorem hac in re sive liberius sive negligentius egisse praesertim si horum nomina aliunde cognita haberet.

In *ἐπεισοδίῳ* quod continetur libris Γ Δ Ε ob eandem causam cur *Τειχοσκοπίαν* et *Ἀγαμέμνονος ἐπιπώλησιν*, etiam Alexandri et Helenae amores (Γ 383—447) et Tlepolemi et Sarpedonis certamen (Ε 627—698) initio abfuisse veri simile est, quippe quibus, ut nihil molesti habeant, ita nullum necessitatis vinculum cum ceteris intercedat, amplius autem quam ipsa materiae cohaerentia cogeretur non credibile sit *ἐπεισοδίου* auctorem dilatasse huius ambitum, onerantem non ingratis quidem sed supervacuis additamentis. Sed qui inseruerit Tlepolemi et Sarpedonis certamen, eidem aut etiam recentiori poëtae adscribenda videntur Sarpedonis iurgia quibus Hectorem insectatur (Ε 471—506) quae frigent iactata post Martis adhortationem (Ε 464—470), cum praesertim hanc divellant ab eis quae deinde belli deus agit (Ε 506 sqq.) quacum haec artissime cohaerent, siquidem èt Ε 454 sqq. èt Ε 508 sqq. significatur Apollinis rogatu se interposuisse. Accedit quod per totos libros Γ Δ Ε nisi hic et in certamine cum Tlepolemo, Sarpedon non prodit. Ceterum ante *Τειχομαχίαν* hoc certamen Iliadi insertum esse statuendum est, si recte supra suspicati sumus [1]) ansam id dedisse *Τειχομαχίας* auctori laudandi insignem Sarpedonis fortitudinem; de originis aetate eius loci quo aguntur Alexandri et Helenae amores hoc tantum patet recentiorem eam esse quam maioris partis librorum Γ Δ Ε. Restat ut duos locos notemus quos libro Ε insertos censeamus. Nam Ε 384 sqq. Dione ait propterea saepius deos ab hominibus laesos esse, quod dei ipsi inter se mala machinarentur; quibus cum dictis optime cohaerent quae legun-

1) Mnem. 1913 p. 247.

Digitized by Google

tur vs. 405: „et in te incitavit Minerva Tydei filium"; sed quae mediae inter haec referuntur iniuriae deis a mortalibus illatae, nulla harum eiusmodi est, quam *inimico deo* auctore deus aliquis ab homine mortali acceperit. Itaque vs. 385—404 recentiore manu additos esse satis certum videtur, in quibus rursus vss. 395—702 recentiores ceteris esse iam antehac demonstravimus [1]). Postremo vss. 340—342) vix dubium est quin interpolatori assignandi sint, neque enim is qui modo dixerat (vs. 39) „ῥέε δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο" dicere potuit (vs. 342) „ἀναίμονέσ εἰσι [θεοί]." Rursus inter Iliadis auctores quem locum obtineant, si temporis ordo observetur, aut horum versuum aut vss. 385—404 auctores sciri non posse confitendum est.

Libros Z H cum maximam partem uni eidemque auctori tribuendos esse supra demonstraverimus [2]) unum in eis invenitur ἐπεισόδιον quod nescio an potius recentiore manu insertum esse censeas. Est hoc autem Γλαύκου καὶ Διομήδουσ συμβολή (Z 119—236). Quod ob nullam aliam causam alii auctori assignandum putamus, nisi quod salvo contextu ceterorum quae libris Z H continentur tollere licet, quam causam tamen sufficere arbitramur. Cumque e Glauci verbis (Z 124) „nequaquam te ante vidi in proelio" [3]) satis fidenter efficere liceat huius ἐπεισοδίου auctorem sibi proposuisse primum belli annum, absurdum enim esset eum cogitare de belli tempore decennali, veri simile est illud neque non — id quod hinc sequitur — maiorem etiam partem librorum Z H conditam esse ante quam Διάπειραν quippe quae decimum belli annum referat [4]). Sed libros Z H recentiores esse origine quam Τειχομαχίαν inde efficiendum videtur quod sub finem libri H (vss. 336—343, 436—443) muri Graecorum castris circumdati narratur aedificatio. Etiam in Achilleïde ter commemoratur murus, id vero duobus locis (I 67, 87) ita coniuncte cum fossa ut si hos locos per se spectes, minime necesse videatur aliud quidquam significatum esse nisi aggerem e fossa erutum, ab interiore eius parte, spatio mediocri interiecto nam custodes considunt (I 87) inter murum fossamque, extructum. Neque repugnat tertius locus (I 232), ubi Troiani dicuntur consedisse

1) Mnem. 1913 p. 258.
2) p. 69.
3) Cf. supra p. 66.
4) Cf. Mnem. 1913 p. 54 sq.

Digitized by Google

ἐγγὺς νηῶν καὶ τείχεος, confirmatur autem res non tantum eo quod in Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ èt rex vulneratus in campo suos adhortatur (Λ 277) ut defendant naves èt paulo post Aiax (Λ 557) hostibus cedens a poëta dicitur pertimuisse navibus, neutro loco muri mentione facta et quasi illae sicubi in campo male pugnetur salvae esse non possint, murus igitur vix ullius pretii esse videatur — tamen hi loci idcirco minus valent quia veri simile est, id quod in superioribus demonstravimus [1]) ex antiquo carmine Ἀγαμέμνονος ἀριστείαν haustam esse quapropter fieri potest ut illi minus considerate e fonte repetiti sint — sed praesertim inde apparet poetam sibi proposuisse murum humilem, quia O 653 legimus „εἰσωποὶ δ' ἐγένοντο νεῶν". Qualis Ilias nunc est Troiani iam multo ante quam in conspectum navium venissent, murum intraverant (O 384), iam intra eum cum hostibus pugnaverant de navibus se defendentibus (O 387), iam Hector conatus erat navem incendere (O 415 sqq.) quam rem, quia nusquam ne verbo quidem indicatum erat eos deinde repulsos esse, vere dixeris absurdam esse, quapropter in superioribus [2]), cum vss. 653 sqq. adscriberemus Achilleïdi cui etiam tribuebamus vss. 592—595 ubi Troiani ad naves contendere narrabantur, locum 306—591 iudicavimus poëtae deberi recentiori qui totus in ornanda et augenda pugna apud naves non attenderit repugnantiam quam admitteret. Atque vss. 596—652 alias ob causas abnegavimus Irae Cantori [3]) qui igitur postquam narravit (O 592 —595) Troianos in naves ruere, cum nostro loco (O 653) nulla muri mentione facta eos in illarum conspectum venire diceret, deinde, ita enim pergit (O 653 sqq.), nulla mora facta inter naves se effundere — quod recte se habet, optime enim sic festinatio et brevissimum temporis spatium quo res confecta sit, ante oculos ponitur — luce clarius significavit nullius momenti esse aggerem pro navibus extructum, qui neque conspectum earum prohiberet, neque hostium impetum ab iis arcere posset, ut nihilo magis fossa quae aeque siletur. Prorsus alia imago in Τειχομαχίᾳ proponitur ubi murus latus (M 5) fundamentis lapidibus impositus (M 29, 259), pinnis supra instructus

1) Mnem. 1913 p. 51.
2) Supra p. 76.
3) Supra p. 77 sq.

Digitized by Google

(M 258, 397), fores portae ingenti obice clausae (M 121), turres iuxta institutae (M 36, 332), fossae ultro etiam vallis praeacutis munitae (M 55), crebros Troianorum impetus aliquamdiu sustinent; tantae autem munitionis moles facile poëtam quempiam in cogitationem adduxit opus maius esse quam quod Graeci statim suscepissent cum appulissent classem, ancipiti eventu primae pugnae in campo commissae factum esse ut quo prudentissimo consiliario uteretur exercitus, Pyliorum rex grandavus in regum consilio id suasisset, eamque rem dignam esse quae ab oblivione vindicaretur; fac contra librorum Z H auctorem non cognovisse Τειχομαχίαν, non intellegis quid eum induxerit ut narraret Graecos consilium inisse aedificandi πύργους ὑψηλούς εἶλαρ νηῶν τε καὶ αὐτῶν (H 338) vel, ut paulo post legimus (H 435 sq.), τεῖχος πυργοὺς θ' ὑψηλούς cuius rei nullusdum poëta mentionem fecisset in proeliis describendis. Nam etiam auctor eius loci quem modo attuli (O 306—591) non eum murum sibi proposuit quem is qui Τειχομαχίαν condidit, narrat enim Apollinem ut Troianis viam sterneret qua intrarent, pedibus diruisse ὄχθας καπέτοιο βαθείης, deinde evertisse murum ῥεῖα μαλ' ὡς ὅτε τις ψάμαθον πάϊς ἄγχι θαλάσσης ὅς τ' ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα νηπιίῃφι ἀψ' αὖτις συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων, sed Τειχομαχίας auctor totidem verbis perhibuit (M 10 sq.) ὄφρα μὲν Ἕκτωρ ζωὸς ἔεν καὶ ἐμήνι' Ἀχιλλεὺς καὶ Πριάμοιο ἄνακτος ἀπόρθητος πόλις ἔπλε τόφρα δὲ καὶ μέγα τεῖχος Ἀχαιῶν ἔμπεδον ἦεν. Praeterea totus ille locus nescio quomodo friget si cogitamus Apollinem pedibus deiecisse murum fundamentis lapideis, turribus munitum, qualem Τειχομαχίας auctor vix vi coniuncta septem fluviorum a duobus deis destructum esse tradidit (M 17 sqq.). Itaque loci O 306—591 auctor, quem quamquam ab eo Achilleïdem abiudicandam esse vidimus, tamen in superioribus iam demonstraveramus [1]) nihil vetare pro antiquiore habere quam auctorem maioris partis librorum N Ξ O, etiam Τειχομαχίας auctori aetate praeësse videtur, sed hic auctori librum Z H.

In libris Π P Σ T T Φ X quibus contineatur poësis Πατροκλείας auctori debita, praeterea èt inveniri — idque in libro T — quae ad Achilleïdem referenda sint, èt complures locos a recentioribus

1) Supra p. 75 sq.

Digitized by Google

insertos in superioribus demonstravimus. Hi vero loci inserti utrum uni an pluribus poëtis tribuendi sint, quisnam de singulis dicat? Unum tantum constare videtur, eum qui Antilochi missionem ad Achillem condiderit alium fuisse atque eum qui èt hanc èt Iridis missionem coniunxerit, illum enim hoc egisse ut Antilochi missionem in Iridis missionis locum substitueret, ab hoc qui ea coniungeret insertum esse responsum Iridi ab Achille datum (Σ 187—201), ab hoc loco suo quem initio obtinuissent mota esse èt Thetidis cum filio colloqnium quod nunc legitur Σ 36—67 èt colloquium Iovis cum uxore (Σ 356—367) èt fortasse contionem Troianorum (Σ 243—314); quibus de rebus in superioribus ea quae satis esse viderentur disseruimus [1]). Iam vero temporis ordinis si habeatur ratio, quo loco in Iliadis auctorum numero collocandus sit aut Antilochi missionis auctor aut is qui eam cum Iridis missione coniunxerit aut ceterorum locorum insertorum aut auctor aut auctores, de ea re rursus maximam partem prorsus incerti haeremus. Pauca aliqua statuere licet. Nam ét per se perspicuum est tam Irae Cantorem quam Πατροκλείας auctorem illis aetate praeire, ét certamen Patrocli et Sarpedonis cum pugna de huius corpore ét fratrum geminorum Mortis et Somni ministerium absportandi id in patriam, condita (Π 419—683) esse post Τειχομαχίαν quippe quae in iis tangatur (Π 558), tum Glauci iurgia quibus insectetur Hectorem (P 140—191) cum in iis Sarpedonis mortem huic obiciat, aut eidem poetae deberi aut recentiori. E locis libris de quibus nunc agimus insertis complurium argumenta hausta esse e carminibus antiquis, ut certamen Achillis et Aeneae (Τ 156—364[a]), eiusdem et Iphitionis (Τ 381—392), Lycaonis ab Achille capti casus (Φ 35 sqq.), Asteropaei cladem ei ab Achille illatam (Φ 135—199), Scamandri cum Achille proelium (Φ 211—382) suo loco ostendimus [2]).

Superest ut agamus de libris Ψ Ω. Hos siquidem Πατροκλείας auctori abnegandi sunt, id quod supra demonstravimus [3]), a recentiore poëta vel poëtis illius operi esse additos non opus dictu est. Ac neque Ἄθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ neque Ἕκτορος λύθρα tota

1) p. 299 sq.
2) Mnem. 1912 pp. 289 sqq., 305, 316.
3) p. 309.

Digitized by Google

deberi uni poëtae verisimile puto, neque tamen huiusmodi indicia se offerri unde certi quidquam efficere liceat. Unum tantum afferam, loci Ω 347 sqq. auctorem sibi fingere Hectorem primo anni bello occisum, nam narratur ibi Mercurius κούρῳ γεγοικὼς πρῶτον ὑπηνήτῃ Priamo occurrens eum docere se e sex fratribus sortitum esse militiam, quod cum res ferret ut belli initio factum esset, ex ipsa dei specie iuvenili sequitur ut non nisi paulo ante bellum exortum sit; contra poëtam eum qui Helenam proposuerit lamentantem Hectorem mortuum (Ω 762 sqq.) eam facere dicentem „ἤδη γὰρ νῦν μοι τόδ' ἐπεικοστὸν ἔτος ἐστί". Quid autem amplius de horum librorum originis aetate? Liquido apparet vix quidquam sciri posse. Solum hoc satis fidenter confirmes habitum et quasi colorem orationis, id quod in superioribus iam monuimus [1]), eum esse ut sermo epicus videatur quodammodo deficere poetas in clare enuntianda mente, et verba rem ut ait Horatius iam invita sequi incipiant. Id autem cum temporis decursu fieri perspicuum sit ut usus paulatim constitutus poëtas quasi vetet nova verba novas elocutionis rationes adhibere, sequitur ut haec Iliadis pars inter recentissimas habenda sit.

Postremo hoc notandum videtur. In superioribus ubi de Idomeneo et rursus ubi de Nestoris filiis tum ubi de Glauco deque Asteropaeo egimus, perhibuimus eos heroës qui non ante Homeri aetatem a poëtis in bellum Troianum inducti essent — qui quidem in principum numero essent nam de hominibus e plebe rem aliter se habere — fieri non potuisse quin poëtae qui primi in Iliade appellarent, ubi primum eos appellarent, addiderint aut patrem aut patriam, ea igitur ἐπεισόδια in quibus, quo loco primum appellentur, addantur neque pater neque patria, non deberi poëtis qui primi eos in Iliadem induxerint. Sed forsitan hic quis roget cur constituentes temporis ordinem quo Iliadis partes conditae sint huius legis rationem non habuerimus nisi ubi egerimus de eis ἐπεισοδίοις in quibus commemorarentur Glaucus, Asteropaeus, Idomeneus, Nestoris filii. Respondendum est heroüm Graecorum et Troianorum qui in Iliade appellentur longe plurimos

1) Supra p. 51.

Digitized by Google

iam in carminibus antiquioribus quibus bellum Troianum ageretur, celebratos esse eosque non tantum qui primarium in eo locum obtineant Achillem, Diomedem, Ulixem, Aiaces, Hectorem, Paridem, Aeneam, Antenorem ceteros, sed etiam qui secundas vel tertias agant partes Thoantem, Megetem, Menestheum, Peneleum, Medontem, Podarcem alios, id quod suo loco demonstravimus [1]), e perpaucis autem illis qui ab Homero primo in bellum Troianum recepti sint si discedas ab Idomeneo Nestoris filiis Glauco Asteropaeo, ceteros aut omnino non appellari patre et patria non additis, aut non nisi in ἐπεισοδίοις quae ob alias causas recentiora esse habenda demonstraverimus quam ea ubi appellentur additis. Sic comparatis locis ubi commemoratur Eurypylus, apparet ceteros recentiores esse quam E 76 ubi additur pater Euaemon [2]), omnes ubi Machaon appellatur recentiores sunt quam Δ 193. ubi additur pater Aesculapius [3]). Praeter hos duos nulli sunt qui in eadem causa versentur, eos autem appellare qui in Iliade non commemorentur nisi patria addita, nihil opus videtur.

(*Continuabuntur*).

---

1) De Thoante cf. Mnem. 1912 p. 13; de Megete l.l. p. 13; de Menestheo, Stichio, Phidante, Abante, Iaso l.l. p. 9; de Peneleo, Leito, Ascalapho, Prothoënore, Promacho, Arcesilao l.l. p. 7; de Medonte et Podarce l.l. p. 5; de Antenoris filiis Archilocho, Acamante, Agenore, Laodamante, Pedaeo l.l. p. 33, de Polydamante l.l. p. 33; de ducibus Ciconum, Halizonum, Pelasgiorum, Maeonum, Mysorum, Phrygum Ascaniorum cf. l.l p. 39.

2) De Eurypylo cf. p. 316. Commemoratur autem B 677, 736, E 76, 79, Z 36, H 167, Θ 265, Λ 575, 579, 582, 591, 661, 808, 818, 831, 837, M 2, O 392, 399, Π 27. Sed versus Π 27 fieri non posse quin spurius sit, ex eis quae demonstravimus l.l. sequitur.

3) Machaon commemoratur B 732, Δ 194, 200, Λ 506, 512, 517, 832, Ξ 3.

Digitized by Google

NOVAE INSCRIPTIONES ARGIVAE.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Titulorum antiquorum Argis repertorum satis magnum numerum hucusque in diario cui nomen *Bulletin de correspondance hellénique* [1]) publici iuris fecimus, libenter usi urbanissima hospitalitate qua et nos et studiorum nostrorum epigraphicorum primitias rectores scholae franco-gallicae, quae Athenis floret, exceperunt. Iam horum alterum fasciculum cum lectoribus Mnemosynes nostrae communicare libet, idque ea ratione ut perpetuo commentario adiecto singulos minutius interpretari et quidquid novi ex iis cognoscatur scrutari studeamus.

I.

INSCRIPTIO AD RES COMMUNIS ARCADUM REIPUBLICAE PERTINENS.

Die XXII mensis Iunii anni 1912 e muris aetatis byzantinae, quae aream templi in foro urbis siti [2]) occupaverant, protracta sunt duo fragmenta permagnae tabulae lapideae. Lapis est

1) 1903, p. 260—279; 1904, p. 420—429; 1905, p. 318; 1908, p. 236—258; 1909, p. 171—200, p. 445—466; 1910, p. 331—354; 1913, p. 279—309.

2) De quo vide B. C. H. 1907, p. 177.

Digitized by Google

Inscriptio Argis reperta.

Digitized by Google



Digitized by Google

calcarius albicans indigena. In fragmento A tabulae margo dexter inde a vs. 7 usque ad vs. 14 servatus est, fragmentum B undique mutilum est. Fragmenti A altitudo est 0m. 28, latitudo 0m. 23, crassitudo 0m. 16, fragmenti B altitudo 0m. 44, latitudo 0m. 40, crassitudo 0m. 16. Litterae sunt 0m. 01 altitudine, spatium, quo versus inter se distant, est tantum 0m. 005, vel certe 0m. 007 nusquam excedit.

Uno tantum puncto fragmenta iunguntur: si lapides ita iuxta compones, ut versus 13 fragmenti A versui 5 fragmenti B contiguus sit, cernes litterae O sinistram partem in fragmento B, dextram in fragmento A exstantem. Quapropter photographemata fragmentorum in tabula, quae huic disputationi adiecta est, hoc modo coniungenda curavi.

Litterarum formae IV° a. C. n. saeculo inscriptionem tribuendam esse docent cumque littera, qua adspiratio vocalium indicatur, adhuc identidem hic occurrat [1]), potius priori parti illius saeculi lapidem adsignandum esse arbitror quam posteriori. Similes litteras, quamquam paululo neglegentius incisas, exhibet alia inscriptio Argiva (I. G. IV, 616), quae anno 362—361 tribuenda esse videtur. Occurrit etiam littera *r*, vel potius vs. 11 in voce *ἀ*[*r*]*ῶ* restituenda est, sed haec de aetate tituli nihil nos docere potest, quippe quae Argis vel III° a. C. n. saeculo adhuc in titulis publicis inveniatur. Lapicida rem suam ita egit, ut finis uniuscuiusque versus cum fine integrae syllabae congrueret. Scimus autem hac ratione uti coepisse lapicidas vergente saeculo V°, deinde saeculo IV° celeriter percrebruisse. Cuius rei multa exempla congessit Larfeldius [2]).

Ut inscriptionem legerem et in marginibus litterarum vestigia examinarem, usus sum apographis meis photographematis ectypo chartaceo.

---

1) In nonnullis vocabulis modo scribitur, modo omittitur: *ὑπέρ* (vs. 23), *ὑπέρ* (vs. 10, 20), *ὑ*[*πέρ*] aut *ὑ*[*πό*] (vs. 22), *ὀδοῦ* (vs. 14, 23), *ὀδῷ* (vs. 28).

2) Larfeld, Handbuch der griech. Epigraphik, I, p. 218—220.

Digitized by Google

α
ος, ἐνς τὸ Πα
λου κοινὰ τῶν ἀ
[ἀ]ίες. ὅρος Κιθάρι[ον]·
ονς, ἐνς τὸν Ῥηχμό[ν],
ον, ἂν τὰν Στεφάνα[ν],
[ἐ]νς τὸ τοῦ Πολεμο-
[κράτους] ου ἀνιόντος ἀπὸ τᾶς
ς, ἐνς τῶ[ν ὑδάτω]ν συ̣ροὰν ὥρω
[δύο] [ἐ]κ τῶν Αὐλίων ἐπι[πολ]ᾶ̣ς τῶν ὥρων ὑπὲρ
κλᾳ̣ ἄλλος ὧρος, τὰ δ' ἐπ' ἀ[ῤ]ῶ τούτου ὅρος Ποι-
[ἐνς] Τραγευρίναν, τὰν ὁδὸν τὰμ Μελεαγρειόν-
[δε] [τοῦ συντ]όμου τοῦ κατὰ Μελεάγρειον ποῖ τε τὰν Δρογα
ω τᾶς ὁδοῦ ὅρος Ἐπινώιον· ᾷ̣ ὤ̣[ρι]σται, κατὰ τὸ
[κ]ατὰ Μελεάγρειον καὶ ἐνς τὰν Σκο[π]ὰν κ
[ἐνς τὸ τοῦ Ἐρ]μᾶνος, κατ' Ἀμ̣Φίροον, ἐνς τὸ τοῦ Λυ
[ἐνς τ]ὸν Δαμάάνδρον, ἐνς τὰν Δυσπορ[ίαν]
αν, ἐνς τὸ ὀχετόκρανον, ἐνς τὸ τοῦ
ἐν τοῖς Κλᾴθροις. ὅρος Ἀργειατᾶ̣[ν]·
τὰν ὑπὲρ τοῦ Λιθάμαντος. ὅρος
αν. ὅρος Ὀνχνιάίον· ᾷ̣ ὥ̣ριστα[ι]
ας, ᾷ̣ ἀ πέτρα, ἔνς τὸν ὦρον τὸν ὑ[π]
παν τὰν ὑπὲρ τᾶς ὁδοῦ, ἐνς τὸν
[ἐν]ς Τράπεζαν, τᾶς ἐνς τὸ τοῦ Πανὸς πο[ῖ τε]
ου. (Λ)εῦκτρον ὅρος· ἀπ' Αἰετοῦ Ἐλᾶς
ου, ἐνς τὸ Κεραύνιον, ἐπ' Ὄνον, ἐνς τὰν
[Α]ἰετοῦ Ἐλάν. Πλατὺ ὅρος· ἀπὸ Κορα̣ν
υλίειαν κράναν, ὁδῷ διὰ τοῦ δρυμο[ῦ]
[ἐν]ς τὸ Χαράκωμα, ἐνς τὸν Ἀνδρα
[ἐν]ς τὰν Σκοπάν. ὅρος Αὐκλιεία[ς]·
[ὅρος] Κώπιον· ἀπὸ τοῦ λάκκου τοῦ π
ὁδῷ ἐ[ν]ς τὸν Δο
ιλ . ν

Digitized by Google

Haec qui vel strictim percurrit continuo intellegit de finibus regendis hic agi. Non vero confinium duarum civitatum terminatur, sed in pagos aliqua civitas dividitur. Pagi autem illius civitatis, quaequae est, dicuntur ὄρη, quae vox hac sententia adhuc inaudita est nec nisi in regionem montuosam quadrare videtur. Ecce nomina X pagorum, quae in fragmentis nostris leguntur:

ὅρος Κιθάρι[ον] (vs. 4)
ὅρος Ποι – – (vs. 11)
ὅρος Ἐπινώιον (vs. 14)
ὅρος Ἀργειατᾶ[ν] vel Ἀργειᾶτα[ι] (vs. 19)
ὅρος – – (vs. 20)
ὅρος Ὀνχνιάϊον (vs. 21)
(Λ)εῦκτρον ὄρος (vs. 25)
Πλατὺ ὄρος (vs. 27)
ὅρος Αὐκλιεία[ς] vel Αὐκλίεια (vs. 30)
[ὅρος] Κώπιον vel – – κώπιον (vs. 31).

Inde a vs. 19 lapicida sexies [1]) ante vocem ὄρος initii novae paragraphi indicandi causa unius litterae spatium vacuum reliquit. Vs. 4 (= A, vs. 4) ante ὄρος Κιθάρι[ον] et vs. 14 (= B, vs. 6) ante ὄρος Ἐπινώιον non item, quo facto incertum fit incipiantne ibi novae paragraphi necne. Ne vs. 11 (= A, vs. 11) quidem ante ὄρος Ποι – – ullum spatiolum vacat, sed id recte, quia ibi ex ipsis verbis efficitur non exordiri novam sententiam. Ceterum etiam vs. 12 (= B, vs. 4) vocabula Τραγευρίναν et τάν sine causa, ut videtur, parvo intervallo dissaepta sunt.

Tabulam solito maiorem fuisse manifestum est. Inter finem enim vs. 20 et initium versus sequentis deest nomen unius e pagis cum omnibus eius finibus terminisque. Quodsi tam lata fuit tabula, etiam altissimam eam fuisse consentaneum est. Exiguam ergo partem tenemus magni alicuius decreti.

Prima nunc quaestio oritur, cuiusnam regionis pagi hic terminentur. Quae ut possit solvi, ante omnia index nominum geographicorum, quae in fragmentis nostris insunt, oculis subiciendus est:

---

1) vs. 19 = B, vs. 11; vs. 20 = B, vs. 12; vs. 21 = B, vs. 13; vs. 25 = B, vs. 17; vs. 27 = B, vs. 19; vs. 30 = B, vs. 22.

Digitized by Google

Αἰετοῦ Ἐλά (vs. 25, 27)
Ἀμφίροος (vs. 16)
Ἄνδρα (vs. 29)
Ἀργειᾶται (vs. 19)
Αὐκλίεια (vs. 30)
Αὔλια (vs. 10)
Δαμάἀνδρος (vs. 17)
Δο – – (vs. 32)
Δρογα (vs. 13)
Δυσπορ[ία] (vs. 17)
Ἐπινώιον ὄρος (vs. 14)
[τὸ τοῦ Ἐρ]μᾶνος (vs. 16)
Κεραύνιον (vs. 26)
Κιθάρι[ον] ὄρος (vs. 4)
Κλᾶθρα (vs. 19)
Κορανν – – (vs. 27)
Κώπιον (vs. 31)
(Λ)εῦκτρον (vs. 25)
Λιθάμας (vs. 20)
τὸ τοῦ Λυ – – (vs. 16)
Μελεάγρειον (vs. 12, 13, 15)
Ὄνος (vs. 26)
Ὀνχνιάϊον ὄρος (vs. 21)
Πα – – (vs. 2)
τὸ τοῦ Πανός (vs. 24)
Πλατὺ ὄρος (vs. 27)
τὸ τοῦ Πολεμο[κράτους] (vs. 7, 8)
Ῥηχμός (vs. 5)
Σκοπά (vs. 15, 30)
Στεφάνα (vs. 6)
Τραγευρίνα (vs. 12)
Τράπεζα (vs. 24)
– – κλα (vs. 11)
– – υλίεια κράνα (vs. 28)
τὸ τοῦ – – (vs. 18)

Horum locorum maxima pars ignota est: **Τράπεζα Σκοπά (Λ)εῦκτρον Ἀργειᾶται** ubi sita fuerint ex scriptoribus antiquis demonstrari posse arbitror. His addendum videtur fanum Pole-

Digitized by Google

mocratis, quod tamen in praesens omittere satius duco, quoniam nomen herois non integrum in lapide legitur.

Τράπεζα. Cf. Steph. Byz.: Τράπεζα· πόλις Ἀρκαδίας ἐγγὺς Τρικολώνων· οἱ πολῖται Τραπεζεῖς. Paulo infra Stephanus etiam oppidi Trapezuntis mentionem facit: Τραπεζοῦς· ... ἔστι καὶ Ἀρκαδίας πόλις Τραπεζοῦς, ἀπὸ Τραπεζοῦντος παιδὸς Λυκάονος, ὡς Παυσανίας, ὀγδόῳ ... ὁ πολίτης Τραπεζούντιος ... καὶ ἡ χώρα Τραπεζουντία. Alia igitur Trapeza, alia Trapezus erat? Hoc difficile ad credendum videbatur. Itaque hucusque viris doctis persuasum erat oppidum illud et Τράπεζαν dictum fuisse et Τραπεζοῦντα; Trapezunta enim non procul a Tricolonis sitam fuisse plane constat. Nuper tamen Hillerus in utilissimo libro, quo omnes inscriptiones Arcadicas collegit [1]), aliter se censere significavit. Cum enim universa de Arcadiae locis testimonia undique conquirere et componere ei curae esset, ea quae Stephanus de oppido Trapeza praebet consilio omisisse videtur, ut se docto Byzantino hac quidem in re fidem denegare ostenderet. At nunc Stephano opitulatur inscriptio nostra, siquidem, ut in sequentibus me tibi probaturum esse spero, de Arcadiae oppido Trapeza hic agitur. Manet quaestio, utrum Trapeza et Trapezus diversae fuerint necne. De qua ut recte possit iudicari, historiam Trapezuntis inspiciamus, si quid ex ea commodi capere contingat. Oppidum hoc, quod primum apud Herodotum (VI, 127) commemoratur, sed sine ullo dubio antiquissimum erat, post Megalopolin conditam prorsus interiisse et e numero civitatum Arcadicarum excessisse efficitur e Pausania (VIII, 27, 5—6). Narrat enim Trapezuntiis primo ipsis placuisse, ut sedibus suis desertis Megalopolin migrarent, postea vero et illos et trium vicinarum civitatum incolas consilii paenituisse. Tum ceteros partim vi in urbem ductos esse, sed in Trapezuntios iram Arcadum exarsisse: Τραπεζούντιοι δὲ ἐκ Πελοποννήσου τὸ παράπαν ἐξεχώρησαν, ὅσοι γε αὐτῶν ἐλείφθησαν καὶ μὴ σφᾶς ὑπὸ τοῦ θυμοῦ παραυτίκα διεχρήσαντο οἱ Ἀρκάδες· τοὺς δὲ αὐτῶν ἀνασωθέντας ἀναπλεύσαντας ναυσὶν ἐς τὸν Πόντον συνοίκους ἐδέξαντο μητροπολίτας τ' ὄντας καὶ ὁμωνύμους οἱ Τραπεζοῦντα ἔχοντες τὴν ἐν τῷ Εὐξείνῳ. Haec ultima

1) Inscriptiones Graecae, V, 2: Inscriptiones Arcadiae, ed. Fridericus Hiller de Gaertringen, Berolini, 1913.

Digitized by Google

Hillerus [1]) ficta esse autumat, quod Pontica civitas revera Sinopensium colonia fuerit. Esto rem sic habuisse: nonne nihilominus fieri potest ut iam saeculo IV⁰ Trapezunte in ora Pontica fabula et persuasio quaedam popularis de prisca Arcadica origine pro vero obtinuerit? Utut est, de Arcadici oppidi interitu, cum Megalopolis condebatur, nemo unquam dubitavit. Ecquid post hunc eventum loco, quo oppidum iacuerat, pro exsecrato nomine Trapezuntis Trapeza nomen inditum est [2])? Si hoc verum esset, postea novi loci incolae Τραπεζεῖς, ut ait Stephanus, dicti esse possent. At Hillerus Diodori l. XV c. 94 nisus affirmat non diu post pugnam ad Mantineam, itaque anno 361, Trapezunta dirutam esse [3]). Qua in re si recte senserit ille, corruat explicatio mea, cum inscriptio ante annum 361 incisa sit. Sed cum Trapezus apud Diodorum non nominatim adferatur, fieri posse dixerim ut iam prius Panarcadibus restiterit et deleta fuerit. Sin minus, putandum erit Argivos pro Trapezunte Trapezam dixisse.

Σκοπά. Tradit Pausanias (VIII, 11, 7) Epaminondam in proelio apud Mantineam graviter saucium ex acie in locum vicinum translatum esse, unde prospectus ad milites pugnantes pateret: ὁπόθεν δὲ ἀπέβλεπεν ἐς αὐτούς, ὠνόμαζον Σκοπὴν οἱ ἔπειτα. Ex hoc loco pro certo discimus haud procul a campo, ubi anno 362 pugna commissa est, fuisse collem, cui nomen esset Σκοπά i. e. *specula*. Nam quod ait Frazerius in commentario suo e narratione Pausaniae ne illud quidem effici posse eum de loco *edito* loqui, hoc prorsus redarguitur verbis ὁπόθεν δὲ ἀπέβλεπεν. Dudum tamen intellexerunt Loringius [4]) et Fougeresius [5]) colllem illum non post proelium Mantinense demum Speculam nominatum esse, sed ei antiquitus hoc nomen fuisse; quod loci incolae dum more populari explicare conantur, suo Marte finxerunt Epaminondam inde in planitiem despexisse. Recte sensisse viros doctos nunc nitido argumento demonstratum est, si modo iure in-

1) I. G. V, 2, p. 128, vs. 30 sqq.

2) Cf. Curtius, Peloponnesos, I, p. 304: Das breite *Tafelland*, mit dem das Lykaion ostwärts gegen den Alpheios vortritt ... war die alte Trapezuntia.

3) I. G. V, 2, p. xx, vs. 53 sqq., p. 128, vs. 25 sqq., p. 140, vs. 103.

4) Journ. of Hell. Stud. 1895, p. 82 sq.

5) Fougères, Mantinée et l'Arcadie orientale, p. 111.

Digitized by Google

scriptionem nostram anno 362 antiquiorem esse sumimus. Antiquam Σκοπάν eruditorum maxima pars collem hodie Mytika dictum esse credunt, unde Mantinica omnis et pars agri Tegeatarum conspicitur et in cuius latere rudera turris, quae speculae vice functa esse videtur, hodie exstant. Vide descriptionem locorum apud Fougeresium l.l.

(Λ)ευκτρον. In lapide Λευκτρον legitur, quod mendum operarii esse suspicor. Est sane aliquid quod nobis hic primo obtutu scrupulum inicere possit. Exstabat olim inscriptio Argiva inferioris aetatis [1]), qua continebatur index civitatum e variis regionibus Graeciae. Inter alia nomina legebantur haec:

Λευκτον
Κορώνη Ἀρκ .

Sed titulus ille, qui periisse videtur, forsitan male lectus sit; sin minus, casu accidisse putaverim, ut idem error bis in duobus lapidibus Argivis repetitus sit. Hoc enim luculenter ostendit titulus Corinthius [2]) eiusdem aetatis, qui in simillimo civitatum indice haec exhibet:

Λ[ε]ῦκτρο[ν]
Κορώνη .

Tres locos in Graecia fuisse quibus nomen esset Λεῦκτρον sive Λεῦκτρα docet Plutarchus [3]): horum alterum in Boeotia, alterum in ora Laconiae maritima [4]), tertium haud procul a Megalopoli (πρὸς τῇ Μεγάλῃ πόλει τῆς Ἀρκαδίας) situm esse dicit. Hoc ultimum, quod in inscriptione nostra commemoratur, saeculo V⁰ adhuc Laconicum fuisse tradit Thucydides (V, 54: ἐξεστράτευσαν δὲ καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους (anno 419) πανδημεὶ ἐς Λεῦκτρα τῆς ἑαυτῶν μεθορίας πρὸς τὸ Λύκαιον. Neque a. 370 aliter res habebat. Xenophon enim (Hell. VI, 5, 24), ubi de rebus hieme anni 370—369 gestis loquitur, Lacedaemonios Leuctri praesidium collocasse narrat: ἦν δὲ καὶ ἐπὶ Λεύκτρῳ ὑπὲρ τῆς Μαλεάτιδος ἄλλη Φρουρά. Pausanias vero (VIII, 27, 4) Leuctrum recenset inter oppida, quibus anno 369 incolas suos in unam

1) I. G. IV, 619. Cf. Ross, Rhein. Mus. 1851, p. 128; Kolbe, I. G. V, 1, p. XVII, vs. 138—146.
2) I. G. IV, 1605.
3) Plut. Pelop. 30.
4) Paus. III, 21, 7; 26, 4.

Digitized by Google

urbem Megalopolin congregare visum est: ... *παρὰ δὲ Αἰγυτῶν καὶ Σκιριτῶν Οἶον καὶ Μαλέα καὶ Κρῶμνοι καὶ Βελεμίνα καὶ Λεῦκτρον* [1]). Pluribus verbis non opus est: luce clarius est Leuctrum initio anni 369 a Lacedaemoniis ad Arcades defecisse. Quod cum semel factum esset, postea non immutatum esse videtur: anno 228 saltem, cum Leuctrum a Cleomene rege Lacedaemoniorum occupatum est, adhuc Arcadicum erat; cf. Plut. Cleom. 6: *Λεῦκτρα τῆς Μεγαλοπολίτιδος χωρίον.*

Ἀργειᾶται. Iter a Caphyis ad Psophida apud Pausaniam (VIII, 23, 8) describitur hoc modo: *ἀνελθὼν δὲ ἐκ Καφυῶν ὅσον σταδίους ἑπτὰ ἐπὶ Νάσους καλουμένας καταβήσῃ· πεντήκοντα δὲ προελθόντι αὐτόθεν σταδίους ἐστὶν ὁ Λάδων. διαβήσῃ τε δὴ τὸν ποταμὸν καὶ ἐπὶ δρυμὸν ἀφίξῃ Σόρωνα διά τε Ἀργεαθῶν καὶ Λυκούντων καλουμένων καὶ Σκοτάνης. τείνει μὲν δὴ ὁ Σόρων τὴν ἐπὶ Ψωφῖδος ...* Pro *Ἀργεαθῶν* legendum esse *Ἀργεαδῶν*, ut nominativus esset *Ἀργεάδαι*, nuper coniecit Hillerus [2]). Iam si ex titulo Argivo Pausaniam emendare placeat, commode scribi possit: *Ἀργε(ι)ατῶν* [3]). Sed nonne reputare nos oportet Pausaniae opus a nostra inscriptione intervallo plus quingentorum annorum distare? Provocabo ad aliud exemplum fere consimile. Secundum Pausaniam in ea parte Arcadiae, quae ad meridiem et orientem spectat, pagus Tegeatarum iacebat, cui nomen erat *Γαρεᾶται* [4]), itemque in eadem regione inter Tegeam et Thyream flumini alicui nomen erat *Γαράτης* [5]). Idem nomen hoc est neque quicquam apud Pausaniam mutandum, quod propter Fickium [6]) moneo, qui *Γαρεάτης* pro *Γαράτης* scribendum esse contendit. Multa nomina fluviorum Arcadicorum apud Pausaniam in *-εάτης* exeunt, ut *Ἀσεάτας Βρενθεάτας Γαθεάτας*, sed ex *-εάτας* oriri poterat *-άτας* per contractionem ($\varepsilon\bar{\alpha} = \bar{\alpha}$) [7]), quam Pausaniae

1) Cf. Hiller de Gaertringen, I. G. V, 2, p. 129, vs. 21 sqq.

2) I. G. V, 2, p. 85, vs. 40 sq. Cf. Angermann, Fleckeisen's Jahrb. 1888, p. 6; Grasberger, Stud. zu den griech. Ortsnamen, p. 133.

3) Terminatio *-άτης* in Arcadia una omnium frequentissima est.

4) Paus. VIII, 45, 1. Cf. Kiepert, Form. orb. ant. XIII, Dg.

5) Paus. VIII, 54, 4 (nomen bis occurrit).

6) Cf. Fick, Altgriech. Ortsnamen, Bezzenberger's Beitr. XXIII, 1896, p. 54.

7) Nomen oppidi Mycenarum priscis temporibus non *Μυκαναί*, *Μυκανά*, sed *Μυκανέαι*, *Μυκανέα* fuisse videtur. Cf. I. G. IV, 492 (VI[1] saec.), vs. 1 sq.: *Μυκανέαθεν*. Oppidum Arcadicum *Μελαινέας* (Paus. V, 7, 1; VIII, 3, 3; 26, 8) Rhianus (v. Steph.

Digitized by Google

aetate vulgatissimam fuisse ostendunt nomina virilia Τιμέας Τιμᾶς, Δημέας Δημᾶς similia [1]). Iam illud te attente considerare velim, quod in inscriptione Argiva saeculi II[1] p. C. n. legitur Γαραθῶν [2]). Est sane ista tabula tam difficilis ad interpretandum quam facilis lectu. Sed in praesens saltem nullus video quid esse possit illud Γαραθῶν nisi genitivus nominis Γαρᾶθαι, Γαρᾶται, Γαρεᾶται. Suspicor igitur in Arcadia posteriore aetate in ore vulgari terminationem -ᾶται in -ᾶθαι abiisse. Forsitan idem transitus soni τ in θ reperiatur in nomine loci Ὀρέστειον, Ὀρέσθειον, Ὀρεσθάσιον, quod ultimum aetate Pausaniae praevaluisse videtur [3]).

Quatuor locos, qui apud scriptores antiquos commemorantur, omnes Arcadiae tribuendos esse statuimus neque quemquam iam dubitaturum esse credo quin titulus noster Arcadiam spectet, quamvis Argis in foro repertus et Argivo sermone conscriptus sit. Iam operae pretium esse videtur eum ab initio usque ad finem pertractare, ut copiosius in singula inquirere potestas nobis fiat.

Vs. 2: ἐνς τὸ ΠΑ − −. Tres novimus locos Arcadicos neutrius generis, qui a Πα- incipiunt:

1° Παρσιβάσιον (μνῆμα). Erat ibi monumentum iuxta viam, quae Gortyne Megalopolin ducebat. Quod cum auctore Pausania (VIII, 28, 4) erectum esse sciamus, ne perfidiae, qua Cleomenes III adversus Megalopolitanos deliquerat, memoria abiret, vetat temporum ratio hoc loco memoratum esse.

2° Παρθένιον. Ita vocatur mons, qui agrum Tegeatarum ab Argolide dividit [4]). Plinius quidem (N. H. IV, 20) etiam oppido Arcadico alicui hoc nomen fuisse refert; sed falli eum veri simile est, ut saepissime in talibus rebus erravit.

3° Παλλάντιον, Maenalium oppidum pervetustum.

Byz. s. v.) Μελαινάς dixit, Plinius (N. H. IV, 20) *Melaenas*, tabula Peutingeriana *Melenam*.

1) Cf. e. g. I. G V, 2, 55.

2) B. C. H. 1909, p. 462, col. I, vs. 12.

3) Cf. I. G. V, 2, p. 144.

4) Paus. VIII, 54, 6; Herod. VI, 105; Polyb. IV, 23, 2; Liv. XXXIV, 26, 9.

Digitized by Google

Sequitur igitur, si modo concedimus loci nomen hic supplendum esse, ut aut de Parthenio aut de Pallantio cogitandum sit, nisi si lateat nomen loci nobis ignoti.

Vs. 3: κοινὰ τῶν ἀ – –. Quandoquidem tota inscriptio de Arcadia est, in promptu est supplere: κοινὰ τῶν Ἀ[ρκάδων]. Τὸ κοινὸν τῶν Ἀρκάδων, quod anno 370 conditum est, regebatur imperio contionis decem milium virorum, cui apud Diodorum (XV, 59, 1) nomen est κοινὰ σύνοδος. Etiam alia communia habuisse possunt Panarcades velut sacra delubra certamina. Sic Pausanias (VIII, 53, 3) Tegeae ἐστίαν Ἀρκάδων κοινήν commemorat, quae aedificata fuerit, cum annuae contiones concilii Arcadici, quia Megalopolis nondum exstructa erat, Tegeae habebantur [1]); sin minus, antiquissimam eam fuisse necesse est, quod Tegea non post medium VI^{um} a. C. n. saeculum principatum in Arcadia sibi vindicare potuit.

Vs. 4: Κιθάρι[ον]. Nomina huius similia inveniuntur haecce: Κιτάριον ὄρος, mons in Macedonia situs [2]), Δημήτηρ Κιθαρία Phenei culta, [3]), Κιθαιρών. Horum nullum inter nomina geographica, quibus stirpem Graecis antiquiorem tribuit, recenset Fickius [4]). Iam Κιθαιρών alium explicatum habet, cetera haud scio an inter se cognata esse possint. Fluxerint forsitan ex voce κίταρις sive κίδαρις [5]), quae Graeca potius quam Persica esse mihi videtur. Saltatio Arcadica, quae κίδαρις dicebatur [6]), mea sententia erat saltatio, in qua frontem fascia redimiebant, Ceres Κιδαρία erat persona diademata, Κιτάριον Macedonicum et Κιθάριον Arcadicum fuerint montes, quorum formae taeniis comparabantur [7]). Simili ratione Atticum promontorium Ζωστήρ, arx Picena Cingulum dicta est. Cf. vs. 6: Στεφάναν.

Vs. 5: Ῥηχμόν = ῥηγμόν, *fissuram*, *abruptum*, ut ῥωχμός = ῥωγμός. Cf. inscr. Epidauri initio saec. IV^{i} tribuenda, I. G. IV, 1484, vs. 253: φάρχματα; vs. 296, 303: παρδείχματος; vs. 251:

1) Cf. I. G. V, 2, p. 4, vs. 28—37.
2) Ptol. III, 12, 16; Strab. VII, frg. 14 sq. IX, p. 441.
3) Paus. VIII, 15, 3.
4) Fick, Vorgriech. Ortsnamen; Hattiden und Danubier.
5) Cf. Hesych. et Suid. s. v.
6) Ath. XIV, p. 631, d.
7) Cf. Fick, Bezzenberger's Beitr. XXI, 1895, p. 244.

Digitized by Google

παρδειχμάτων [1]). Ambigi potest sitne βηχμός nostro loco substantivum an nomen loci.

Vs. 6. Idem de voce στεφάνα dicendum est, quippe qua fasciae et coronae, deinde montium apices et cacumina designantur. Cf. S. G. D. I. 5060, vs. 59 sq. 63, 67: ἐς τὰν στεφάναν; 5075, vs. 65: ἃ αἱ στεφάναι. Hodie Lycaei culmini, quod septentrioni proximum est, nomen est τὸ στεφάνι [2]). Cf. S. G. D. I. 5075, vs. 53, Deiters, De Cret. tit. publ. p. 35: ἃ ἀ ταινία.

Vs. 7: [ἐ]νς τὸ τοῦ Πολεμο − −. Cf. vs. 16: [ἐνς τὸ τοῦ Ἐρ]μᾶνος, ἐνς τὸ τοῦ Λυ − −, vs. 18: ἐνς τὸ τοῦ − −, vs. 24: ἐνς τὸ τοῦ Πανός. His locis omnibus fana sacellave designari manifestum est. Sequitur, ut Πολεμο − − initium nominis herois sit, cumque unum tantum inter heroes Graecorum norimus, cuius nomen hoc modo incipiat, non dubium esse videtur, quin de Polemocrate, Machaonis filio, loquatur titulus. Audi Pausaniam II, 38, 6 sq.: ἀπὸ δὲ τῶν πολυανδρίων ἰόντι Ἀθήνη τέ ἐστιν, ἐν ᾗ Αἰγινῆται ποτε ᾤκησαν, καὶ ἑτέρα κώμη Νηρίς, τρίτη δὲ Εὔα, μεγίστη τῶν κωμῶν, καὶ ἱερὸν τοῦ Πολεμοκράτους ἐστὶν ἐν ταύτῃ. ὁ δὲ Πολεμοκράτης ἐστὶ καὶ οὗτος Μαχάονος υἱός, ἀδελφὸς δὲ Ἀλεξάνορος, καὶ ἴαται τοὺς ταύτῃ καὶ τιμὰς παρὰ τῶν προσοίκων ἔχει. ἀνατείνει δὲ ὑπὲρ τὰς κώμας ὄρος Πάρνων καὶ Λακεδαιμονίων ἐπ' αὐτοῦ πρὸς Ἀργείους ὅροι καὶ Τεγεάτας εἰσίν· ἑστήκασι δὲ ἐπὶ τοῖς ὅροις Ἑρμαῖ λίθου καὶ τοῦ χωρίου τὸ ὄνομά ἐστιν ἀπ' αὐτῶν [3]). Praeterea legitur apud Stephanum Byzantinum: Εὔα· πόλις Ἀρκαδίας· Θεόπομπος ἐν ἕκτῳ· τὸ ἐθνικὸν Εὐαῖος: unde efficitur Evam aliquando Arcadiae contributam fuisse. A(n)thene quoque apud eundem Arcadiae attribuitur: Ἀνθάνα . . . Ἀρκαδίας πόλις, itemque Thyreatida et Cynuriam ab Arcadibus sibi vindicatas esse ostendit scholion corruptum in Dion. Perieg. 415 [4]),

1) Cf. Hanisch, De tit. Argol. p. 51, 3, α; Brugmann-Thumb, Griech. Gramm. § 185, 1.

2) Bursian, Geogr. von Griech. II, p. 235.

3) Vide ne heros Polemocrates non alius sit atque Aesculapius ille, qui apud Ciceronem (de nat. deorum, III, 57) secundus est, Ischyis et Coronidis filius, qui „dicitur humatus esse Cynosuris". Cf. Lydus, de mens. IV, 90: δεύτερος (Ἀσκληπιός) Ἰσχύος τοῦ Ἐλάτου καὶ Κορωνίδος, (ὃς ἐν τοῖς Κυνοσουρίδος) ὁρίοις ἐτάφη. Cf. W. Bobeth, De indicibus deorum, diss. Lips. 1904, p. 72. Aliter Hillerus, I. G. V, 2, p. IX, vs. 73; cf. p. 125, vs. 55 sqq.

4) Geogr. Graec. Min. II, p. 447.

Digitized by Google

ex quo haec adferre satis est: Ἔλατος μὲν (Arcadis filius) ἔλαχε μοῖραν Ὀρχομενόν, Μαντίνειαν καὶ τὴν Κυνουρικήν, ἥτις Θυρέα καὶ Ἀνθήνη καὶ τὰ περὶ τοὺς καλουμένους Πραΐους. Itaque non est cur mireris fanum Polemocratis, quod Pausaniae aetate in Thyreatide Argolica haud procul a finibus Tegeatarum iacebat, in titulo nostro in Arcadia, vel fortasse in ipso confinio Arcadiae et Thyreatidis collocari. De situ Evae hodie ambigitur. E loco Pausaniae supra adlato efficitur tantum eam in radicibus aut in latere orientali montis Parnonis iacuisse, cui hodie Malevo nomen est. Inter viatores hodiernos, qui hanc regionem perlustraverunt, Ernestus Curtius [1]) Evam in vicinia vici, cui Hagios Petros nomen est, recte quaesivisse mihi videtur [2]).

Vs. 9: ἐνς τῶ . . . . . ν συνροάν. Spatium lacunae metienti mihi quinque fere litterae excidisse visae sunt. Atque primo, cum dicat Pausanias haud procul a fano Polemocratis Arcades Lacedaemoniorum et Argivorum fines contingere, in mentem venit restituere: ἐνς τῶ[ν ὥρω]ν συνροάν. Sed voce, quae est συνροά, potius fluviorum confluentes designari patet. Supplevi igitur: ἐνς τῶ[ν ὑδάτ]ων συνροάν, eum locum hic significari suspicatus, qui apud Pausaniam (VIII, 54, 1) Σύμβολα, hodie autem Kryavrysis dicitur [3]). Rivus montanus, qui in Parnone prope a vico Sancti Petri ortus apud Kryavrysin in flumen, quod hodie Sarantapotamos dicitur, influit, Lacedaemonios et Tegeatas dividebat. Cf. inscriptionis de confinio Meliteae et Pereae [4]) vs. 11 sq.: τοῦ Σκαπεταίου καὶ τοῦ Εὐρωπτοῦ ἐν τὰν συμβολάν. S. G. D. I. 5016, vs. 12; 5075, vs. 51, 61, 63; B. C. H. 1910, p. 331, vs. 8 sq: ἃ ὕδωρ ῥεῖ.

Cum in fine versus spatium vacuum conspiciatur, legi non potest: ὥρω[ν]. Sequitur ut ὥρω nominativus dualis sit, ad quem mente supplendum foret: ἐστόν. Cf. vs. 11: — — κλᾳ ἄλλος ὦρος; S. G. D. I. 5075, vs. 70 sq.: οἱ ὅροι οἱ ἐς τὸν βορέαν ἔχοντες.

E prisca voce ὄρος apud Iones οὖρος, apud Atticos ὅρος fluxit, apud Argivos vero (cf. vs. 10, 11, 22), sicut apud Creten-

1) Curtius, Peloponnesos, II, p. 383.

2) Evae nomen quid significet nescimus. Idem nomen erat monti Ithomae proximo (Paus. IV, 3!, 4).

3) Paus. ed. Frazer, vol. IV, p. 444.

4) Michel, Recucil d'inscr. grecques, 22; Dittenberger, Syll. 425.

Digitized by Google

ses [1]), ὄρος. Quanta sermoni Argivo cum Cretensi similitudo sit, non semel statui.

Vs. 10: [ἐ]κ τῶν Αὐλίων. Locus ignotus est. Cf. Ael. de nat. anim. XI, 6: ἐν Ἀρκαδίᾳ δὲ χώρᾳ ἐστὶν ἱερὸν Πανός· Αὐλὴ τῷ χωρίῳ τὸ ὄνομα. Locus ille forsitan idem sit, quem Stephanus Byzantinus Αὐλην dicit: Αὐλη· πόλις Ἀρκαδίας· Ἀλέξανδρος δευτέρῳ περὶ Λυκωρείας. τὸ ἐθνικὸν Αυλαῖος. Sed Αὔλια nostrae inscriptionis eadem esse atque Αὐλήν Aeliani veri simile non est aut saltem idoneis argumentis demonstrari non potest.

ἐπι[πολ]ᾶ. Inter ἐπι et ΑΙ interest spatium trium litterarum. Harum primam probabiliter efficitur π fuisse, secundam, quae tota periit, affirmare licet non fuisse ΑΛΔ, tertia fuit Λ aut Α. Ἐπιπολᾶ idem hoc loco significare sumo atque ἐπιπελῆς, *supra*, quam vocem praepositionis loco ab Ionicis Atticisque scriptoribus usurpari notum est [2]).

Vs. 11: τὰ δ' ἐπ' ἀ[ρ]ῶ τούτου ὄρος Ποι – –, *inde terra quae ad orientem spectat est pagus Poe – –.*

Vs. 12: Τραγευρίνιν. Cf. Εὐρίππα, cognomen Dianae, quae Phenei colebatur (Paus. VIII, 14, 5). Suffixum *-ινο-*, quod in nominibus locorum apud Graecos haud frequens est [3]), in Arcadia reperitur in nominibus quae sunt: Βελεμίνα, oppidum Sciritidis, Ὀστρακίνα, mons in agro Mantinensi, Πωρίνας, flumen aut mons in confinio Phenei et Pellenes.

Vs. 12 sq. 15: Μελεάγρειον. Μελεάγρειον hoc non procul a Scopa situm fuisse apparet e vs. 15. Neque dubium est quin in agro Tegeatarum iacuerit: hoc enim indicat ipsum nomen Meleagri. Tegeae in templo Minervae Aleae ostendebantur dentes pellisque apri Calydonii [4]) traditque Pausanias (VIII, 45, 6) Scopam in fastigio aedis orientali heroes aprum venantes effinxisse; quod idem hodie reliquiae servatae testantur. Iam utrum Μελεάγρειον inscriptionis nostrae sacellum Meleagri an vicus an

1) S. G. D. I. 5016, 12; 5024, 20, 22; 5060, 59.

2) Herod. I, 187; IV, 201; Thuc. VI, 96; Arist. Plut. 1205, Eccl. 1108.

3) Fick, Bezzenberger's Beitr. XXIII, 1897, p. 221.

4) Call. hymn. in Dian. 219, Paus. VIII. 47, 2. Dentes abstulit Augustus (ibid. 46, 1) eosque Romae in templo Bacchi in hortis exposuit (ibid. 46, 5). Horum unus aetate Pausaniae supererat. Qui cum tres fere pedes (ἥμισυ ὀργυίας) longus esset, dentem elephantis primigenii fuisse conicio.

Digitized by Google

mons collisve fuerit, ambigi possit. Varias enim sententias habere possunt nomina per suffixum -ειον a nominibus heroum ducta. Sic in litore prope ab oppido Rhoeteo erat Αἰάντειον . . ., μνῆμα καὶ ἱερὸν Αἴαντος καὶ ἀνδριάς (Strab. XIII, p. 595), Aeginae τὸ Αἰάκειον καλούμενον, περίβολος τετράγωνος λευκοῦ λίθου (Paus. II, 29, 6). Contra Θοάντειον Rhodi, Κοιράνειον Pari, Αἰάντειον Magnesiae, Λευκόθειον Ciliciae promontorium erat. Sed, utut est, nomen quod est Μελεάγρειον ostendit Meleagrum apud Tegeatas herois loco cultum esse. Atque hunc cultum non IV⁰ demum saeculo institutum esse posse consentaneum est: imo antiquitus Tegeae heros alienigena Arcadicae heroinae Atalantae iunctus est. Hucusque credebatur primum Euripidem Meleagri et Atalantes amores machinatum esse, neque ipse aliter censebam [1]). Quod nunc non ita habere demonstratum est. Etiam Atalantes filium Parthenopaeum non e Milanione, sed e Meleagro natum esse (Hyg. fab. 70, 99 sq. 270) iam non est, cur a poetis aetatis alexandrinae de nihilo fictum esse arbitremur. Tegeatarum hae fabulae sunt, eaeque antiquissimae, sed nonnisi raro ab uno et altero poeta receptae esse videntur.

Quod sciamus, Meleager nusquam alibi in Graecia ut heros adorabatur. Nonne ergo veri simile est signum Meleagri, quod Scopae summo iure tribuitur [2]), in fano eius prope a Tegea consecratum fuisse [3])? Illud quoque paulo audaciore coniectura augurari possis Augustum id simul cum apri dentibus et eburneo simulacro Minervae Aleae, nobilissimo Endoei opere [4]), Romam abstulisse. Hoc si verum sit, statim intellegamus, quomodo factum sit, ut Romae tot artifices Meleagri signum sibi imitandum et in marmore exprimendum sumpserint. Augustum eo consilio Tegeatas spoliasse dicit Pausanias, ut Arcades ulcisceretur, qui, exceptis Mantinensibus, omnes Antonii rebus favissent. Idem civitatibus, quarum delubra Antonius exspoliaverat, simulacra numinum abrepta reddidisse traditur (Strab. XIII, p. 595).

Vs. 13: [τοῦ συντ]όμου. Vides requiri substantivum masculini

1) Nikander und Ovid, I, p. 53.

2) Graef, Röm. Mitt. 1889, p. 218 sqq.

3) Cf. Furtwängler, Meisterw. p. 526, 2: Es liegt nahe zu vermuten, dass der Meleager des Skopas einst in Tegea stand.

4) Paus. VIII, 46, 1; 4 sq.

Digitized by Google

generis in *-ομος* exiens, quod significet: *iter, via.* In vulgari sermone posterioris aetatis *δρόμος* hac vice fungitur, sed hanc vocem iam saeculo IV° a. C. n. ita usurpari posse negaverim. Cum vero apud Herodotum Xenophontem Aristotelem *viae compendiariae* dicantur *σύντομοι*, idem vocabulum hic restituere ausus sum. Apud scriptores quidem *σύντομος* (*ὁδός*) nusquam masculini, sed feminini generis esse videtur [1]), sed hic fortasse mente suppleri potest *στίβος*, *τριμμός* vel tale quid.

Vs. 14. Videtur fuisse aut [*ἄν*]*ω*, vel [*ἐπάν*]*ω*, aut *κάτω τᾶς ὁδοῦ. ὄρος Ἐπινώιον*, *pagus supra fluvium* Νοῦν *situs.* Auctor est Pausanias (VIII, 38, 9) Νοῦν influere in Alpheum. Ceterum cum *νοῦς* (quod apud Dores etiam *νῶς* fuerit, sicut nonnumquam *βῶς* dicebant pro *βοῦς*) nihil aliud significet nisi: *amnis, flumen* [2]), etiam aliis rivis Arcadicis hoc nomen fuisse potest. Hoc loco unum e rivis, qui a Maenalo in Helissonta influunt, significari conieceris. Cf. *Ἐπικηφισία*, pagus Atticus, *Ἐπιδήλιον*, *Ἐπιζεφύριον*, *Παρασώπιοι*, *Παραποτάμιοι* etc. [3]).

Vs. 14, 21: *ᾇ ὥριστται, qua termini* (*ὅροι*) *positi sunt.*

Vs. 16: [*ἐνς τὸ τοῦ Ἐρ*]*μᾶνς*; [4]). Mercurium Arcadum deum clarissimum

Κυλλήνης μεδέοντα καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου

tot locis ab Arcadibus cultum esse constat, ut dici non possit, ubi hoc templum eius iacuerit.

ἐνς τὸ τοῦ Λυ – –. Suppleri possit: *ἐνς τὸ τοῦ Λυ*[*καίου Διός*]. Sed cum vs. 15 Scopa, vs. 19 Argeatae in agro Clitorio, vs. 24 Trapeza nominetur, concluseris nomen celebris fani in Lycaeo hic non restituendum esse. Obici tamen potest Iovem Lycaeum apud Arcades etiam aliis locis cultum esse. Sic in foedere Megalopolitanorum et Messeniorum saec. II^{i} [5]) (vs. 29, cf. vs. 69, 71) delubrum quoddam Iovis Lycaei in confinio Arcadiae et Messeniae

---

1) Cf. etiam Herod. I, 185; IV, 136; *τὰ σύντομα τῆς ὁδοῦ*; Xen. Cyn. 5, 17: *τὰ σύντομα.*

2) Cf. Fick, Bezzenberger's Beitr. XXII, 1896, p. 48, 64; XXV, 1899, p. 116; van Herwerden, Lex. suppl. s. v.

3) Cf. Fick, l.l. XXIII, 1897, p. 227 sq.

4) Genitivus *Ἐρμᾶνος* legitur etiam in inscriptione antiquissima in agro Tegeatarum reperta (I. G. V. 2, 95), in titulo Pheneatico saec. V^{i} (ibid. 360), in lateribus coctis Megalopoli repertis (ibid. 469, 1, a).

5) Dittenberger, Inschr. von Olympia, 46; I. G. V, 2, p. XXVII.

Digitized by Google

commemorari videtur. Cf. quoque Paus. VIII, 53, 11: ἐκ Τεγέας δὲ ἰόντι ἐς τὴν Λακωνικήν ἐστι μὲν βωμὸς ἐν ἀριστερᾷ τῆς ὁδοῦ Πανός, ἐστὶ δὲ καὶ Λυκαίου Διός· λείπεται δὲ καὶ θεμέλια ἱερῶν. 30, 2: περίβολος δέ ἐστιν ἐν ταύτῃ (i. e. Megalopoli in foro) λίθων καὶ ἱερὸν Λυκαίου Διός. Res incertior fit eo, quod etiam Lycurgi nomen restitui potest. Lycurgus Alei filius procul dubio apud Tegeatas colebatur. Cf. schol. Apoll. Rhod. I, 164, ubi Arcades Lycurgo τὰ Μώλεια celebrare dicuntur.

Vs. 17: [τ]ὸν Δαμάἀνδρον. Locus est, cui ipsum nomen herois, qui ibi colebatur, inditum est. Huius rei exempla congessit Fickius [1]). Unum ex ipsa Arcadia petitum adferre satis habeo. Pausania (VIII, 12, 2) auctore, haud procul a Methydrio πεδίον τε ὀνομαζόμενον Ἀλκιμέδων καὶ ὑπὲρ τοῦ πεδίου τὸ ὄρος ἐστὶν ἡ Ὀστρακίνα, ἐν δὲ αὐτῷ σπήλαιον, ἔνθα ᾤκησεν Ἀλκιμέδων, ἀνὴρ τῶν καλουμένων ἡρώων.

Sigma inter duas vocales positum et hic et infra vs. 21 in Ὀνχνιάϊον suppresserit Argivus, qui haec scripsit. Nam huius rei exempla licet in cognata Cypria dialecto inveniantur, in sermone Arcadico deesse videntur.

Δυσπορ[ίαν]. Cf. στενοπορία; Πόρος, 1° pagus Atticus, 2° locus in Sicilia. V. ad vs. 19.

Vs. 18: ὀχετόκρανον. Cf. Pollux, X, 30: ὀχετόκρανα δ' ἂν εἴποις τὰς τῶν ὀχετῶν ἀρχάς, ὡς Ἀπερείδης ἐν τῷ περὶ ὀχετοῦ.

Vs. 19: Κλᾰ́θροις. Κλᾰ́θρα, κλεῖθρα (apud Graecos, qui nunc sunt, κλισούρα) sunt *claustra*, *fauces*, *angustiae*. Cf. Strab. IX, p. 428 (de Thermopylis): τῶν κλείθρων ἐκυρίευε τῶν περὶ τὰ Στενά. III, p. 152: τοῖς δὲ τοῦ ποταμοῦ κλείθροις [2]) ἐπετείχισε τὴν Ὀλυσιπῶνα. Cum e nomine Ἀργειατᾶ[ν] effecerimus de pagis in agro Clitorio hic agi, forsitan non indignum adnotatu sit nomen Κλήτωρ sive Κλείτωρ idem fere significare. Arx Clitoris in valle non ita lata aedificata liberum commeatum *intercludebat* [3]). Fieri tamen omnino non posse censeo ut Argivi nomen Arcadicum Κλήτωρ in Κλᾰ́θρα transformarint. Sed operae pretium est con-

1) Bezzenberger's Beitr. XXI, 1895, p. 286; XXIII, 1897, p. 242 sq.

2) Codd. πλίθροις, emend. Meinekius Carolus Mueller Madvigius.

3) Cf. I. G. V, 2, p. 85, vs. 45 sqq. Paus. VIII, 21, 3: οἰκεῖται δ' ἐν ὁμαλῷ, κύκλῳ δὲ ὄρη περιέχοντα οὐ μεγάλα.

Digitized by Google

ferre locum Pausaniae (VIII, 21, 1), quo haud procul ab oppido Clitore angustum alveum fluminis esse tradit: τοῦ Λάδωνος δὲ τῶν πηγῶν ἀπέχει στάδια ἑξήκοντα ἡ Κλειτορίων πόλις· ἡ δὲ ὁδὸς ἡ ἀπὸ τῶν πηγῶν τοῦ Λάδωνός ἐστιν αὐλὼν στενὸς παρὰ τὸν Ἀροάνιον ποταμόν. Hanc viam flumenque Aroanium, cui hodie Katsana nomen est, testis oculatus describit Frazerius [1]), cuius haec sunt verba: „... Soon the valley contracts to a defile through the protrusion of the hills on either side ...". Accedit quod locus Ἀργειᾶται, cuius nomen in inscriptione continuo sequitur, non magno intervallo a Ladone et Aroanio distabat.

Plane simili loco nomen Δυσπορ[ίαν] fuisse consentaneum est. Quapropter, licet pro certo nihil affirmari possit, non omittenda esse duco ea quae Frazerius de alteris angustiis scripsit, in quas alveus Aroanii inter Lusos et Clitora contrahitur. Audi ipsum l.l. p. 264 sq.: „After traversing the upland plain of Soudena ... the river enters a defile at the southeastern corner of the plain. Through this defile ... the Aroanius and the road to Clitor run side by side ... Farther on, the glen contracts into a deep rocky gorge between steep mountains ..." In eadem regione Arcadiae sunt etiam angustiae Ladonis prope a vico Divitsa, de quibus cf. Frazerius l.l. p. 288 sq.

Vs. 20: Λιθάμαντος. Eandem terminationem habet nomen Triphylii fluminis Ἀκίδαντος [2]).

Vs. 21: ὄρος Ὀνχνιάϊον. Nomen ductum est a substantivo quod est ὀγχνέα, ὀγχνῆ, ὀγχνείη, *pirus*. Simili modo vicus Ladoni adiacens nominatus fuerat Λευκάσιον (Paus. VIII, 25, 2) et flumen valli Stenyclericae vicinum Λευκασία (Paus. IV, 33, 3) a λεύκη, *populus*. Cf. Paus. VIII, 18, 8: τὴν Ἄρτεμιν ταύτην Ἡμερασίαν καλοῦσιν οἱ Κλειτόριοι [3]); 36, 4: Μεθυδρίου δὲ ὡς τριάκοντα ἀπέχει σταδίους Νυμφασία πηγή. Cf. Ὀρεσθάσιον, Παραιβάσιον (μνῆμα), Φλειάσιοι, Κορυφάσιον, Αἰπάσιον πεδίον.

Vs. 24. Fuerit: τᾶς ἐνς τὸ τοῦ Πανὸς πς[ῖ τε τὸν δεῖνα τόπον ὁδοῦ ἐπὶ δεξιᾷ] vel tale quid. Cf. vs. 13.

---

1) Paus. ed. Frazer, vol. IV, p. 263 sq.

2) Cf. Araethus in schol. Townl. ad Il. IV, 319; Paus. V, 5, 8,

3) Non probatur mihi coniectura Adolphi Wilhelm, qua legi iussit: τὴν Ἄρτεμιν ταύτην Ἡμέραν καλοῦσι καὶ ἀγῶνα Ἡμεράσια ἄγουσιν οἱ Κλειτόριοι (Oesterr. Jahresh. 1901, p. 83).

Digitized by Google

τὸ τοῦ Πανός. Quoniam hoc delubrum non procul a Trapeza situm fuisse declarat titulus, fieri potest ut sit celebre fanum Panis Lycaei (Paus. VIII, 38, 5), quod inter duo cacumina iacuisse scimus, quorum hodie alteri St. Elias vel Diaphorti, alteri Stephani nomen est.

Vs. 25, 27: Αἰετοῦ Ἑλά. Ἑλά est ἑλλά, ἐδ-λά, *sella, sedes*. Cf. Hesych. ἑλλά· καθέδρα, Λάκωνες et: κασέ(λ)α· καθέδρα [1]). Diximus Leuctrum usque ad annum 370—369 *Laconicum* fuisse. Iam nonnisi monti alicui praealto huiusmodi nomen fuisse veri simile est [2]). Leuctrum igitur si recte ibi fere collocetur, ubi nunc oppidulum Leondari iacet, forsitan Αἰετοῦ Ἑλά dictus fuerit mons, cui hodie nomen est Hellinitsa quemque antiquum nomen adhuc servare dixerit quis barbara terminatione maculatum.

Vs. 26: τὸ Κεραύνιον. Hoc nomen in Arcadia adhuc ignotum erat, sed apud Pausaniam (VIII, 41, 3) occurrit τὸ Κεραύσιον ὄρος, de quo haec ipsius verba sunt: εἰσὶ δὲ αἱ πηγαὶ τῆς Νέδας ἐν ὄρει τῷ Κερανσίῳ· τοῦ Λυκαίου δὲ μοῖρά ἐστι. Hunc montem eruditorum maior pars haud procul a Bassis septemtrionem aut septemtrionem et orientem versus iacere censent [3]). Quod minime certum est. Licet enim verum sit Nedam etiam a septemtrione aquas Lycaei accipere [4]), non minus tamen recte contendi potest fontes eius esse sub monte Τετράγι [5]), qui iugo cum Lycaeo coniunctus est [6]). Libenter equidem Leakio [7]) adstipulor, qui Κεραύσιον Pausaniae montem Tetragi esse intellexit. At nunc montem Tetragi Νόμια ὄρη esse autumant. Alius rursus hic error est. Pausanias enim, ubi Lycosuram describit, de montibus circumiacentibus loquitur hoc modo: ἐν ἀριστερᾷ δὲ τοῦ ἱεροῦ τῆς Δεσποίνης τὸ ὄρος ἐστὶ τὸ Λύκαιον (VIII, 38, 2) ... τῆς Λυ-

1) Cf. Fick, Zeitschr. für vergleich. Sprachforsch. 1914, p. 113.

2) Hodie quoque in Graecia compluribus montibus altis nomen est Ἀστοφωλιά.

3) Cf. Paus. ed. Hitzig Bluemner, vol. III, p. 264; Kiepert, Form. orb. ant. XIII.

4) Cf. Strab. VIII, p. 348: τὸ τῆς Νέδας ῥεῦμα λαβρὸν ἐκ τοῦ Λυκαίου κατιόν; Hiller de Gaertringen et Lattermann, Hira und Andania, p. 14.

5) Cf. Baedeker, Grèce, 1910, p. 413.

6) Paus ed. Frazer, vol. IV, p. 389: „A long and rugged ridge connects it with Mt. Lycaeus (Diaphorti) on the north." Mons Τετράγι distat a Lycaeo chiliom. IX.

7) Leake, Travels in the Morea, II, p 10 sq.: „The proper Neda was that which has its origin in Mount Tetrázi. Hence also it appears that this mountain was the ancient Cerausium."

Digitized by Google

κοσούρας δέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ Νόμια ὄρη καλούμενα (38, 11). Ex his, si quae auctori fides est, efficiendum est, cum Lycaeum a septemtrionibus iaceat, Νόμια ὄρη a meridie iacere [1]). Oritur iam quaestio subdifficilis, quomodo nomen Κεραύσιον sit explicandum. Κεραύνια ὄρη multis locis in antiqna Graecia cognoscebantur, Κεραύσιον hoc uno loco in codicibus Pausaniae legitur. Fickius [2]) Κεραύσιον aut a κέρας ductum aut idem significare atque Κεραύνιον suspicatus est. Hoc si verum sit, aut si forte nomen apud Pausaniam corruptum sit, Ceraunius noster non diversus a Cerausio Pausaniae fuerit. Ceraunium montem in inscriptione nostra pago Leuctrico attributum fuisse paene certum est, siquidem limes eius pagi, qui vs. 25 ab Αἰετοῦ Ἐλά orditur, vs. 27 rursus in Αἰετοῦ Ἐλάν terminari videtur. Modicum spatium, quo Leuctrum et mons Tetragi inter se distant [3]), non impedit quominus ambo unius pagi limite contenta fuerint.

ἐπ' Ὄνον. Nomen montis hoc esse dixerim. Cf. Ὄνειον, Ὄνεια ὄρη prope a Corintho.

Vs. 28: ——υλίειαν κράναν. Cf. vs. 30: Αὐκλιείᾳ[ς], Steph. Byz.: Φορίεια· κώμη Ἀρκαδίας. τὸ ἐθνικὸν Φοριαεύς, ὡς Ἔφορος ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστοριῶν. Vix probanda est coniectura Hilleri, qui apud Stephanum legendum esse suspicatus est: Φορβεία, Φορβαεύς [4]).

Vs. 30: [ἐν]ς τὰν Σκοπάν. Numne verisimile est eundem hunc locum esse quem vs. 15 offendimus? Ut in plerisque Graeciae regionibus, sic maxime in Arcadia saepe eadem nomina locorum bis terve occurrere videmus. Σκοπή et alibi nominis loci vice fungitur [5]), sed etiam substantivum esse potest, ut S. G. D. I. 5075, vs. 58 [6]): ἐς τὰν σκοπάν. Etiam vs. 23 restituere possis: [τὰν σκο]πὰν τὰν ὑπὲρ τᾶς ὁδοῦ.

De nomine Αὐκλίεια quomodo iudicandum sit videant alii.

---

1) Cf. Paus. ed. Frazer, vol. IV, p. 389.

2) Bezzenberger's Beitr. XXI, 1895, p. 250. Omitto somnia Grasbergeri (Stud. zu den griech. Ortsnamen, p. 133).

3) Intervallum est chiliom. XVIII. Cf. Hiller de Gaertringen et Lattermann, Hira und Andania, tab. I.

4) I. G. V, 2, p. 169.

5) Plin. N. H. V, 31, 35; Ptol. IV, 5, 14.

6) Cf. Deiters, De Cret. tit. publ. p. 35.

Digitized by Google

Apud Arcades *εει* in *ιει* abire posse docet I. G. V, 2, 96: *ἀπυδίει* i. e. *ἀποδέει*. V. supra ad vs. 28.

Vs. 31. Incertum utrum scribendum sit: Κώπιον an: − − *κώπιον*. Cf. Κῶπαι, oppidum Boeotium, et I. G. V, 2, 249:

Δαμαινε[τ]
Κω − −

ubi Hillerus restituit Κῶ[ος] vel Κώ[α]. Fortasse supplendum: Κω[πιεύς].

ἀπὸ τοῦ λάκκου. In titulo Olympiae reperto, quo confinium Megalopolitanorum et Thuriensium terminatur, item stagni alicuius mentio fit [1]). Idemne hoc sit an aliud nemo nunc dixerit. Cf. S. G. D. I. 5060, vs. 60, 64, 67: *ἐπὶ τὸν λάκκον*.

Rationibus subductis, pro certo statuimus vs. 7—15 ad Tegeatida, vs. 19 ad agrum Clitorium, vs. 24—27 ad Parrhasiam et Aegytim pertinere. Inde a verbis Πλατὺ ὄρος (vs. 27) nescimus de qua parte Arcadiae agatur. Aetatem, cui inscriptio tribuenda est, certo argumento aliquatenus circumscribere licet: cum enim Leuctrum hic inter oppida Arcadica compareat, apertum est eam anno 370 posteriorem esse; neque multo recentiorem esse formae litterarum indicare videntur. Reliquum est iam, ut generaliter definiamus, qua de re in ea agatur. Censeo hic in novos pagos dividi territorium illarum civitatum Arcadicarum, quibus brevi post pugnam Leuctricam in unius populi corpus coalescere et communi consilio urbem Megalopolin condere visum est. Quibusnam autem civitatibus haec initio placuerint, discimus e notissimo quodam Pausaniae loco (VIII, 27, 2 sq.). Primum enim ibi enumerantur viri, qui conditores novae urbis designati fuerant; quos oriundos esse videmus e Tegea Mantinea Clitore Maenalo Parrhasia. Deinde recensentur oppida, quae utpote obscuriora deserere placebat, ut incolae in una moenia convenirent: haec iacuisse apparet in Maenalo Eutresia Aegyti Sciriti Parrhasia Cynuria agro Orchomenio Tripoli. Sequitur ut foederis Arcadici participes fuerint hae civitates regionesque: Orchomenus Mantinica Tegeatis Sciritis Maenalus Eutresia Parrhasia Aegytis Cynuria Tripolis Clitor. Atque hac in re Pausaniae fides habenda

1) I. G. V, 2. p. XXVII, 80: *ὑφ' ᾧ ἐστιν ὁ λάκκος*.

Digitized by Google

est, quoniam alio loco se haec hausisse indicat e decreto concilii Arcadici [1]), quod eum in cuiusdam Ἀρκαδικοῖς repperisse coniecerim. Fieri tamen potest ut iam eo tempore, quo decretum illud factum est, etiam aliae civitates Arcadicae foederis participes fuerint, nam sicut non ex omnibus regionibus conditores electi sunt, ita etiam non est cur in unaquaque regione necessario unum plurave oppida deserta esse sumamus [2]). Iam post mortem Epaminondae secus accidisse scimus: divulso foedere, periit libertas malisque civilibus et externis Arcades affecti sunt [3]). Sed hoc nunc nihil ad rem: quaerimus quid decretum sit, cum foedus constituebatur. Comparanti autem locos, quorum in titulo mentio fit, cum regionibus, quarum nomina e Pausania composuimus, apparebit tibi illos omnes his contineri; qua in re maxime animadversione dignum est, quod ager Clitorius utrobique commemoratur [4]).

Facile perspicitur fines novi foederis duabus de causis in novos pagos dividendos fuisse. Primum enim cavendum erat ne communis civitas rursus in vetera conventicula dilaberetur, deinde ante omnia infringi oportebat potestatem optimatium, Spartanorum sodalium, ut respublica popularis diu exoptata tandem aliquando constitueretur et firmiter stabiliretur [5]). Quis non meminit praeceptorum Aristotelis: ἔτι δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα κατασκευάσματα χρήσιμα πρὸς τὴν δημοκρατίαν τὴν τοιαύτην, οἷς Κλεισθένης τε Ἀθήνησιν ἐχρήσατο βουλόμενος αὐξῆσαι τὴν δημοκρατίαν, καὶ περὶ Κυρήνην οἱ τὸν δῆμον καθιστάντες. φυλαί τε γὰρ ἕτεραι ποιητέαι πλείους καὶ φρατρίαι, καὶ τὰ τῶν ἰδίων ἱερῶν

1) Paus. VI, 12, 8: τὰς δὲ ἐξ ἀρχῆς τε ὑπὸ ἀσθενείας ἀφανεστέρας (πόλεις) καὶ δι' αὐτὸ ἀνοικισθείσας ἐς Μεγάλην πόλιν περιέχει σφᾶσ γενόμενον τότε ὑπὸ τοῦ Ἀρκάδων κοινοῦ δόγμα. Cf. VIII, 27, 5: τὸ μὲν δὴ ἄλλο Ἀρκαδικὸν οὔτε τι παρέλυε τοῦ κοινοῦ δόγματος καὶ συνελέγοντο εἰς τὴν Μεγάλην πόλιν σπουδῇ ...

2) Foederis Arcadici etiam cives Heraeae Telphusae Stymphali Leprei Lasii participes facti sunt.

3) Cf. Isocr. Archid. 64—68.

4) Postquam titulus inventus est, initio de agro Megalopolitano in pagos dividendo agi arbitrabar (cf. Museum, Oct. 1912, p. 33). Cum tamen Tegeatis et ager Clitorius commemorentur, de territorio foederis Arcadici agi liquet. Cf. I. G. V, 2, tab. VIII.

5) Cf. B. Niese, Beiträge zur Geschichte Arkadiens, Hermes, 1899, p. 521: Es (i. e. Arcadia a. 370) bildete zum ersten Male, seitdem es bestand, eine politische Einheit, und zwar auf demokratischer Grundlage ... Demokratie und Einheitsbestrebungen gehen zusammen.

Digitized by Google

συνακτέον εἰς ὀλίγα καὶ κοινὰ καὶ πάντα σοφιστέον ὅπως ἂν ὅτι μάλιστα ἀναμιχθῶσι πάντες ἀλλήλοις, αἱ δὲ συνήθειαι διαζευχθῶσιν αἱ πρότερον [1]). In novos conventus homines cogendos esse dicit, quod ut fiat, aut novae phratriae instituendae sunt aut pagi in phratriarum locum substituendae. Ita agendo consuetudines maiorum magnam partem subvertuntur et antiqua sacra publica deseruntur. Procul dubio huc referenda sunt verba Isocratis Archid. § 66, ubi dicit in Arcadia post proelium Leuctricum ἀνεστράφθαι τὰς πολιτείας καὶ καταλελύσθαι τοὺς νόμους; cf. § 68: καταλύσαντες δὲ τὰς θυσίας ....

Neque magis mirabimur quod Argivis mandatum est ut hoc negotium susciperent. Nam extraneis arbitris aliquid tale commodius demandari potest quam civibus, inter Peloponnesios vero iis temporibus Argivi Thebanorum socii novis Arcadum rebus quam maxime favebant [2]). Quos etiam Messeniis eadem aetate simili modo opem tulisse videmus. Epiteles praetor Argivus una cum Epaminonda, ut narrat Pausanias, synoecismum Messeniorum perfecit. Cf. Paus. IV, 26, 7: στρατηγεῖν δὲ αὐτὸν οἱ Ἀργεῖοι τὸν Ἐπιτέλην καὶ Μεσσήνην ἀνοικίζειν ᾑρηντο. Tibiarum Boeotiarum et Argivarum alternis cantibus incitabantur ii, qui moenia novae urbis Messenes aedificabant (ibid. 27, 7). Delphis simulacra priscorum regum suorum aenea consecraverunt Argivi τοῦ οἰκισμοῦ τῶν Μεσσηνίων Θηβαίοις καὶ Ἐπαμεινώνδᾳ μετασχόντες (Paus. X, 10, 5). Accedit quod diserte tradit Pausanias (VIII, 27, 1) Arcades Megalopolin condituros exemplum ab Argivis cepisse: συνῆλθον δὲ ὑπὲρ ἰσχύος ἐς αὐτὴν (τὴν Μεγάλην πόλιν) οἱ Ἀρκάδες, ἅτε καὶ Ἀργείους ἐπιστάμενοι τὰ μὲν ἔτι παλαιότερα μόνον οὐ κατὰ μίαν ἡμέραν ἑκάστην κινδυνεύοντας ὑπὸ Λακεδαιμονίων παραστῆναι τῷ πολέμῳ, ἐπειδὴ δὲ ἀνθρώπων πλήθει τὸ Ἄργος ἐπηύξησαν καταλύσαντες Τίρυνθα καὶ Ὑσιάς τε καὶ Ὀρνεὰς καὶ Μυκήνας καὶ Μίδειαν καὶ εἴ δή τι ἄλλο πόλισμα οὐκ ἀξιόλογον ἐν τῇ Ἀργολίδι ἦν, τά τε ἀπὸ Λακεδαιμονίων ἀδεέστερα τοῖς Ἀργείοις ὑπάρξαντα καὶ ἅμα ἐς τοὺς περιοίκους ἰσχὺν γενομένην αὐτοῖς. γνώμῃ μὲν τοιαύτῃ συνῳκίζοντο οἱ Ἀρκάδες. Non

1) Arist. Polit. VII, p. 1319, b, vs. 19—27.

2) Cf. Ed. Meyer, Gesch. des Alt. V², § 948: Der Hauptheerd der revolutionären Erhebung war Argos, etc.

Digitized by Google

probanda videtur Niesii [1]) sententia, qui ipsum Pausaniam haec de nihilo commentum esse coniecit.

Quodsi nunc rursus quaerimus, cuinam aetati titulus noster tribuendus sit, respondendum est eum magna cum probabilitate anno 369 vel 368 adsignari posse. Vix enim fieri potest ut Arcades libertatem adepti novam soli divisionem, quae ipsius constitutionis communis reipublicae magna pars erat, diutius distulerint [2]).

Extremum est ut quaeramus num hoc tantum ab Arcadibus Argivis mandatum sit, ut terminos pagorum constituerent. Nam quod dicit Pausanias (VIII, 27, 2): *τῆς* (Μεγάλης) *πόλεως δὲ οἰκιστὴς Ἐπαμεινώνδας ὁ Θηβαῖος σὺν τῷ δικαίῳ καλοῖτο ἄν· τούς τε γὰρ Ἀρκάδας οὗτος ἦν ὁ ἐπεγείρας ἐς τὸν συνοικισμόν* ..., hoc non magni aestimandum est. Atque id quod tradit Plutarchus (adv. Col. 32): Πλάτων δὲ *τῶν ἑταίρων ἐξαπέστειλεν Ἀρκάσι μὲν Ἀριστώνυμον διακοσμήσοντα τὴν πολιτείαν* ..., ut verum sit, tamen communem Arcadum rempublicam, quae anno 370 constituta est, spectare non potest: Plato enim popularium partibus non favebat. Forsitan illis Arcadibus operam suam praestiterit Aristonymus, quibus post Epaminondae mortem praefuit Mantinea. Iam quaeso haec tecum reputes. Primum, ut supra p. 333 ostendi, tabula praegrandis fuit. Deinde primos versus fragmenti A ad terminationem pagorum pertinere certum non habeo. Nam vs. 2 quaenam verbis *ἐνς τὸ πα*-- sententia subsit, nemo dixerit, vs. 3 vide ne, si legatur *κοινὰ τῶν Α[ρκάδων]*, de aliis rebus agi veri simile fiat, vs. 4 nominativus pluralis substantivi in *-α(σ)ις* exeuntis ne ipse quidem in limitum descriptionem optime quadrare videtur. Nonne igitur fieri potest ut interventu Argivorum etiam plura in nova Arcadum republica constituta sint, quam nunc certis argumentis demonstrare valemus? Sed haec ultima quaestio, siquando alia fragmenta tabulae nostrae ex solo Argivo recuperare continget, fortasse solvi et enucleari poterit. In praesens nihil pro certo statuere praestat.

(*Continuabuntur*).

---

1) Herm. 1899, p. 534 sq.

2) Iam inde ab anno 367 inter Argivos et Arcades dissensionem quandam ortam ase suspicatur Ed. Meyer (Gesch. des Alt. V², § 960).

Digitized by Google

AD CICERONIS AD ATT. XIV, 18 § 1.

De Dolabella sic Cicero iocatur: „O hominem pudentem! Kal. Ian. debuit, adhuc non solvit, praesertim cum se maximo aere alieno Faberii manu liberavit et opem ab eo petierit. Licet enim iocari ne me valde conturbatum putes."

Merito hic omnes Cobeti admirantur acumen e verbis *ab eo* eruentis *ab Ope*, et iure probatur eiusdem emendatio *libet* pro *licet* reponentis. Sed quod praeterea annotat vir summus: „quod autem Faberii manu id Dolabellam fecisse dicit, demonstrat Faberium eum esse, qui Caesaris manum imitatus Antonio falsa chirographa paraverit, quibus ille usus maximo aere alieno et sese et Dolabellam ad Opis liberavit", a scopo aberrasse videtur. Primum neque notus aliunde nobis iste Faberius, tum ceteri loci huc pertinentes, quos Cobetus affert, de solorum Antonii Dolabellaeque vel vi vel fraude loquuntur, postremo aliquo modo legentis mens ad iocum illum de Ope est praeparandus, qui nunc parum apte statim coniungitur cum illa Faberii mentione, qui aut nullus fuit unquam aut notus quidam omnibus falsorum chirographorum artifex. Ipsam Ciceronis manum restitues pro Faberii legendo *fabri*: fabrum iussit claves sibi facere adulterinas, aut — quod aequalibus nostris rem in memoriam revocabit in *Aede Nova* Amstelodamensi peractam, quae in ore est populi — hominem qui *serra* apte uti posset adhibuit.

AD TAC. H. II, 25.

Erat Suetonius Paulinus: „Cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent."

Quis unquam fuit tam praeposterus et perversus ut in re militari quidquam magis quam *prospera* laudaret? Nisi forte vir ille nobilis in suavissima comoedia Franco-Gallica (Augerii *Mademoiselle de la Seiglière*) qui de Napoleone loquens „Bonapartius iste" ait „qui contra leges artis victorias reportavit". Nam in bello *prospera* consilia sunt victoriae, quocunque tandem reportatae modo. Ut obtineas quod cunctatorem deceat et quod apte opponatur praecedentibus, lege *propera*. Vox ea apud Tacitum frequentissime tam de rebus quam de hominibus adhibetur.

J. J. H.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex pag.* 192).

CV.

DE IUDICIIS IN REM DUPLICIBUS.

Pars quarta (ultima).

Ad summam, apud quos talis lex est, ut possessor auctorem sistat, ibi auctore dato, cui quidem auctori auctoris datio remittatur vel non imponatur, favorabilior est causa possidentis, non dato, petentis [1]), sed non propterea fit iudicium duplex [2]). Quin immo, ubi iudicium duplex est, ibi non potest imponi possidenti auctoris datio aut desinet esse duplex [3]). Sed sunt, qui doceant in rem iudicium duplex esse non posse propterea, quod omnino sit locum habiturum possessionis qualecumque commodum [4]). Errant mehercle, erunt enim paria petitoris et

1) Omnimodo favorabiliorem esse causam possidentis, docet Planck, *Gerichtsverf.* I p. 550, 575 (*„wenn der Kläger kein besseres Recht zu behaupten vermocht hat"*), p 582/3.

2) Eck, *die doppels. Klagen* (1870) p. 13: *„Gesetzgebungen alter und neuer Zeiten (haben) den Vindikationsbeklagten .... zur Angabe seines Titels verpflichtet, ... ohne dass man darin eine Duplicität der Klage findet."*

3) Ergo fallit Declareuil, *Nouv. rev. hist.* XXII (1898) p. 464, quum scribat apud veteres Germanos in rem iudicium ceterorum iudiciorum exemplo fuisse duplex.

4) Velut Hübner, *Immobiliarproz.* p. 160 (= Heusler, *Institutionen* II (1886)

Digitized by Google

possessoris iura, ubi vel iudicio Dei veluti per crucem vel duellum contendetur vel inquisitione iudicis de proprietate constabit [1]), nec ad rem faciet [2]), utrum vice mutua detur iure constituto in rem actio, an adversus possessorem dumtaxat. Extat autem [3]) vindicatio *ad crucem* in formula quadam Salica [4]) et vera lite [5]) anni 775, *ad ferrum calidum* in vera lite [6]) anni 907, quum praecessisset inquisitio, igne in iudicio synodali de iure decumarum [7]) anni 925, *per duellum* autem in lege Bajuvarica [8]), *si causa fuerit* [9]), Alamannorum [10]), *si qua contentio fuerit inter duas genealogias* [11]) *de termino* [12]), et in litibus duabus altera Matisconensi [13]) anni fere 950, altera Ruthenica [14]) anni 960. Computamus enim eas tantum species, ubi principaliter de proprietate per duellum agitur, non iuratoris vel iudicis arguendi causa [15]). Sane posterioribus saeculis [16]) multo magis vindicatio per duellum in Francia frequentata est, quum esset ea sola vel

---

p. 45): *„in jedem Prozessrechte .... gilt die Rolle des Beklagten als die vortheilhaftere."*

1) Brunner, *Entst. der Schwurger.* (1872) p. 85: *„die Inquisition hebt die* (p. 107: *„dem formalen Prozesse eigenthümliche(n)") Grundsätze der Beweisvertheilung auf."* Idem dicere poterat circa iudicium Dei.

2) Facturum putat Lotmar, *zur* legis actio sacramento (1876) p. 97, nec ibi posse existere de proprietate iudicium duplex, ubi sicut Romae (ibid. p. 77) non competat nisi adversus possessorem.

3) Omitto quum perplexam *GU* 416*a*, tum, ubi nec constet de genere iudicii nec peragatur, *GU* 470*a*; 591.

4) Bignon. 13 (12).

5) *GU* 93 (de 94 error est Huebneri).

6) *GU* 469*a*.

7) *GU* 495*a*. Ex diverso aquae iudicium in pari causa spondetur *GU* 604*a*.

8) App. IV. De re mobili cf. tit. 16 § 11.

9) Cf. tit. 12 § 8 (*si alia probatio nusquam invenir(i) dinoscitur, nec utriusque* (= uter utri) *invasionem compensare voluer(i)t*).

10) tit. 81 (84). Utebar editione Caroli Lehmann (1888).

11) Cf. Ranke, *Päpste* I (1878) p. 255/6.

12) Finalem controversiam proprietatis esse, docebam cap. LXXIII.

13) *GU* 531.

14) *GU* 547. Cf. etiamnunc *GU* 432; 495; 511*a*; 535; 611; 612, ubi offertur quidem vel spondetur nec tamen peragitur pugna.

15) Cf. Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 418: *„Der Hauptfall, in welchem das Ordal des Zweikampfs zur Anwendung gelangt, ist die Schelte .... des Urteils, ... des Parteieides, ... des Zeugeneides."* It obviam van Kuyk, Diss. cit. p. 16/7, 33/5. Ex litibus huc pertinent *GU* 429; 868; Act. Sanct. mens. Mart. III p. 309 A.

16) *„sous la troisième race de nos rois."*

Digitized by Google

certe praecipua ratio decidendi causas èt civiles èt criminales facta [1]), unde secum hoc ius Normanni [2]) quum in Angliam [3]) transtulerunt tum in Apuliam [4]). In Longobardica enim Italia ex capitulari primi Othonis [5]), quod supra laudavimus, *de investitura praedii* duellum competit; simul indicavimus, quomodo hoc ius interpretes ad ipsam de proprietate contentionem transtulerint. Ergo in monumentis Italicis posterioribus non adeo rarum est, ut praedia [6]) per duellum vindicentur [7]). Ex diverso apud Saxones vindicatio per duellum non invenitur, in criminalibus enim causis dumtaxat duelli actio permittebatur [8]); admittitur quidem de proprietate [9]) iudicium aquae [10]), quum possessio in incerto est [11]). Est in obscuro possessio, si vicinis ignoratur. Licet enim totidem testibus possessio probari possit, quot ius probatur, id est, sex [12]), tamen, quia inter solum do-

1) Loysel, *Instit. coutum.* (ed. 1846) no. 808 (p. 180); Warnkoenig et Stein, *franz. Staats- und Rechtsgesch.* III (1846) p. 216, p. 226; Brunner, *Entst. der Schwurger.* (1872) p. 439/40; Coulin, *der gerichtl. Zweikampf* I (1906) § 1, § 2; Declareuil, *Nouv. rev. histor.* XXXIII (1909) p. 33/4. — Dicturus igitur, quibus ex causis duellum locum habeat (ed. 1900 no. 1709), hoc non implet Beaumanoir, sed docet (no. 1318 io. 1046 i. f.), quando cesset.

2) Brunner, *Entst. der Schwurg.* p. 181: „*die normannischen .... Urkunden des ausgehenden* 11. *und des* 12. *Jahrhunderts geben zahlreiche Beispiele .... des gerichtlichen Zweikampfs.*" Cf. ibid. p. 178/9; Coulin, op. cit. p. 3/4.

3) Loysel, l.l.; Phillips, *englische Reichs- und Rechtsgesch.* II (1828) p. 127, p. 280/2; Brunner, *Entst. der Schwurger.* p. 397 (et p. 181: „*die .... englischen Urkunden des ausgehenden* 11. *und des* 12 *Jahrhunderts geben zalreiche Beispiele*"); Bigelow, *History of procedure* I (1880) p. 327, 295/7, 157; Neilson, *Trial by combat* (1890) p. 31 sqq. Cf. inprimis Glanvilla II 3; XIV 1. — Sine fructu contuli Pollock et Maitland, *History of english law.*

4) Const. regni Sic. II 32 (Huillard, Hist. diplom. IV 1 p. 103).

5) 3. Cf. praeterea filii diploma 282 (*GU* 1043).

6) Idem fit in lite libertatis *GU* 1132 propter capit. Longob. extrav. 39.

7) Veluti *GU* 1176; 1209; 1228; 1369; 1372; 1378; 1501; 1513; 1558; 1583; 1610 (laudo èt hic èt ubique *τὰ πρωτότυπα*, non viri clarissimi indices). Cf. praeterea privilegia quum Pisanum, quod laudat Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* V p. 379[24] tum Lucense, quod descripsit Ficker IV no. 81. Nam *GU* 982; 1119; 1164 pugna spondetur de carta, quae dicatur falsa, ex capitul. 1 Othonis I. Quo pertinere potest similiter Diplom. Henr. II 302 (ia. *GU* 1198).

8) Planck, *Gerichtsverf.* I § 88 (p. 787: „*nur .... wegen Friedenbruchs.*"

9) Planck, *Gerichtsverf.* I p. 617 (de possessione putat Heusler, *Gewere* p. 260).

10) Vel divisio aequa Cf. *GU* 30; 181; 1595.

11) *Ssp.* III 21 § 2.

12) Heusler, *Gewere* p. 147/8; Planck, *Gerichtsverf.* I p. 613. Quin exstat sententia, ut de possessione iuretur septima manu, deinde tertia manu de iure (Wilmanns, *Additam.* 78).

Digitized by Google

minum et fidelem constat, utri possessionis probatio danda sit — danda est fideli [1]) — ergo in ceteris causis vicinorum testimonio res debet dirimi [2]). Quodsi id quoque defecerit, iam non potest per iudicium simplex lis proprietatis ordinari. Remanet igitur iudicium Dei, quod est sui natura duplex. Similiter duplex est recognitionis sive inquisitionis [3]) iudicium, quod potest videri descendere ex iure Romano [4]), tunc autem iure Francorum habet locum [5]), inprimis ubi causa dicitur apud regem apud eumve, qui sacra vice iudicet, postquam is decreverit, ut per inquisitionem agatur, atque praeterea Capitularium testimonio de iure diutinae possessionis [6]) *ecclesiae* utique *vel parochia(e)*. Quod ius mansit *de his libertatibus et rebus reddendis, quae in nostra*, id est, regis, *vestitura sunt* [7]), postquam placuit, *ut pagenses per sacramenta aliorum hominum causas non inquirantur nisi dominicas* etc. [8]). Rursus porrectum est ius regium ad res ecclesiarum [9]) sub hac tamen exceptione, quod ecclesiae ad exemplum privatorum per inquisitionem retinebunt, *quae* res *ab eis per triginta annorum spatium sine ulla interpellatione possessae sunt* [10]), regi

---

1) Laband, *Vermögensr. Klagen* p. 206; Planck, *Gerichtsverf.* I p. 611 (erraverat p. 576/7); Heusler, *Gewere* p. 262.

2) Cf. Laband, *Vermögensr. Klagen* p. 219; Planck, *Gerichtsverf.* I p. 613; Heusler, *Gewere* p. 258.

3) Quo discrimine posterior aetas hac utraque voce usa sit, dicet Brunner, *Entst. der Schwger.* p. 293/5.

4) Cf. Bruns, font. (1909) no. 79 lin. 15-21 (Brunner, *Rechtsgesch.* II (1892) p. 525 not. 7); Liv. XLII c. 19 (io. c. 1).

5) Cf. Brunner, *Entst. der Schwurger.* (1872) p. 84 sqq.; id. *Rechtsgesch.* II (1892) p. 524-526. Exempla sunt quamplurima apud Huebnerum (*GU*), quibus addi potest Cod. Carol. epist. 56 (Murat.).

6) Capit. 36 § 17. Litium documentis possidenti probatio permittitur. Exempla dedimus supra.

7) Capit. 141 § 2 (cf. § 1); 145 § 1.

8) Capit. 144 § 1 (cf. 188 § 2).

9) Capit. 188 § 1; 191 § 8: *ut omnes res ecclesiasticae* (191: ecclesiarum) *eo modo contineantur sicut res ad fiscum nostrum* (191: *pertinentes*) *contineri* (= retineri, cf. capit. 140 § 6; 188 § 2) *solent*. Laudatur praeterea (*GU* 1174) capitulare Caroli Magni: *ubi res ecclesiastica per inquisitionem inveniri poterit, ut non excludat eam per possessionem aliquis*, quibuscum conferri oportet quod Ludovico Pio tribuitur apud Boretium in Praef. libri Pap. § 8. Illud Caroli pro spurio habet Ficker, *Sitzungsber.* (*Wien*) 67 (1871) p. 586.

10) Capit. 191 § 8. In privilegio quodam (*GU* 802) pro hoc spatio requiritur *a tempore Karoli magni legal(is) vestitur(a)*.

Digitized by Google

tantum confert antecedentis regis possessio quantum privato vel ecclesiae tricennaria [1]), modo sit *iusta ac legitima*, id est, ni fallor, nec violenta nec interpellata, *nam aliter ne vestitura (quidem) nominari debet, sive sit in ecclesiasticis sive in palatinis rebus* [2]). Eveniet autem sive per duellum agitur sive per inquisitionem, ut interdum neuter vincat et erit lis indecisa, sive quaestio proponitur, uter dominus sit, sive proponitur, uter maius ius habeat in terra illa [3]). Veluti refertur sententia [4]) ea quidem ex Italia (ann. 1098): propter incertum pugnae eventum *nullam inde iudices ded(isse) sententiam*. In Francia quidem [5]) et in Anglia [6]) incertum pugnae eventum absolutio sequebatur, quem morem tuebantur verbis formulae nec animadvertebant [7]), contra naturam esse duelli, ut alteri utri victoriae praerogativa deferatur, siquidem hoc modo Deo èt mandatur iudicium èt subtrahitur. Similiter fieri potest, ut inquisitio neutro inclinet. Quamobrem Ludovicus Pius [8]), si per inquisitionem *veritas inveniri (non) potest*, remittit ad ordinariam litigandi viam *(tunc liceat litigantibus ex utraque parte testes adhibere)*; Glanvilla deniqne apud Anglicos Normannos dubitat, si possessor petierit recognitionem eam, quae vocatur *magna assisa* [9]) — permissum erat hoc modo duellum evitare tenenti [10]) — si deinde utriusque iura in obscuro sint, *numquid eo ipso obtine(a)t is qui tenet ad-*

---

1) Hoc nondum videtur observatum esse, sed aperte demonstratur capit. 40 § 9; 145 § 1; 145 § 8; 167 § 1 (cf. 139 § 20). De mancipiis quia non potest fiscus *propter vestituram* antecedentis regis vindicanti *contradicere*, sed tantummodo ad sententiam retinere possessionem (cap. 140 § 6), habebit regula locum in rebus immobilibus. Cf. praeterea capit. 155 § 2.

2) Capit. 145 § 1.

3) Hanc alteram speciem sine causa excipit Eck, *die doppelseit. Klagen* p. 16/7.

4) *GU* no. 1513.

5) Loysel, *Instit. coutum.* (ed. 1846) no. 815. — Non est contraria (esse putat Coulin, *gerichtl. Zweikampf* I (1906) p. 139) *GU* no. 547, siquidem in ea lite neuter possidebat (Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 440 not. 89), itaque non poterat pro reo pronuntiari.

6) Brunner, *Entst. der Schwg.* p. 179 (ima) cum not. 4.

7) Fortasse dissimulabant.

8) Capit. 141 § 2.

9) *Magna assisa* est, quae proprietatis causam continet; ceterae de possessione dabantur (Brunner, *Entst. der Schwg.* p. 414).

10) Glanv. Tract. II 7 § 1 (cf. ibid. 3 § 2).

Digitized by Google

versus petentem [1]), neque eam quaestionem expedit [2]). Facti denique refertur [3]) species huiusmodi: *comes Legecestriae, qui iustitia et iudex aderat, eorum,* quibuscum inquisiverat, *videns opiniones variare, nihil super hoc iudicare praesumpsit,* quemadmodum post incertum pugnae eventum in Italia pronuntiatum retulimus. Proponitur praeterea iudicium duplex de proprietate servi in lege Gortynica [4]): .... *αἰ δέ κ' ἀντὶ δώλωι μωλίωντι πωνίοντες τὸν τεκατερος ἤμεν, αἰ μέν κα μαῖτυς ἀποπωνῆι, κατὰ τὸν μαίτυρα δικάδδεν· αἰ δέ κ' ἢ ἀνποτέροις ἀποπωνίωντι ἢ μηδατέρωι, τὸν δικαστὰν ὀμνύντα κρίνεν* [5]). Ergo variis modis potest esse iudicium de proprietate nec ullum in eo possessoris commodum. Neque id mirum videri debet, siquidem decantatum illud favorabiliorem esse rei causam [6]) non obstat, quominus sit iudicium duplex, sed cessat, ubi est iudicium duplex, vel magis, ubi lex actoribus favet, quod interdum usu venit. Quin immo licet principaliter non sit, potest ex accidenti fieri proprietatis iudicium duplex, sive litigantium neuter possidet sive uterque [7]), modo permissum sit de proprietate agere cum non possidente et agere, licet ipse possideas. Quod apud Germanos, quia de proprietate semper agitur negativa actione [8]), utrumque procedit [9]), nec ibi quidquam obstat, quominus in lite proprietatis aut uterque possideat aut neuter [10]). Potest praeterea possessor ultro vindicationi se of-

---

1) Tractat. II 21 § 1. Cf. in re simili Bracton apud Henricum Brunner, *Entst. der Schwg.* p. 423[1].

2) De incerto pugnae eventu Glanvilla loquitur nusquam.

3) Apud Henricum Brunner, *Entst. der Schwg.* p. 289[4] (= Bigelow, Placit. p. 201).

4) col. I lin. 17-23.

5) Cf. *Inscr. jurid. grecq.* (I) pag. 447.

6) Gai. l. 125 D. 50 § 17; Antiph. or. 5 § 51 (*τὰ ἐξ ἴσου γενόμενα τοῦ φεύγοντός ἐστι μᾶλλον*); Aethelred II 9 (*a bith andsaec swithre*).

7) Non potest quidem proprie possessio duorum esse in solidum (l. 5 § 15 D. 13. 6; l. 3 § 5 D. 41. 2; cf. l. 3 pr. D. 43. 17), sed facile fieri potest, ut modo hic modo ille possidere videatur, proinde possessio in incerto sit. Eam speciem intelligimus, quum dicimus utrumque possidere.

8) Hoc demonstravimus cap. LXXXVIII.

9) Ordinarium quidem est, ut, qui non possidet, agat (*Richtst. Ldr.* 26 § 3: *hebbe gi de were, wes clage gi denne?*), quod magis exprimere voluit Laband, op. cit. p. 403 (§ 43) quam expressit his verbis: *„eine Klage auf Herausgabe .... konnte nur gegen den Besitzer angestellt werden."*

10) Planck, *Gerichtsverf.* I p. 501/2, 596-618. Cf. Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 440[**]; Laband, op. cit. § 43 (p. 403-406).

Digitized by Google

ferre [1]). Ex diverso apud Romanos quia de proprietate non competit negativa actio, consequens est, neque possidentem de proprietate agere posse [2]) et non possidentem absolvi oportere [3]). Quocirca ne ex accidenti quidem potest nasci apud Romanos de proprietate iudicium duplex, et est ab iure Romano remotum id, quod tradit Pothier [4]): quum de possessione apud iudicem non constiterit, constitui proprietatis iudicium, quod necessario erit duplex. Sed, an apud Romanos proprietatis iudicium tunc principaliter fuerit duplex, quum ordinari adhuc solebat per contrariam vindicationem [5]), quaeri potest. Stant magni utrimque auctores [6]), mihi tamen ideo duplex iudicium fuisse videtur, quod non sufficiebat pronuntiare „(*rem actoris*) *non esse*" [7]), sed vel huius vel adversarii sacramentum iustum esse [8]), id est, rem esse vindicantis vel eius, qui contra vindicet. Quamquam negat Abgarowicz [9]) posse uno sacramento de utriusque litigatoris iure contendi, quocirca videtur ei solius contra vindicantis [10]) ius in iudicium deduci (huic enim quod *iniuria vindicaveri(t)*

---

1) Haec non, quantum satis est, separat Laband, op. cit. p. 155/8. Diximus nos de iudiciis oblatitiis cap. LXXXIV. Cf. praeterea Hübner, *Immobiliarproz.* p. 66-70.

2) § 2 (i. f.) Inst. IV 6; l. 1 § 6 D. 43. 17. Quodsi de possessione actor contendit, (*ad*) *interdictum remitten(dus est)* (l. 1 § 3 D. 43. 17). Olim, quum legis actiones in usu essent, potuisse possidentem rem vindicare, coniectura est Fridolini, *Beiträge* (1896) p. 257/8.

3) Debet iudex inprimis *inspic(ere)*, *an reus possideat* (l. 9 D. 6. 1).

4) *Traité de la possession* no. 105; *Introd. au titre XXII* no. 53. Vetus exemplum: *GU* 1665.

5) Remittit quidem Lotmar, ne sit iudicium duplex, ipsam contrariam vindicationem. Qua de re disputavimus cap. XCVII.

6) Aliquot nomina dabit Keller, *Civilproz.* § 14 (p. 69) not. 210. Est etiam, qui verbo fateatur iudicium duplex, re tollat, velut Girard, *Manuel* (1911) p. 338/9.

7) Cf. l. 15 D. 44. 2.

8) Cic. pro Caec. 33 § 97; de domo 29 § 78; de Orat. I 10 § 42. Cf. Keller, *Civilproz.* § 13 (p. 61) not. 201; § 16 (p. 78) not. 222, et adversus Ludovicum Mitteis, *Privatrecht* 1 p. 30'*, observatio Fridolini, *mater. Grundl. der* exceptio (1871) p. 178/9 (sub textu).

9) *Essai sur la preuve dans la R. V.* (1912) p. 105: „*si .... le pari était unique .... il s'ensuit d'une façon nécessaire que l'on ne pariait que sur les prétentions d'un seul.*" Praeiverat ex parte Demelius, *die* confessio (1880) p. 71: „*Gegenstand des Rechtsstreites ist somit die Frage, ob des Beklagten* (contra) vindicare *als* iniuria vindicare *erscheine.*"

10) Eum esse petitorem, ex diverso unde petatur eum, qui prior vindicet, docuerat *Essai* cit. p. 38 svv. (nec in ea re, quod sciam, praecursorem habet ullum).

Digitized by Google

obicitur), quae sententia est quidem arguta, sed in eo peccat, quod inutilem reddit primariam vindicationem. Quamobrem crediderim potius, aliquanto post legis actionem ipsam compositam adglutinatam ei sacramento provocationem, in qua verborum principalium ratio habita religiose non sit, sed esse eam nihilominus ex ipsis verbis principalibus interpretandam [1]), proinde iudicem debere vel vindicantis sacramentum iniustum pronuntiare, si non probet se dominum. Haud magis est contrarium [2]), quod videtur [3]) suo loco mansura possessio, si neutrum sacramentum iustum sit. Nam non est mansura apud eum, qui possessor in ius venerit, sed apud eum, quem praetor possessorem constituerit [4]), atque praeterea interest, utrum possessio suo loco maneat lite decisa an indecisa [5]). Ad summam duplex fuisse iudicium ut sentiam, me impellit inprimis, quod aut fallunt me omnia aut introducebatur olim [6]) per vindicationem et contrariam vindicationem duellum [7]), quod sui natura iudicium duplex efficit; quid enim initio fuisse potest manus illa consertio nisi verum duellum [8])? quidve similius [9]) Romanorum vindicationi quam Alemannica [10]) illa contentio *inter duas genealogias de termino terrae*, nam ibi quoque ex terra, de qua ambigitur, id

1) Idcirco fallere videtur Demelius, *die* confessio (1880) p. 71, quum neget, „*dass durch die bisherige Verhandlung* (*dem Richter*) *formell der Weg gewiesen wäre.*"

2) Contrarium esse putat Bekker, *Aktionen* II p. 62[18].

3) Hic occurrit Lotmar, *Krit. Studien* (1878) p. 112, putatque commissum iri stipulationem *pro praede litis et vindiciarum*, quod negat Wach (ad Kellerum not. 201 cit.).

4) Gai. IV § 16.

5) Bekker, *Recht des Besitzes* (1880) p. 254: „*was dann die Folge haben musste, dass, wer die thatsächliche Innehabung hatte, diese zwar behielt, aber die Sicherung, die ein ihm günstiger Spruch bewirkt hätte, nicht dazu gewann.*" Hoc non perspexit Girard, *Manuel* (1911) p. 339[1].

6) Diu quidem ante Ennium.

7) Cf. Jhering, *Vorgeschichte* (1894) p. 436: „*ich hoffe an späterer Stelle die Ansicht begründen zu können, dass* (*das Prozessverfahren mittelst* sacramentum) *an die Stelle der Gottesurtheile der Urzeit getreten ist.*"

8) *Simul manu prendere* vertit quidem Gellius (XX 10 § 7) et scribit Gaius (IV § 16) festucam intervenire *hastae loco* quasi *sign(um) quod(d)am iusti dominii*. Sed videtur uterque ex coniectura magis quam certa et vera scientia statuere. Cf. Bethmann-Hollweg, *Civilprozess* § 40 (I p. 134).

9) Similitudinem indicavit Siegel, *Gesch. des deutschen Gerichtsverf.* I (1857) p. 126[11].

10) Tit. 81 (84). Sequor textum B (ad sensum nihil interest).

Digitized by Google

tollitur, *quod Alemanni* zurf *dicunt*, id est, cespes, praesente comite, eique in manu ponitur; hic commendat cespitem *fideli manu usque ad statutum placitum* [1]). Sic deinde legislator pergit: *tunc spondeant inter se pugnam duorum. Quando parati sunt ad pugnam, tunc ponant ipsam terram in medio et tangant ipsam cum spatis suis cum quibus pugnare debent .... et pugnent.* Quodsi apud Romanos vindicatio sacramento iudicium duplex fuit, iam apparet, cur a praetore eo utique tempore, quo adhuc legis actiones in usu erant, sit introducta [2]) in rem actio per sponsionem praeiudicialem. Nam sic dicendum: a praetore [3]), et: eo tempore, quo adhuc legis actiones in usu erant [4]). Etenim poterant litigatores domi componere quamlibet sponsionem; sed in iure quae fiat sponsio, auctore praetore fiat necesse est, quocirca *in praetoriis stipulationibus, si ambiguus sermo acciderit, praetoris erit interpretatio: eius enim mens aestimanda est* [5]), *sed et si quid vel addi vel detrahi vel immutari in stipulatione oporteat, praetoriae erit iurisdictionis* [6]). Et introduxerit oportet praetor in rem actionem per sponsionem, quum nondum erant legis actiones abrogatae, nam post abrogatas legis actiones et introductas formulas naturalis quaedam proclivitas ferebat a legis actione: *Aio hunc hominem meum esse ex iure Quiritium* ad formulam: *Si paret hominem Auli Agerii esse ex iure Quiritium* nec inter has metas consistendi locus. Manet quaestio, cur introduxerit. Sunt qui respondeant: incommodi eius tollendi causa, quod cum legitima vindicatione coniunctum est [7]),

---

1) Hactenus fit similiter in lite quadam Andecavensi anni circiter 1075, quo remittit Schupfer, *l'Allodio* (1886) § 55 (i. f.).

2) Minus apparet, conservata cur sit post legis actiones abrogatas. Propter fructuum duplationem, putant Dernburg (*krit. Zeitschr.* I (1853) p. 156/7), Ubbelohde *Serie der B. 43 und 44*, V p. 649/50).

3) Keller, *Civilproz.* p. 129 not. 389 (= Bachofen, de Rom. iudiciis (1840) p. 33 lin. 1/2). Erraverat in ea re Stintzing (quem sequitur tamen Girard, *Manuel* (1911) p. 338 not. 1) post Georgium Gulielmum Wetzell, *Vindicationsprozess* p. 74. Cf. Bethmann-Hollweg, *Civilpros.* § 89[2] (II p. 234).

4) Stintzing, *Ueber das Verh. der* legis actio sacr. *zu dem Verf. durch* sponsio (1853) p. 41 sqq. Erraverat in ea re Keller.

5) L. 9 D. 46. 5.

6) L. 1 § 10 D. 46. 5.

7) Schmidt, *Ztschr. der Sav.-St.* II p. 153 (not.): *»um .... der für beide Theile mit wesentlichen Beschwernissen verbundenen* vindicatio *des Sacramentsprozesses zu ent-*

Digitized by Google

quibuscum ego facere non possum. *Si qua* enim *res talis erat, ut sine incommodo non posset in ius adferri vel adduci,* salva legitima actione remedium inventum est [1]). Docent alii ideo introduxisse, ut per formulam ageretur in rem [2]). Quos refutavimus supra hoc argumento: non potuisse praetorem, si quaerebat formulam, petitoriam non statim invenire. Accedit, quod non propterea per formulam litigatur, quod sponsio facta sit [3]): fit sponsio, etiamsi certum sit per formulam actum non iri, quod valde foret mirum, si interponeretur sponsio, ut per formulam litigaretur. Sequens est opinio, sponsionem introductam, ut sacramentum evitaretur aut maius [4]) aut minus [5]), quod neutrum probo. Cur enim praetor sacramento contrarius exstitisset? Atqui foret hoc dicendum, quia a praetore sponsio introducta est vel certe praetore auctore. Accedit in causa sacramenti minoris, quod non propterea sponsio denegatur, quod res maior sit mille assibus, velut *homo* [6]), qui potest longe pluris esse [7]) nec minori sacramento locus. Ne ii quidem verum vidisse mihi videntur, qui propterea contendunt sponsionem introductam, ut centumviralis iudicatio interciperetur [8]); non enim propterea ad centumviros non itur, quod sponsio facta sit [9]). Multo minus, quo-

---

gehen." Hoc fuisse causae verisimile non videtur Fridolino, *mater. Grundl. der* exceptio (1871) p. 171 not. 50 (»*Die* legis actio sacramento in personam *wird wohl immer noch etwas einfacher gewesen sein als die* in rem .... *Das wird aber nicht hingereicht haben, um die* sponsio praeiudicialis *einzuführen*").

1) Gai. IV § 17.

2) Hoc putant Bachofen, de Rom. iudiciis (1840) p. 31; Wetzell, *Vindicationsprozess* (1845) p. 73; Bethmann-Hollweg, *Civilprozess* § 89 (II p. 233/4). Similis est sententia Fridolini, *die mater. Grundl. der* exceptio (1871) p. 170.

3) Gai. IV § 95. Reponit Eisele, *mater. Grundl.* p. 171, non esse mirum, si propter centumvirale iudicium legis actio interponatur, quod cur non pertineat ad rem, demonstramus in textu in aliam formam argumento translato.

4) Hoc putant Stintzing, op. cit. (1853) p. 70/1; Witte, *das* interd. uti poss. p. 36 ima; Wlassak, *Prozessges.* I (1888) p. 113; Girard, *Manuel* (1911) p. 338 not. 1 (i. f.). Sed adsumit hic, ut Witte (p. 37 summa) aliam quoque causam ex iis de quibus diximus supra. — Ad sententiam Fridolini disputabitur infra (sub textu).

5) Hoc putat Karlowa, *Civilproz.* (1872) p. 99.

6) Gai. IV § 93.

7) Gai. IV § 14.

8) Ea est opinio civis mei (*Abhandl.* (1885) p. 319/20).

9) Gai. IV § 95 (cf. Dernburg, *krit. Ztschr.* I (1853) p. 264/269). Eapropter docet Eisele, *Abhandl. z. röm. Civilproz.* (1889) p. 84/5, in quibus speciebus ad Centum-

Digitized by Google

rum est sententia, postquam de possessione interdicta dari coeperint, de proprietate sponsionem inventam, ut cum eo posset in rem agi, qui interdicto obtinuisset [1]), quasi vero cum possessore constituto non potuerit sacramento contendi. Quos aperte refellit Cicero [2]): *si habuisset iste edictum, quod ante istum et postea omnes habuerunt, possessio Minuciae genti esset data; si quis testamento se heredem esse arbitraretur, quod tum non exstaret, lege ageret* [3]) *in hereditatem* [4]). Restat sententia, in qua acquiesco, Ottonis Karlowa [5]), Eduardi Cuq [6]): ideo introductam in rem per sponsionem actionem, ut sufficeret pronuntiare *rem actoris non esse*, id est, ut exstaret de proprietate iudicium simplex [7]). Cui sententiae est consequens: non actori electionem tributam esse, utrum sacramento an sponsione certare mallet [8]), quod vitio cariturum non fuit [9]), sed possidenti, pro quo sit introducta sponsio, remissam contrariam

---

viros non eatur, sponsionem fieri, ut eorum iudicatio intercipiatur et ut sacramentum maius evitetur, in reliquis speciebus ideo, ut sacramentum maius evitetur, quam causam olim sufficere per se negabat (*mater. Grundl. der* exceptio (1871) p. 171**: „(*dass*) *man das höhere* sacramentum *umging, wird .... nicht hingereicht haben, um die* sponsio praeiudicialis *einzuführen*"), sufficere nunc si putat, cur adiungit aliam?

1) Eo deducit rem Ubbelohde, *Serie* etc. V p. 632 sqq., eodem, ni fallor, Wlassak, *Ztschr. der Sav.-St.* XXV p. 137[1] (ia. p. 156 ima). Quodsi ille recte docet (p. 633), post interdictum vindiciarum dationi locum non esse (diversum placet Hermano Witte, *das* interd. uti poss. (1868) p. 38/9; Philippo Lotmar, *zur* legis actio sacram. (1876) p. 89; *krit. Stud.* (1878) p. 131), est quidem consequens, post introducta de possessione interdicta, dici vindicias desiisse (Bruns, *Besitzkl.* (1874) p. 18), nec oportet quem movere verba Gellii XX 10 § 1. Sed non sequitur sacramento agi desiisse.

2) Accus. III 45 § 115.

3) Cum possessoribus constitutis Minuciis.

4) Locum exscripsi, ne esset necesse refutare Augusti Ubbelohde (*Serie* etc. V p. 645 sqq., quo remittit III p. 5/6) interpretationem eius.

5) *Rechtsgesch.* II p. 324 (cf. *Beiträge* (1865) p. 54-56; Bekker, *Aktionen* I p. 211).

6) *Nouv. Rev. histor.* XVIII (1894) p. 19.

7) Non recte docent, docebat Brinz, *Festschr. f. Spengel* (1877) p. 139, introducendam fuisse μονομερῆ in rem actionem propter interdicta. Quidni enim post interdicta potuit iudicio duplici confligi?

8) Hoc putant Bachofen, de Rom. iudiciis p. 34 (cf. p. 32/3); Bethmann-Hollweg, *Civilpros.* § 89[7] (II p. 235); Bekker, *Aktionen* I p. 211/2; Martin, *Tribunal des Centumvirs* (1904) p. 107/8.

9) Cf. in re simili Lenel, *Ztschr der Sav.-St.* XXX (1909) p. 334.

Digitized by Google

vindicationem, si sponsione pati mallet [1]), modo caveret pro praede litis et vindiciarum [2]). Accessit *propter* [3]) legem Crepereiam [4]), si iudicium centumvirale futurum esset, ut sponsio fieret sestertium CXXV, id est, quingentum assium; ideo, ni fallor, quia lege Crepereia sacramenti actio denegabatur de minoribus summis, quae res non est sine exemplo [5]). Putat quidem Dernburg [6]) legem Crepereiam, id est, Pinariam (nam credit eandem esse nomine legis per errorem librarii leviter mutato) denegavisse centumvirale iudicium [7]) de minoribus summis; sed non observavit centumvirale iudicium, etiamsi maxime per sponsionem ordinetur, tamen principaliter fieri *de .... hereditat(e)* [8]), itaque potuisse quidem de parvis hereditatibus, non potuisse de summulis centumvirale iudicium denegari. Potuit denegari de summulis actio sacramenti, eo vel iustius, quod de eo, quod nobis dari oportet, etiam sine sacramento lege agere permissum erat [9]). Quod perspexisse videtur Huschke, sed obscuravisse calculi errore [10]), quum adnotaret [11]) lege sanctum, *ne sacramentum rei, qua de ageretur, summam excederet*, nam adnotandum erat: lege sanctum, ne sacramentum *decies ductum* rei, qua de ageretur, summam (aestimationem potius) excederet, id est: ne sacramento certaretur de re quingentos asses non valente. Quod ut admittatur, longe facilius est, quam, cum Fridolino [12]) ut statuatur: lege Crepereia sanctum, de omni

---

1) Non abhorret Plaut. Menaechm. 592/3 (Hartmann, *Ueber die röm. Gerichtsverf.* (1859) p. 106).

2) Cic. Acc. III 45 § 115 (atque de cautionis origine: Gai. IV § 94).

3) Quasi *ex* scriptum esset, interpretatur Stintzing, *Ueber das Verhältniss* etc. p. 72[1].

4) Gai. IV § 95.

5) Cf. lex repet. inscr. (lin. 2).

6) *Ueber das Verhältniss der* hered. petitio *zu den erbschaftl. Singularklagen* (1852) p. 7[14].

7) Statuendo, (*ut*) *iudex daretur* (Gai. IV § 15).

8) Cic. de leg. agr. II 17 § 44.

9) Gai. IV § 20.

10) Similem Bethmanni Hollwegii errorem notavit Krüger, *krit. Versuche* (1870) p. 70 not. 2 (p. 71).

11) Ad Gai. IV § 95.

12) *Abhandl.* (1889) p. 85[23]. Praeiverat Bachofen, de Rom. iudiciis (1840) p. 38 (nisi quod Crepereiam Cornelia lege commutat).

Digitized by Google

hereditate quingenario sacramento ut confligeretur, idque postea [1]) translatum ad summam sponsionis [2]). Illud utique constat, post actionem per sponsionem introductam apud Romanos proprietatis iudicium, olim si duplex fuit, simplex esse coepisse [3]), atque sic effectum, ut, cum obscura essent utriusque iura, pro possessore iudicandum esset. Displicuit aliquando Constantino hoc possidentis privilegium, quamobrem praescripsit, *si deficiat pars (petitoris) in probationibus, tunc .... possessori necessitas imponatur probandi, unde possideat vel quo iure teneat, ut sic veritas examinetur* [4]). Quod statutum [5]), licet asit a legis Romanae Visigothorum compilatione, tamen in lege Visigothorum Reccesvindi [6]) redit (*quotiens causa auditur, probatio quidem ab utraque parte, hoc est, tam a petente quam ab eo* qui (= *a quo*) *petitur, debet inquiri, et quae magis recipi debeat, iudicem discernere competenter oportet. Tamen* etc.), sed a Iustiniano Codice exulat. Quin adeo non haesit, ut, nedum probationem a possidente exigere, verum *cogi possessorem .... titulum suae possessionis edicere*, amentiae adscribat Arcadius [7]). Quamquam hoc ipsum: ne titulum possessionis suae possessor edicat, ita procedit, nisi petitor iam demonstraverit, rem fuisse suam, tunc enim necessario cogendi sunt possessores docere, *unde* postea *domini facti s(i)nt* [8]). Est praeterea ex constitutione Alexandri [9]) in actione furti, quum

---

1) Lege Iulia iudicaria.

2) Nihil translatum, sed sponsionem centumviralium causarum esse sacramentum, opinio est Bethmanni Hollwegii, *Civilprozess* § 89[14] (II p. 232), quem refellit Martin, *Tribunal des centumvirs* (1904) p. 99[1].

3) Repugnat Wetzell, *Vindicationsprozess* § 14 (ia. § 13), quoad quidem eius ad altercandi genus (*das*) *Behaupten*") attinet, nam, ad probationem quod attinet, etiam sacramenti in rem actionem duplicem fuisse negat (p. 7, p. 60).

4) c. 1 C. Th. 11. 39. Initio constitutionis suppleo: *etsi veteris iuris definitio et retro principum rescripta in iudicio (petitorio) petitori eius rei, quam petit, necessitatem probationis dederunt*, ut mox verba: *si quando talis emerserit causa*, habeant, quo referantur.

5) Conferri iubet Eck, *doppels. Klagen* (1870) p. 18 (not. 52): § 184-187 *preuss. allgem. Landr.* I 7.

6) II 2 c. 5.

7) c. 12 C. Th. 11. 39 = c. 11 C. 8. 31 = Ed. Theod. 132.

8) c. 16 C. 4. 19. Exemplum est in pap. Oxyrrh. 67.

9) c. 5 C. 6. 2 (Erman, *Ztschr. der Sav.-St.* XI p. 219). Conferendum est omnino capit. 67 § 3 (Caroli Magni).

Digitized by Google

quis fassus sit rem *apud (s)e fuisse, necessaria exhib(itio) venditor(is), nam a transeunte etiam ignoto emisse, dicere non convenit volenti evitare alienam viri boni opinionem.* Quod non esse trahendum ad ius vindicationis, iam Thalelaeus adnotavit [1]). Similiter in crimine falsi, quum quis falsis rescriptionibus usus esse dicatur, *si suam innocentiam probat et eum a quo accepit exhibet,* ex eiusdem Alexandri constitutione [2]) *se liberat,* proinde, verbis ut utar Modestini [3]), *nullo auctore habito* plectitur. In his igitur adversus crimen *auctore habito* reus defenditur, non, ut supra, delicti sed possessionis [4]) auctore dato. Quod similiter evenit in Goslariensibus passim statutis [5]). Nam diversa causa est c. 9 C. Th. 9. 34, ubi poena libelli vulgati remittitur ei qui *prodiderit auctorem*; nam ibi neque possessionis neque delicti alieni, sed libelli auctorem intelligendum esse manifestum est [6]).

(*Continuabuntur*).

---

1) sch. 3 ad Bas. 60. 6. 22: σημείωσαι, ὅτι, εἰ μὲν ψιλῶς περὶ δεσποτείας ἐστὶν ἡ ζήτησις, οὐκ ἀπαιτεῖταί τις δεῖξαι, πόθεν ἐκτήσατο· εἰ δὲ περὶ κλοπῆς, ἀναγκάζεται ὁ .... ἐναγόμενος δεῖξαι, πόθεν νέμηται.

2) c. 3 (4) C. 9. 22.

3) L. 33 D. 48. 10.

4) Vel rei furtivae vel constitutionis falsae.

5) 37, 23-38, 6 (= 113, 36-114, 2); 39, 5-7; 88, 27-33; Göschen p. 306/7.

6) Cf. c. 10 eod. (ubi Gothofr. pro *lectorem* rep. *auctorem*, sicut *GU* 1349 pro *doctorem* Hübner).

AD TACITI HIST. IV, 24.

Ex hoc loco videor mihi protrahere posse lepidi aliquid iocosique ... si verum est; sin falsum videbitur, nil mihi nocebit: ridebit adversarius et ridendo ponet arma.

Multis a Civile acceptis cladibus de sui ducis ignavia et stultitia queruntur milites Romani, tandemque (verba haec sunt ipsius Taciti):

Digitized by Google

„quin potius interfecto traditore fortunam virtutemque suam malo omine exsolverent" rogant.

Quod illud *omen* esset viri docti aut frustra quaesiverunt, aut specie contenti omnino non quaesiverunt. Certe nihil suboluit Orellio, qui primum ineptum istud *traditore* contra certam Puteolani emendationem *proditore* defendit, deinde haec addit: „*malum* autem omen in eo praevidebant milites, quod opinabantur fore ut, cum primum illud in se admisisset, mox aeque negligeret etiam Romanorum rationes et commoda."

At, o bone, imperatorem, qui semel prodiderit milites suos aut hostibus tradiderit, et postea simile aliquid ausurum, minime levis est suspicio sed sententia quam maxime probabilis utpote quae omnium firmissimo nitatur argumento. Non tam *certum* est omen, neque re tam gravi efficitur: e levissimis illud nasci causis solet, prae caeteris vero e sono aliquo vel ... nomine. Censores ante omnia vectigalia *Lacum Lucrinum* locant, quia illud nomen dat spem lucri; in delectu habendo consules eos citant primos quibus sunt bona nomina, puta Victor, Stator; urbium *Maleventi* et *Epidamni* nomina populus Romanus mutavit in *Beneventum* et *Dyrrachium*, *malum* scilicet et *damnum* metuens. Misero autem illi duci, in quem nunc omnis militum incumbit indignatio nomen est ... *Hordeonius* Flaccus, eiusque nomen gentile militibus in mentem vocat poenam *hordei pro tritico* dati (Liv. 27, 13, Graece κριθῶν ἀντὶ πυροῦ Pol. VI, 38, Plut. Marcellus 25) ridiculam sane poenam sed admodum turpem, qua qui afficitur non homo sed iumentum videtur, et est poena eius qui *praesidio cessit* et inter lixas, calones, aleatores versari quam munia obire militaria maluit. Haud inepte ergo milites sui flagitii culpam in ducem infirmum desidemque reiiciunt et sunt quidem „frigidiores, sed quia stomachantur, ridiculi videntur esse" (ut Ciceronis utar verbis Verr. I, 121), qui hoc dicant: „indignum est milite Romano sub aliquo *Hordeo*nio stipendia facere". (Belg.: „onder een generaal *Haverman*").

J. J. H.

Digitized by Google

DE VOCE „FATUM" SENSU MINUS USITATO ADHIBITA.

SCRIPSIT

P. J. ENK.

Quotiens pulcherrimum perlegimus carmen Propertii quod est decimum septimum libri primi, haeremus in loco difficillimo, in quo explicando post tot saecula nondum consentiunt viri docti, cuiusque recta interpretatio, si non omnia me fallunt, etiam nunc in obscuro latet. Est autem unus ex iis locis Propertianis qui ideo a multis corrupti habentur, quod ii critici, qui textum traditum defenderunt, ad eiusmodi confugerunt interpretationes, quae a nullo linguae Latinae peritiore probari possint.

Disputaturus autem sum de versibus undecimo et duodecimo

an poteris siccis *mea fata reponere* ocellis
ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?

Quaeritur enim quid verba *mea fata reponere* sibi velint; quae recte explicata, dummodo mea interpretatio vera sit, hoc quoque lucri afferunt, ut viam nobis monstrare possint in nonnullis locis aliorum poetarum Romanorum illustrandis. Spero igitur viris doctis quoque, qui occupati sunt in „Thesauro linguae Latinae" componendo, meam qualemcunque disputatiunculam non inutilem futuram.

Primum autem videamus quomodo verba illa hodie in commentariis ad Propertium exegeticis explicentur. Honoris causa incipiam ab interpretatione quam dedit Rothsteinius. Eius verba haec sunt (Pars prior p. 109): „*fata reponere*, inquit, kann hier nichts anderes heissen als „die Leiche bestatten". *Fata* ist

Digitized by Google

in demselben Sinne gebraucht, wie *funus* vs. 8 und *mors* II. 13. 22 nec sit in Attalico *mors mea* nixa toro". Quae interpretatio non nova est; apud Passeratium (Commentarii in C. Val. Catullum, Albium Tibullum et Sex. Aur. Propertium, Parisiis, 1608) enim legimus (p. 224) haec: „reponere mea fata: componere ossa et condere corpus humo".

Quomodo fieri possit, ut Cynthia corpus poetae, quod procul Roma fluctibus maris in litus insulamve desertam eiectum est, sepeliat, editor Germanus addere supersedit, iure nostro tamen ex eo quaerimus. Quid ipse poeta sibi voluerit, non dubium ex versu octavo:

haecine parva meum funus harena teget;

sed minus etiam Rothsteinium sequi possumus, si pentametrum

ossaque nulla tuo nostra tenere sinu

legimus. Cynthia corpus poetae, si Rothsteinio credimus, sepeliet, neque tamen eius ossa in sinu leget! En ἀπροσδόκητον absurdissimum. Num mirum Postgatium, cum anno 1899 (Class. Review 13 p. 62) sententiam suam diceret de editione Rothsteiniana, hunc potissimum locum citavisse ut exemplum daret interpretationis infelicioris?

Ab hac interpretandi ratione non multum differt Butleri, qui in sua editione (p. 156) scribit: „If the MSS. be right, the only possible meaning must be „Will you be able to bury my body dry-eyed?" *Ossaque nulla* must then be taken as *ossa quae sunt nihil* „mere dust and ashes". cf. 5. 22 *corpore nullus*. Cic. de Offic. III. 59 *quod eos nullos videret*. Plin. XI. 2 *tam parvis atque tam nullis*. On this view Cynthia is to find his body and to bury him, carrying his ashes to the grave in her bosom".

Huic interpretationi primum obstat quod nusquam quicquam legimus de Cynthia corpus poetae quaerente atque inveniente, deinde explicatio verborum *nulla ossa* tam contorta obscuraque est, ut nihil addere opus sit ad demonstrandum eam veram esse non posse.

Quod ipse Butlerus intellexit, cum confugeret ad Baehrensii coniecturam *reposcere* pro *reponere* legentis. Et sic versus editus est et a Postgatio in editione, quae prodiit sumptibus G. Bell et filiorum, et ab eodem Butlero in editione Loebiana („The Loeb Classical Library"):

Digitized by Google

an poteris siccis mea fata *reposcere* ocellis
ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?

Sed quis non videt Baehrensii coniectura recepta hexametrum et pentametrum non iam inter se cohaerere? Poterisne meam mortem poscere, cum tamen mea ossa in tuo sinu tenere nequeas? Qui alicuius mortem postulat, non rogat utrum eius ossa colligere possit necne. Sed tum praesertim Baehrensii coniecturam abiciendam esse patebit, cum in fine disputationis nostrae pauca de carminis compositione in medium protulerimus.

Evolvamus nunc aliorum commentarios nostra aetate scriptos. Vir doctus G. G. Ramsay (Selections from Tibullus and Propertius, p. 201) quamquam et ipse dubitat an textus corruptus sit, *reponere* vertit „to represent", „to portray in imagination" Lemairii vestigia secutus qui interpretatus est „remettre sous les yeux". Eandem sententiam e verbis laudatis excutere conatur vir doctus K. P. Schulze (Römische elegiker[5], p. 181) qui Germanice vertit: „kannst du dir mein Schicksal vorstellen". Vereor tamen, ne haec sententia in verbo *reponendi* non insit. Accedit quod ne sic quidem hexameter et pentameter apte inter se cohaerent.

Vir doctus K. Jacoby (Anthologie aus den Elegikern der Römer, 3. Properz, p. 26) confert Aen. I. 26 manet alta mente *repostum* iudicium Paridis, quo loco fretus vertit: „wirst du an mein Geschick mit thränenlosen Augen zurückdenken können". Sed *repostum*, quod est *conditum*, nihil prodest ad nostrum locum melius intelligendum; „siccis oculis memoriam meae mortis alto corde premere poteris", haec sententia prorsus non quadrat in contextum, neque bene cum sequenti pentametro cohaeret.

Aliam viam iniit vir doctus Foster, qui (Class. Philology, Oct. 1912) *reponere fata* vertit „to put away, forget my death", sed virum acutum rogare velim num sic apta evadat sententia: „poterisne meam mortem oblivisci neque ossa nostra tuo sinu tenere?" Praeterea verbi *reponendi* sic adhibiti desidero exempla. Ipse olim de interpretatione verborum traditorum desperans Italorum inventum *opponere* [1]) commendavi in meo „ad Propertii

1) Sic Hertzbergius, Paley, Keil (in edit. anni 1867), L. Mueller, Uhlmann (de Sex. Prop. genere dicendi), Vahlen (in editione quinta).

Digitized by Google

carmina commentario critico" (p. 57); quam coniecturam nunc non iam probo, quod textum traditum optime defendi posse mihi persuasum est.

Nunc nostram proferamus sententiam.

Unusquisque qui versum 12 *ossaque nulla tuo nostra tenere sinu* legit, statim cogitat de sepultura:

abstineas Mors atra precor: non hic mihi mater
quae legat in maestos ossa perusta sinus

lamentatur Tibullus I. 3. 5. „Quid igitur", inquies, „ecce autem denuo λῆρος ille de corpore sepeliendo quod procul iacet in litore aliquo ab Urbe remotissimo?"

Pro responso invito te, ut mecum evolvas locum notissimum apud Vergilium, Aen. VI. 378. Res quae ibi narrantur quam maxime cum nostro loco conferendae sunt: nam illic quoque ut hic de naufragio sermo est. Corpus mortuum fidissimi gubernatoris insepultum iacet, sed Sibylla eum consolatur:

nam tua finitimi longe lateque per urbes
prodigiis acti caelestibus ossa piabunt
et statuent tumulum et tumulo sollemnia mittent,

ubi Servii adnotatio maximi pretii est:

„Lucanis pestilentia laborantibus respondet oraculum manes Palinuri esse placandos, ob quam rem non longe a Velia et lucum et cenotaphion ei dederunt".

Umbris eorum qui in mari perierant, antiqui tumulum inanem vel cenotaphion dabant, ut manes placarentur neve insepulti vagarentur propinquorum amicorumque quietem turbantes. Sic Cynthiae quoque agendum erit: mortuo poetae iusta ferre debebit; cum autem nesciat, ubi natet iaceatve corpus, tumulum inanem in honorem eius statuet. „Si procella", inquit poeta, „tantopere saevire perget, mox nave fracta corpus meum fluctibus maris verretur; deinde in litus desertum iaciar mortuus, parva harena, qua ipsae undae me conspergent, tectus; tu tamen, o Cynthia, diras tuas in vota muta salutis, sat tibi sit poena, quod tam saevae tempestati interfui" — et nunc vide quam apte mea interpretatione sequens distichon cum praecedentibus cohaereat — „an poteris siccis oculis mihi iusta solvere mortuo, cum mea ossa in tuo sinu colligere nequeas i. e.

Digitized by Google

tum flebis, cum mea ossa in tuo sinu colligere non poteris i. e. tum flebis, cum supremo in me officio fungeris, sentiesque quid sit nihil, ne cinerem quidem, ad te redire ex eo qui tibi olim carissimus gratissimusque fuit?" Sic explicatum distichon unam exprimit sententiam, alterque versus alterum optime supplet.

Redeo nunc ad morem Romanum tumulos constituendi inanes. Multa nos docet locus in Aeneide (VI. 505) ubi Aeneas Deiphobum sic alloquitur:

> tunc egomet *tumulum* Rhoeteo in litore *inanem*
> constitui et magna *manes* ter voce *vocavi*.
> nomen et arma locum servant; te, amice, nequivi
> conspicere et patria decedens ponere terra,

ad quae Deiphobus respondet:

> nihil o tibi, amice, relictum;
> *omnia* Deiphobo *solvisti* et *funeris umbris*.

Animum attendas velim ad ultima verba „omnia solvisti funeris umbris"; si corpus naufragi non adest, *umbra* eius *placanda* est, *tumuloque inani condenda*.

Versum 11 „an poteris siccis mea fata reponere ocellis" re vera de *sepultura* loqui docet *reponendi* verbum, cf. Verg. Aen. VI. 655. quae cura nitentis pascere equos, eadem sequitur tellere *repostos*; Hor. Carm. I. 10. 17 tu pias laetis animas *reponis* | sedibus.

Reponere manes bene illustratur Verg. Aen. IV. 34, ubi Anna et alia dicit et haec: id cinerem aut *manes* credis curare *sepultos*?

Reponere (= sepelire) nostro loco sic nude adhiberi posse non addito vocabulo qualia sunt *tumulo*, *sepulcro* docet Lucani locus IX. 151: tanta fuit merces inhumatos *condere* manes, ubi *condere*, ut nostro loco *reponere*, absolute adhibetur.

Quae si recte disputata sunt, *mea fata* nostro loco *meam umbram*, *meos manes* interpretandum est. Potestne hoc salva Latinitate fieri?

Prop. I. 2. 31 his tu semper eris *nostrae* gratissima *vitae* verba *nostrae vitae* significant *nobis viventibus*; II. 20. 31 inter Tityi volucres *mea poena* vagetur, *mea poena* = *ego punitus*; III. 19. 15 *patria* succensa *senecta*, *patria s.* = *patre s.* I. 18. 13 quamvis multa tibi *dolor hic meus* aspera debet; *dolor meus* =

Digitized by Google

ego dolens; II. 28. 39 una ratis fati *nostros* portabit *amores*, *nostros amores* = *nos amantes*. Alia exempla minus luculenta praetermitto, sed unum addam, quod utique cum nostro loco conferendum est II. 13. 22 nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno | nec sit in Attalico *mors mea* nixa toro, ubi *mors mea* = *ego mortuus*; eodem modo *mea fata* nostro loco significat *me mortuum*; ex ipsis tamen verbis non apparet utrum de *corpore* an de *umbra* hominis mortui sermo sit; hoc nihil nisi contextus docere potest. Ut unum demus exemplum luculentum, citabo versum Catulli 64. 362:

denique testis erit *morti* quoque reddita praeda,

ad quem locum recte adnotat Friederichius (Catulli Veronensis liber p. 390): „*morti quoque reddita praeda* kann nicht verstanden werden wie *leto, neci, morti, exitio datus* (Landgraf: Arch. 8. 71): denn *morti redditus* kommt in diesem Sinne nicht vor", qui deinde cum Baehrensio *morti „mortuo"* interpretatur, conferre nos iubens 64, 83, ubi *mors* vocabulo „Leiche" redditur. Ego tamen puto apud Catullum 64. 362 vocem „Leiche" minus aptam esse, nam *umbram* Achillis dicit poeta. Et omnino voces ad „mortem" „inferos"que pertinentes non distinguunt *corpus* et *umbram*; *funus* multis locis *corpus mortuum* significat: Varro de re rust. I. 4. 5 (cum) omnes domus repletae essent aegrotis ac *funeribus*; Verg. Aen. IX. 491 et *funus* lacerum tellus habet; Iuvenal. 4. 108 sudans Crispinus amomo, quantum vix duo *funera*; Propert. I 17. 8 haecine parva meum *funus* harena teget; sed Propert. IV. 11. 3 cum semel infernas intrarunt *funera* leges, *funera* = *umbra, manes*, quod iam Passeratius intellexit. Funus enim, ut *fata, mors*, hominem mortuum significat ita, ut et de *umbra* et de *corpore* cogitare possis; cf. Ehwaldium, Ovid. met. IV. 435, cuius verba hic citentur „die Begriffe des Leichnams und der Seele, des Schattenbildes, der Manen eines Verstorbenen gehen häufig ineinander über".

Credo me iam satis firmis argumentis demonstrasse, quomodo in vocibus *mea fata* is sensus, quem contextus postulat, inesse possit.

Possumus tamen talem vocis *fatum* usum lepide illustrare collato loco Pomponii Melae, qui in opere suo, cui nomen de Situ Orbis (Cap. 2), et alia de Thracibus narrat et haec:

Digitized by Google

„Ne feminis quidem segnis est animus. Super mortuorum virorum corpora interfici simulque sepeliri votum eximium habent; et quia plures simul singulis nuptae sunt, cuius id sit decus, apud iudicaturos magno certamine affectant. Moribus datur estque maxime laetum, cum in hoc contenditur, vincere. Maerent aliae vocibus et cum acerbissimis planctibus efferunt. At quibus consolari eas animus est, arma opesque ad rogos deferunt: paratique, ut dictitant, *cum fato iacentis* si detur in manus, vel pacisci vel decernere: ubi nec pugnae nec pecuniae locus sit, manent dominas proci".

Non dubium quid hoc loco verba *cum fato iacentis* sibi velint, *fatum* enim *umbra* significat. Hanc explicationem, quae iam a Vossio proposita est, unice veram esse testis est fabula Euthymi, quae et apud alios et apud Pausaniam invenitur. Libro autem sexto (C. 6. 7) legimus, cum Ulixes Temesam venisset, unum e nautis eius ebrium virginem violavisse, pro qua re ab incolis lapidibus obrutus sit. Quod Ulixes non curans Temesa profectus est. Pergit Pausanias narrare *τοῦ καταλευσθέντος ἀνθρώπου τὸν δαίμονα οὐδένα ἀνιέναι καιρὸν ἀποκτείνοντα τοὺς ἐν Τεμέσῃ*. Oraculo suadente Temesaei, ut manes nautae placarent, templum aedificavere, et quoque anno ei uxorem dabant formosissimam totius urbis puellam. Accidit autem, ut Euthymus pugil forte Temesam veniret. Qui cum audivisset quam acerba paterentur incolae, desiderium eum cepit templum intrandi puellamque videndi; *ὡς δὲ εἶδε*, inquit Pausanias, *τὰ μὲν πρῶτα ἐς οἶκτον, δεύτερα δὲ ἀφίκετο καὶ ἐς ἔρωτα αὐτῆς, καὶ ἡ παῖς τε συνοικήσειν κατώμνυτο αὐτῷ σώσαντι αὐτὴν καὶ ὁ Εὔθυμος ἐνεσκευασμένος ἔμενε τὴν ἔφοδον τοῦ δαίμονος, ἐνίκα τε δὴ τῇ μάχῃ* (VI. 6. 9).

Vides apud Pausaniam quoque hominem *cum umbra humana pugnantem*. Invenimus igitur duos locos, ubi *fatum* vel *fata* significat *umbra*; quaeritur, num plures loci sint, qui perspicui fiant si voci *fata* talem sensum tribuamus.

Quibus in locis indagandis maxima cautione opus esse docet Petri Fonteinii exemplum, qui ingeniosius, quam verius Prop. I. 1. 20:

et labor in magicis *sacra* piare locis

pro *sacra* proposuit *fata*. Exemplum eius secuti sunt duo philologi clarissimi Baehrens et Housman (Journ. of Philol. XVI.

Digitized by Google

p. 31) qui et alio loco Prop. III. 1. 1 pro „Callimachi manes et Coi *sacra* Philetae" Coi *fata* Philetae restituere voluerunt, neque tamen recte, cum utroque loco vocabulum *sacra* suam habeat interpretationem neque verisimile videatur duobus locis longe inter se distantibus forte quadam in eodem vocabulo prorsus eodem modo peccatum esse a librariis.

Cum autem Baehrensius coniecturam suam *fata* (= umbra) veram esse probare conaretur, unum tantum locum similem proferre potuit, Pomponii Melae, ut videre potes ex apparatu eius critico ad Prop. III. 1. 1. Housmanus intelligens Melae locum non sufficere ad tam rarum usum vocis *fata* defendendum duos alios locos citat, quorum alter est Horat. Carm. I. 24. 15:

quid si Threicio blandius Orpheo
auditam moderere arboribus fidem?
num vanae redeat sanguis imagini
quam virga semel horrida,
non lenis precibus *fata* recludere,
nigro compulerit Mercurius gregi?

sed *recludere fata* hoc loco nihil aliud est nisi *portas fatorum* i. e. *Orci recludere*, cf. Verg. Aen. VIII. 244 infernas reseret sedes et *regna recludat* | pallida, Prop. IV. 11. 2 panditur ad nullas ianua nigra preces. Et licet contendat quis *fata* hic *umbras* posse significare, concedendum ei erit talem interpretationem non necessariam esse.

Alter locus est Lucan. Pharsal. VI. 651. Res ita se habet: Sextus Pompeius Magni filius se ad Erichtho contulit sagam quandam, ut ab ea de rebus futuris fieret certior.

Tota illa pars narrationis tam furvis lugubribusque depingitur coloribus, ut legentem admoneat poetae illius Americani Edgar Allan Poe, tamque atrox est scena illa ut iure suo dicat vir doctus Cruttwell in Historia sua litterarum Romanorum: „the blood curdles at the sickening details". Erichtho enim militem quendam mortuum, quem ad eum usum elegit, in vitam revocat:

electum tandem traiecto gutture corpus
ducit, et inserto laqueis feralibus unco
per scopulos miserum trahitur, per saxa cadaver
victurum montisque cavi, quem tristis Erichtho
damnarat sacris, alta sub rupe locatur.

Digitized by Google

haud procul a Ditis caecis depressa cavernis
in praeceps subsedit humus, quam pallida pronis
urguet silva comis et nullo vertice caelum
suspiciens Phoebo non pervia taxus opacat.
maerentes intus tenebrae pallensque sub antris
longa nocte situs nunquam nisi carmine factum
lumen habet. non Taenariis sic faucibus aer
sedit iners, maestum mundi confine latentis
ac nostri quo non metuant admittere manes
Tartarei reges.

Sequuntur post hanc magnificentissimam descriptionem haec (vs. 651):

nam quamvis Thessala vates
vim faciat fatis, dubium est, quod traxerit illuc,
adspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.

Concedendum est verba, quae obliquis litteris imprimenda curavi, subobscura esse: equidem valde dubito, utrum hoc loco, *fatis* = *umbris*, ut cum Ph. L. Haus, qui Lucani epos Germanice reddidit (Mannheim, 1792) vertendum sit „denn obgleich Thessaliens Wahrsagerin die *Todten* zwinget ..." an verba citata, ut vulgo fit, sic explicanda sint „*quamvis* vi artis suae *possit ita fatis vim facere*, ut ab inferis umbras eripiat, adeo vicina est spelunca Stygiis sedibus, ut dubitari possit, utrum vates videat umbras infernas quod evocatas eas illuc traxerit, an quod ipsa descenderit ad eum locum iuxta quem inferi siti sunt" (cf. Lemairii editionem).

Quidquid id est, locus non tam perspicuus est, ut addi possit iis locis, ubi *fata* = *mortui* = *umbrae*. Est tamen in eodem contextu alius versus, qui tum demum perspicuus fit, si *fata* vocis *umbra* loco positum esse mecum sumis. Umbra militis corpus mortuum intratura est:

719 haec ubi fata (sc. Erichtho) caput spumantiaque ora levavit,
720 aspicit astantem proiecti corporis umbram
exanimes artus invisaque claustra timentem
carceris antiqui. *Pavet ire in pectus apertum*
visceraque et ruptas letali volnere fibras.
a miser, extremum cui mortis munus inique
725 eripitur; non posse mori! Miratur Erichtho

Digitized by Google

has fatis licuisse moras, irataque morti
727 verberat immotum vivo serpente cadaver.

Versu 722 legimus umbram corpus introire dubitare quod ei antea domui fuit; versus 726 igitur sic interpretandus est: „miratur Erichtho has moras licuisse *umbrae* (sc. militis)". Haskinsii commentarius tacet, sed Lemairius sententiam recte perspexit, ut docet eius ad hunc locum adnotatio „quod licuerit *animae* tamdiu detrectare imperium suum non extemplo corpus ingressae", neque tamen ullo verbo addit *fata* hic *umbra* vel *anima* significare neque adfert ullum locum παράλληλον. Eodem modo locum interpretatur Haus: „Erichtho erstaunet, dass *Erblichene* so zögern dürften e. q. s." Revertamur nunc paulisper ad Propertii elegiam I. 17 unde tota disputatio orta est, et quaeramus, utrum interpretatio verborum illorum difficillimorum *mea fata reponere* quadret in totius carminis contextum necne.

Constat carmen, quod magna arte compositum est, ex duabus partibus quarum utraque 14 versus habet. In parte priore adversa tempestate in mari iactatus naufragium a se deprecatur poeta Cynthiamque orat, ut saevas querellas in melius convertat ne postea eam suae pigeat crudelitatis, cum ne ossa quidem sua colligere poterit; in parte altera queritur se non domi mansisse, seque stultum vocat, qui „tam parvolam ob rem e patria" abire voluerit.

Versus 13/14 „ah pereat, quicumque rates et vela paravit | primus et invito gurgite fecit iter" aptissime claudunt priorem elegiae partem.

Quicumque autem quam συμμέτρως carmen nostrum compositum sit, observavit, intelligit descriptioni (vs. 19—24) funeris quali in patria mortui efferuntur respondere necesse esse sepulturam, qualis naufragorum in honorem celebratur; et revera mentio fit cenotaphii [1]) versibus 11. 12. Vides ergo quantopere omnia conspirent ad novam quam proposui explicationem vocabulorum *mea fata reponere* defendendam, neque dubito quin via semel monstrata mox alii alios locos inventuri sint, ubi *fata* eam habet vim, quae usque ad hunc diem e Mela solo erat nota.

1) Baehrensii tamen coniectura recepta nimis breviter uno tantum versiculo de tumulo illo inani loquitur poeta.

Digitized by Google

BOBIENSIA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J. F.

Nuper relegens orationes, quae inscribuntur Pro Flacco et Pro Plancio non omisi consulere egregiam recensionem Scholiorum Bobiensium, qua duobus annis ante nos donavit Thomas Stangl [1]). Inde ab anno 1912 demum clarissimi illius viri beneficio habemus fundamentum quam firmissimum atque solidissimum unaque auxilium fidissimum et validissimum, quotiens nos conferre volumus ad studium veterrimi illius interpretis. Critici ad unum omnes affirmaverunt, quicumque librum Stangelianum sequentur ducem, eos nunquam aberraturos esse.

Novimus in codice rescripto, qui Scholia Bobiensia continet, terminos rhetoricos Graecos et alia vocabula Graeca olim exarata fuisse minio, quae veneno a Maio adhibito evanuerunt. Itaque ut restituamus voces desideratas, imprimis magni refert scire quantum spatii occupent lacunae quotque litterae cubent in spatio vacuo. Quae diligentissime nos Stangl nusquam non docet. Rerum ab editore indicatarum, quae quam magni momenti sint nemo testis oculatus non ignorat, ratione habita hic conatus sum in nonnullis scholiis recuperare voces Graecas evanidas factas. Descripsi et lemmatum et scholiorum verba, in quantum necessaria sunt ad intellegendum parcens chartae huius diarii pretiosissimae.

---

1) Ciceronis Orationum Scholiastae recensuit Thomas Stangl. Volumen II Commentarios continens Vindobonae in aedibus F. Tempsky.

Digitized by Google

Pro Flacc. § 17 (Stangl. pag. 99, 6) *Caesus est virgis Cynaeus ille Athenagoras qui in fame frumentum exportare erat ausus.*

Graviter et congeste ⟨πιθανὴν⟩ causam ostendit quare potuerit Athenagoras ad mentiendum provocari: propter indignationem verberum, quibus fuerat castigatus, et iustitiam Flacci praetoris, qui propter huiusmodi audaciam existimaverit puniendum.

ib. § 17 (Stangl. pag. 99, 18) *Quod se velle dixit, id sutores et zonarii conclamarunt. Hoc testimonium est civitatis?*

.... in clausula pronnuntiandum est .... quid sit testimonium. Ad quod destruendum ⟨παροιμίαν⟩ ab oratore praemissa est, dicendo *sutores et zonarios* [1]), ut volgaribus et sordidis artificiis appareat humilitas personarum nec ullum genium publicae maiestatis obtineat.

ibid. § 106 (Stangl. pag. 108, 10) *Huic, huic misero puero.* ⟨Ἠθικὸν ἐπίλογον⟩ intulit, secutus videlicet suam consuetudinem et artis oratoriae disciplinam, ut lacrimosis adfectibus prope sententiam iudices impleantur.

Eodem fere modo Aristoteles (Pol. 8, 7) usurpat ἁρμονίαι ἠθικαί: numeri, qui animum movent; cf. quae supplevi infra ad pag. 169, 8.

Pro Planc. § 22 (Stangl. pag. 154, 17) *Non fucosa.*

Verbum et hoc notabile inter alia quae sunt aput veteres rariora referendum est. ⟨Ἐπιτίμησις⟩ adversus Tusculanos, ne hanc laudem nude inpertiri Atinatibus arbitreris: quos ita extollit, ut illorum malevolentiam deprimat.

ib. § 24 (Stangl. pag. 155, 20) *Aliquid praeterea — timide dicam, sed tamen dicendum est: aliquid* [2]) *adtulimus etiam nos.*

⟨Κατὰ λιτότητα⟩ necessario temperavit gratiam suam non mediocriter Plancio profuisse, quando vir consularis testimonium beneficiorum in se conlatorum perhibens candidato multum potuerat promovere. Hoc vero ne esset insolens superbum, praemisit adlegationem verecundae timiditatis.

---

1) Cf. quod belgice dicitur: Jan Rap en zijn maat.

2) Pulchre repetitur! At editiones nostrae illam geminationem non agnoscunt.

Digitized by Google

Ibid. § 27 (Stangl. p. 156, 30) *Hic est enim qui adulescentulus cum Aulo Torquato profectus in Africam sic ab illo gravissimo viro dilectus est.*

Anteactae vitae officia recensentur quadam subiecta ⟨βιογραφίαι⟩, numerante oratore quibus locis quibusque temporibus et cuiusmodi virorum iudicio Cn. Planci mores comprobati sint.

ibid. § 35 (Stangl. pag. 159, 11) *Ego quia dico aliquid aliquando non studio adductus, sed aut contentione dicendi aut lacessitus, et quia, ut fit in multis, exit aliquando aliquid si non perfacetum, at tamen fortasse non rusticum: quod quisque dixit, me id dixisse dicunt.*

⟨Γενικῶς⟩ et oratorie totum hoc explicat: invidiosius quasi de nimia libertate Cn. Plancii senioris quosdam loqui quam veritas ipsa patiatur e. q. s. Hoc ergo ait: quoniam soleo quaedam non ingrata festivitate secundum sales urbanitatis dicere, idcirco plerique huiusmodi omne quod dicitur, etiam si ab alio dictum sit, in me conferunt.

Graeci illius adverbii exemplum legi in Ciceronis epistulis ad Atticum commemorandum hic est: I 14, 2 Locutus ita est (sc. Pompeius) in senatu, ut omnia illius ordinis consulta γενικῶς laudaret, mihique, ut adsedit, dixit se putare satis ab se etiam „de istis rebus" esse responsum.

Hic exscribo ultima verba § 53 (pro Planc.), quae desiderantur in lemmate: *Neque enim unquam maiores nostri sortitionem constituissent aediliciam, nisi viderent accidere posse, ut competitores pares suffragiis essent.*

Ad ea verba manifesto pertinet altera pars scholii, quod legitur: (Stangl. pag. 162, 10) Et magis ⟨κατὰ τὰ πάτρια⟩ id confirmat paratum, ut aediles sortirentur, quoniam discerni huiusmodi magistratus nisi sorte non possent.

ibid. § 56 (Stangl. pag. 162, 20) *Quibuscum me, iudices, pugnantem more meo pristino non videbitis; non quo mihi fas sit quicquam defugere, quod salus Plancii postulet.*

Figmento quodam verecundiae declinat eam partem quae difficultatis aliquid habere videatur adversus quorundam testimonia

Digitized by Google

contendi, et non sine ⟨ἐπιμαρτυρήσει⟩, qua se omnem Plancio sollicitudinem debere testatur.

ibid. § 58 (Stangl. pag. 162, 28) *In quo, Cassi, si tibi ita respondeam, nescisse id populum R. neque fuisse qui id nobis narraret, praesertim mortuo Congo.*

Iuventiae familiae, ex qua Laterensis contextum generis trahebat, probaturus veterem nobilitatem Cassius praeiactaverat hunc aedilem primo ante alios loco fieri debuisse. ⟨Ἐκτοροπῆι⟩ igitur in eundem Cassium facta M. Tullius negat populum, id est vulgus inperitorum, iudicare penitus de familiae clarioris nobilitate potuisse, ut nonnisi peritiores vetusatis et qui antiquitatem per historias legerint haec scire facillime possint.

ibid. § 75 (Stangl. pag. 165, 10) *Nam istius verbi „quo usque" poterat haec esse invidia: „datus est tibi ille; non facis finem?"*

⟨Μετρίως⟩ abunde, quo minus inpudens videretur haec compensativa defensio, dicente Laterense: „quousque vis servatos esse quos diligis? Et pro Cispio causam dicente sic rogasti et precibus tuis ambitum paene movisti!" opposuit acutissimam responsionem: merito haec ab eo dici potuisse si pro Cispio impetrasset; porro autem, cum pro Cispio non optinuerit, vel pro hoc obtinere debere, qui et innocens sit et de salutis suae conservatione bene meritus. Animadverte quo modestiae temperamento [1]) haec exsequatur, ut nihil inpudentiae, multum religionis habeat oratio.

ibid. § 78 (Stangl. pag. 166, 8) *Quo quidem etiam magis sum non dicam miser — nam hoc quidem abhorret a virtute verbum — sed certe exercitus.*

⟨Ὀρθῶς⟩ hanc sententiam secundum illos filosophos intulit qui existimaverunt semper beatos esse sapientes, numquam miseros existimandos ac, si quid adversi prudentibus eveniret, non poenam magis et calamitatem quam exercitationem esse fortunae.

---

1) Praesertim haec duo vocabula: *modestiae temperamento* favent supplemento meo μετρίως.

Digitized by Google

ibid. § 99 (Stangl. pag. 168, 27) *Thessalonicam me in quaestoriumque perduxit.*

Hospitium quaestoris significans proprie secundum vocabulum magistratus etiam loco ipsi nomen dedit. Nunc autem ⟨κατα-λύματα⟩ omnia in quibus variae dignitatis praesides habitent praetoria nominantur.

ibid. § 102 (Stangl. pag. 169, 8) *Mecum vos simul hic miserrimus et optimus obtestatur parens, et pro uno filio duo patres deprecamur.*

⟨Ἠθικῶς⟩ valde. Copulatis utrimque personis et in patre sine dubio plurimum constituit miserationis et sibi eandem vim sollicitudinis vindicavit, quasi uterque Cn. Plancio pater sit, alter natura, alter officio gratiosus.

De simili supplemento supra egi ad § 106 orat. Pro Flacco (Stangl. pag. 108, 10).

AD VALER MAXIM. VII 2 EXT. 7 (KEMPF. PAG. 329, 17).

Aristophanis quoque altioris est prudentiae praeceptum, qui in comoedia introduxit remissum ab inferis † Atheniensium Periclen vaticinantem non oportere in urbe nutriri leonem, sin autem sit altus, obsequi ei convenire.

P. H. Damsté, qui tam ingeniose locum Valerianum, quem legimus edit. Kempf. pag. 400, 10 [1]), ut alios non ita paucos sanavit, docte disputat [2]) de errore Valerii Maximi Aristophanis nomen ponentis pro Eupolide. Quod tamen idem philologus *Atheniensium* transposuit post *urbe*, id paulo vehementius videtur fecisse. Leniore certe medicina puto me genuinam lectionem restituere posse. Scripturam enim *Atheniensiū* ex *Atheniensib.* quam facile nasci potuerit, quis non intellegat? Recte autem omnia se habent, si dativum cum *vaticinantem* coniungimus et revocamus: qui in comoedia introduxit remissum ab inferis *Atheniensibus* Periclen vaticinantem e. q. s.

C. Brakman J. f.

1) Mnemos. XLII (1914) pag. 267. 2) l.l. pag. 258 sq.

Digitized by Google

CICERONIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J. F.

Ineunte mense Maio a. 705 Cicero cupiens Italiam a Caesarianis occupatam relinquere cum Attico communicavit cum alia verba e litteris, quas ab Antonio acceperat, tum haec

X 10, 2 Sed ego is non sum, qui statuere debeam, iure quis proficiscatur necne; partes mihi Caesar has imposuit, ne quem omnino discedere ex Italia paterer. Quare parvi refert me probare cogitationem tuam, si nihil tamen tibi remittere possum. Ad Caesarem mittas censeo et ab eo hoc petas [1]).

Iis ipse Cicero subiungit:

§ 3 Habes σκυτάλην Λακωνικήν. Omnino excipiam hominem. Erat autem V Nonas venturus vesperi, id est hodie. Cras igitur ad me fortasse veniet. Temptabo, ut ei persuadeam me nihil properare; missurum ad Caesarem. Clam agam, cum paucissimis alicubi occultabor, *carti* hinc istis invitissimis evolabo, atque utinam ad Curionem!

Vehementer miror pro *carti* nondum propositum esse *cursim*, quod vocabulum a tradita scriptura vix differt optimeque in hunc locum quadrat. Cum saepe in epistulis Cicero vulgari sermone utatur, apte conferre possumus Plaut. Pseud. 358.

Numquam ad praetorem aeque *cursim curram*, ut emittar manu et Afran. 294 (Ribb.) age *curre cursim* ad Numisium | Occulto.

Idem adverbium legitur praeterea ad Attic. XVI 1, 2 Sed

1) Secutus sum editionem Teubnerianam, quam curavit C. F. W. Müller.

Digitized by Google

quid est, quaeso, quod agripetas Buthroti concisos audio? Quid autem Plancus tam *cursim* (ita enim inaudiebam) diem et noctem? Mente supplendum est: iter facit.

Cicero IX Kal. Iun. a. 710 ad Atticum de Antonio novis rebus studente scribit haec

XV 4, 1 Sed mihi totum eius consilium ad bellum spectare videtur, si quidem D. Bruto provincia eripitur. Quoquo modo ego de illius nervis existimo, non videtur fieri posse sine bello. Sed non cupio, quoniam cavetur Buthrotiis. Rides? *aps* condoleo non mea potius adsiduitate, diligentia, gratia perfici.

De ironia, quae inest in verbis *quoniam cavetur Buthrotiis*, satis perspicue interpretes disputaverunt, equidem ultimam sententiam in integrum mihi videor restituere posse. Post illud *Rides* nihil aliud expectaveris quam id, quod *serio* Buthrotiis prospicere Cicero cuperet. Quocirca revocandum erit: *Reapse* condoleo non mea potius adsiduitate, diligentia, gratia perfici. Componamus ad fam. IX 15, 1 Ex prioribus tuis litteris intellexi pergratam tibi esse curam meam valetudinis tuae, quam tibi perspectam esse gaudeo; sed, mihi crede, non perinde, ut est *reapse*, ex literis perspicere potuisti.

Transeamus ad locum turbatum eundemque notissimum orationis Caelianae:

§ 5 Nam quod est obiectum, municipibus esse adulescentem non probatum suis, nemini umquam praesenti [*praetoriani*] maiores honores habuerunt quam absenti M. Caelio; quem et absentem in amplissimum ordinem cooptarunt et ea non petenti detulerunt, quae multis petentibus denegarunt e. q. s.

Ita edidit v. Wageningen. Enumerare quae coniecerunt viri docti pro depravato *praetoriani* plane supervacuum est. Utilius duco conari, quomodo vitium sit ortum explicare. Equidem nihil melius excogitare potui quam sumere primariam lectionem fuisse *Reatini*. Verisimile est autem litteram *p*, vel potius syllabam *prae* (= $\bar{p}$), proxime praecedentis vocis *praesenti* repetitam esse ante *Reatini*, deinde vero ex $\bar{p}$*reatini* (i. e. *praereatini*) sine ullo negotio illud *praetoriani* natum. Puto igitur M. Caelium Rufum civem fuisse M. Terentii Varronis Reateque eius patriam

Digitized by Google

habendam esse eo magis quod Cicero Reatinorum fuit patronus, ut apparet ex orat. Pro Scauro § 27 Ego nuper, cum Reatini, qui essent in fide mea, me suam publicam causam de Velini fluminibus et cuniculis apud hos consules agere voluissent, non existimavi me neque dignitati praefecturae gravissimae neque fidei meae satis esse facturum, nisi me causam illam non solum homines, sed etiam locus ipse lacusque docuisset.

In Philippicis Cicero plus quam semel contendit Antonium, ut grandem pecuniam congereret, acta Caesaris vendidisse. De tali loco, qui mea quidem sententia nondum sanatus est, hic pauca mihi dicenda sunt. Est autem

Philipp. V § 12 Huius turpitudinis testes erant etiam exterae nationes. Foedera interea facta, regna data, populi provinciaeque liberatae, ipsarumque rerum falsae tabulae gemente populo Romano toto Capitolio figebantur. Quibus rebus tanta pecunia una in domo coacervata est, ut, si hoc genus pecuniae *in unum* redigatur, non sit pecunia reipublicae defutura.

Pro *in unum* nuper Sternkopf edidit: *in usum populi Romani*, quod probari vix potest. Fortasse librarius post *pecuniae* dedit *in unum*, ubi debebat exarare *in commune*. Meminimus apud Graecos quoque scriptores τὸ κοινὸν saepius significare rempublicam [1]).

Cicero senatores adhortans ut M. Bruto, qui iniussu populi magnis copiis comparatis Graeciam tuebatur, invitis veteranis imperium proconsulare deferrent, patres alloquitur verbis hisce

Philipp. X § 19 Postremo (erumpat enim aliquando vera et me digna vox!), si veteranorum nutu mentes huius ordinis gubernantur omniaque ad eorum voluntatem nostra dicta, facta referuntur, optanda mors est, quae civibus Romanis semper fuit servitute potior. Omnis est misera servitus, sed fuerit quaedam necessaria: etiamne haec necessaria est? Quodnam principium *putatis* libertatis capessendae? An, cum illum necessarium et fatalem paene casum non tulerimus, hunc feremus voluntarium?

---

1) Ceterum conferendae sunt locutiones *in commune laborare* (Quintil. I. O. V 11, 24); *in publicum redigi* (Gell. I 12, 18) cet.

Digitized by Google

Mommsen voci *putatis* substituit *spectatis*, at Stangl scripsit: Quodnam ⟨*fore*⟩ principium putatis e. q. s. Si quid mutandum censerem, facilius corrigerem *optatis*, sed virorum doctorum dubitationes de verbo *putatis* mihi non videntur esse legitimae. *Putatis* enim accipiendum est pro *vultis* vel *instituitis* vel *paratis*: documento est locus Quintilianeus, ubi sermo est de erroribus praeceptorum I. O. II 3, 4 alter ille etiam frequentior, quod eos, qui ampliorem dicendi facultatem sint consecuti, non *putant* ad minora descendere, idque interim fieri, quia fastidiant praestare hanc inferioribus curam, interim, quia omnino non possint.

Hic observandum est in posteriore Latinitate saepissime *putandi* verbum eiusmodi vim induere, velut Amm. Marcell. XIV 11, 34 quae omnia si scire quisquam velit quam varia sint et adsidua, harenarum numerum idem iam desipiens et montium pondera scrutari *putabit*; Boeth. de Cons. Phil. III 4, 11 tu quoque num tandem tot periculis adduci potuisti, ut cum Decorato gerere magistratum *putares*, cum in eo mentem nequissimi scurrae respiceres? cet. [1]).

1) Cf. Löfstedt Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität, pag. 59 sqq.

AD TAC. HIST. IV, 65.

Vir doctissimus POUTSMA in huius Bibliothecae vol. XLI pp. 397—425 docte sane et diligenter de repetitionibus apud antiquos disputans in excutiendis scriptoribus Latinis non pervenit ad Tacitum. Quem si eodem consilio pervolvisset, exemplum ibi invenisset haud scio an ceteris omnibus insignius utiliusque.

Tencteri Agrippinensibus praestantissima quaeque promittunt, si moenia sua a Romanis aedificata diruerint ipsosque Romanos in sua colonia dominantes trucidaverint: tum Agrippinenses consultandi sumunt spatium

„quando neque subire *condiciones* metus futuri neque palam aspenari *condicio* praesens sinebat."

Quae quamvis audax sit repetitio, neque nobis est molesta neque fuit Tacito, quoniam *tam diverso sensu* bis vox *condicio* ponitur. Luculento ergo exemplo hinc quoque discimus de iisdem rebus semper et esse et fuisse idem hominum literatorum iudicium.

J. J. H.

Digitized by Google

AD SENECAE DIALOGUM DECIMUM.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J. F.

Dialogus qui inscribitur *Ad Paulinum De Brevitate Vitae* iure meritoque a permultis praeceptoribus cum externis tum nostratibus dignus habetur, quem gymnasiorum alumni legant. Oportet autem prius verba aliquot locorum nondum sanatorum in integrum restitui. E sex locis, de quibus hic disputaturus sum, quinque pro viribus emendare conabor initium faciens a

X 2, 4 de istis me putas dicere, quorum in confesso mala sunt? aspice illos, ad quorum felicitatem concurritur: bonis suis offocantur. quam multis divitiae graves sunt! quam multorum eloquentia et cotidiana ostentandi ingenii *spatio* sanguinem educit!

Spatio sine dubio corruptum est. Gertzii correctio *occupatio* multo ceteris praestans coniecturis quamquam in sententiam quadrat, a ratione palaeographiae parum probabilis est. Facilius is mihi videtur scribae errorem explicare, qui opinatur ex

ingenii usurpatio (= *uŝpatio*)
ingenii spatio

natum esse. Cum locutione *ostentandi ingenii usurpatio* conferenda sunt haec verba Ciceronis (Brut. § 250) maxumeque laudandus est (sc. M. Claudius Marcellus), qui hoc tempore ipso, quod liceat in hoc communi nostro et quasi fatali malo, consoletur se cum conscientia optumae mentis tum etiam *usurpatione et renovatione doctrinae.*

X 9, 1 Potestne quicquam † *sensus* hominum eorum dico qui prudentiam iactant? operosius occupati sunt, ut melius possint vivere, inpendio vitae vitam instruunt!

Initio sententiae librarium erravisse plerique viri docti consenserunt, certatim igitur lacunam, quam statuerunt post *quicquam*, explere studuerunt, sed eorum supplementa non satis

Digitized by Google

placent. Nonne ipsum verbum *iactant* paene clamat requiri notionem *vani*? Rescribe ergo mecum: Potestne quicquam ⟨*vanius esse*⟩ *sensu* hominum e. q. s. Si posueris: *quicquā uanī esse sēs'*, originem mendi perspicies.

Peccaverunt sescenties veteres librarii, peccant et editores recentes, cuius rei unus alterve locus dialogi, quem tractamus, exemplum praebet, imprimis:

X 9, 5 quemadmodum aut sermo aut lectio aut aliqua intentior cogitatio iter facientis decipit et pervenisse ante *sciunt* quam adpropinquasse: sic hoc iter vitae adsiduum et citatissimum, quod vigilantes dormientesque eodem gradu facimus, occupatis non apparet nisi in fine.

Sciunt praeeunte Kochio Gertzius et Hermes mutaverunt in *sentiunt*, sed obliti sunt nonnunquam *scire* legi sensu *sentiendi*, *animadvertendi*, *experiendi*, velut Sen. Phaedr. 230

exosus omne feminae nomen fugit,
immitis annos caelibi vitae dicat,
conubia vitat: genus Amazonium *scias*,

et Apul. Metam. V 1 iam *scies* ab introitu primo dei cuiuspiam luculentum et amoenum videre te diversorium. Haec exempla hausi ex Heinsii Animadvers. III 3 (pag. 417), ubi etiam plura allata sunt. Ipse commemoro Plaut. Capt. 484

Nemo ridet. *scivi* extemplo rem de compecto geri [1])

et Arnob. I 17 quod levitatis in homine, quod terreno in animante culpabile est, praestans illa natura et in perpetuae virtutis firmitate consistens *scire* adseveratur a vobis. Hic luce clarius est *scire* significare *sentire*, at Ursinus et Stewechius traditae lectioni eidemque verissimae substituerunt *sentire*.

X 17, 6 ibit in Poenos nondum tantae maturus rei Scipio; victor Hannibalis, victor Antiochi, sui consulatus decus, fraterni sponsor, ni per ipsum mora esset, cum Iove reponeretur: ... civiles servatorem agitabunt seditiones et post fastiditos a iuvene diis aequos honores iam senem contumacis exili delectabit ambitio.

Cum ante *civiles* tres fere litterae erasae sint, inserendum esse censeo *patriae*, quod commendat VI (ad Marc.) 17, 6 esse aliquis

1) Brixius confert praeterea Most. I 2, 71 et Poen. III 4, 14.

Digitized by Google

ex illis (sc. filiis) tam *servator patriae* [1]) quam proditor poterit. Gertzius addidit *civium*.

X 19, 2 *vis tu* relicto solo mente ad ista respicere! nunc, dum calet sanguis, *vigentibus* ad meliora eundum est. *expectat te* in hoc genere vitae multum bonarum artium, amor virtutium atque usus, cupiditatium oblivio, vivendi ac moriendi scientia, alta rerum quies.

Illud *vis tu* quod praecedit, non minus quam *expectat te*, quod sequitur, declarat evidenter Senecam non in universum loqui, sed respicere praecipue Paulinum, id quod elucet etiam ex huius capitis initio: Recipe te ad haec tranquilliora, tutiora, maiora! *Vigentibus* ergo supra non est accipiendum pro: *vigentibus hominibus*, sed revocandum *vigentibus* ⟨*viribus*⟩, cum hic quoque Paulinus designetur.

Luculentissime agit philosophus de iis hominibus, qui mala ambitione commoti et indigna cupientes speciem modo beatitudinis affectant, quin etiam strenue laborantes oleum et operam perdunt; scribit autem

X 20, 1 Cum videris itaque praetextam saepe iam sumptam, cum celebre in foro nomen, ne invideris: ista vitae damno parantur. ut unus ab illis numeretur annus, omnis annos suos conterent. quosdam antequam in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantis aetas reliquit; quosdam cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subit cogitatio laborasse ipsos in titulum sepulcri; quorundam ultima senectus, dum in novas spes ut iuventa disponitur, inter conatus magnos et inprobos invalida defecit. § 2 foedus ille, quem in iudicio pro ignotissimis *litigatoribus grandem* natu et inperitae coronae assensiones captantem spiritus liquit.

Adnotat Hermes ad § 2 „post *grandem natu* aut *declamantem* sim. addendum aut *et* tollendum censet Gertz". Equidem ediderim: foedus ille, quem in iudicio pro ignotissimis litigatoribus ⟨*orantem*⟩ grandem natu e. q. s. [2]). Dico: *orantem causam*.

1) Cf. Liv. VI 17, 5 selibrisne farris gratiam *servatori patriae* (= Manlio Capitolino) relatam?

2) In adnotatione tantum dico legi in Teubneriana X 15, 3 solemus dicere non fuisse in nostra potestate, quos sortiremur parentes, forte *hominibus* datos: nobis vero ad nostrum arbitrium nasci licet.

Quis est qui non improbet *hominibus*, receptum pro sana codicum scriptura *nobis*?

Digitized by Google

DE SENECAE AGAMEMNONE.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J. F.

Qui contulerit Senecae Agamemnonem cum Aeschyli fabula, cui idem titulus est, facile certe concedet hanc originem quidem et fontem esse illius, sed tamen alteram ab altera non paulum differre. Potestne fieri ut indagemus cur poeta Romanus ab exemplari Graeco recesserit? Ob tres praesertim causas Seneca videtur suam rationem consiliumque iniisse, nam primum *εὐριπιδίζει*, deinde rem tractat tanquam philosophus, qui sectam sequitur Stoicorum, post rhetoricum genus dicendi vel potius describendi imitatur. Videamus singula.

Nemo ignorat Senecam Thyestis umbram, ut prologum dicat, inductam ex Euripidis Hecuba desumpsise, cuius ineuntes versus duo a Polydori idolo pronuntiati

ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
λιπὼν, ἵν' Ἅιδης χωρὶς ᾧκισται θεῶν

latine versi sunt sic

opaca linquens Ditis inferni loca
adsum profundo Tartari emissus specu [1]).

Iam vero in soliloquio Clytaemnestra, ut se cohortetur ad facinus impium, ad illarum feminarum flagitia, quarum indolem

---

1) Hos versus Hooftius poeta nostras nobilissimus expressit ad hunc modum (Geeraerdt van Velzen):

Hier opghedondert uyt het voorburch van de Helle
Ben ick scheursiecke Twist.

Cf. De invloed van Seneca's treurspelen op ons tooneel door Dr. J. A. Worp, p. 105.

Digitized by Google

minimus natu magnorum tragicorum Graecorum egregie depinxit, alludit hisce verbis:

115 per scelera semper sceleribus tutum est iter.
tecum ipsa nunc evolve femineos dolos,
quod ulla coniunx perfida atque impos sui
amore caeco, quod novercales manus
ausae, quod ardens impia virgo face,
120 Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe:
ferrum venena; vel Mycenaeas domos
coniuncta socio profuge furtiva rate —

Horum igitur versuum auctor minime respicit Clytaemnestram ab Aeschylo fictam, sed Phaedram et Medeam et Helenam, personas quam maxime Euripideas. Praeterea vix est dubium quin Seneca omnino partes nutricis, quae apud Aeschylum in scaenam non prodit [1]), ex Euripidis dramatis in sua transtulerit. Quod attinet ad fabulam Agamemnonem, sine ullo negotio deprehendere possis similitudinem quandam inter Phaedrae τρόφον, quae in Euripidis Hippolyto praeclare depingitur, et Clytaemnestrae nutricem.

Denique Senecae pangenti

567 hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor et clarum manu
lumen nefanda vertice e summo efferens
in saxa ducit perfida classem face

obversatum esse credo locum Euripideum nempe Helen.

1126 πολλοὺς δὲ πυρσεύσας φλογερὸν σέλας ἀμφιρύταν
Εὔβοιαν εἷλ' Ἀχαιῶν
μονόκωπος ἀνὴρ, πέτραις
Καφηρίσιν ἐμβαλὼν
Αἰγαίαις τ' ἐνάλοις δόλιον
ἀκταῖς ἀστέρα λάμψας.

Nunc explanandum est, quemadmodum ratio Stoica tragico Romano persuaserit, ut nonnulla de suo adderet ad ea, quae tradit Aeschylus. Arbitrantur autem Stoici natura comparatum esse hominum facta inde a tempore aeterno legibus immutabi-

1) Τροφὸς illa, quae in Choephoris inducitur, a fida nuntia non discrepat: cum Clytaemnestrae utique nutrice nihil commune habet.

Digitized by Google

libus esse constituta. Hanc ob rem docet Thyestis umbra in prologo patrem a Fortuna iussum esse filiae concubitus petere, ut Aegisthus nasceretur, qui vindex dapum Thyestearum Atrei filio mortem strueret. Ex iis versibus, qui huc pertinent, afferantur saltem:

47 iam scelera prope sunt, iam dolus caedes cruor —
parantur epulae. *causa natalis tui,*
Aegisthe, venit.

Praeter Thyestis umbram philosophatur secundum disciplinam Stoicorum chorus Iliadum, quarum primum canticum sic incipit:

589 Heu quam dulce malum mortalibus additum
vitae dirus amor, cum pateat malis
effugium et miseros libera mors vocet
portus aeterna placidus quiete.

Mox idem fere ab eisdem iteratur:

605 perrumpet omne servitium
contemptor levium deorum,
qui vultus Acherontis atri,
qui Styga tristem non tristis videt
audetque vitae ponere finem.
par ille regi, par superis erit.

Ultimum autem carmen (808—866) earundem mulierum, quae tot tantasque aerumnas perpessae sunt, totum est de Herculis laboribus, quos hic celebrare Senecam non intellegeremus, nisi meminissemus Herculem a Stoicis haberi specimen virtutis constantiaeque.

Verum multo magis quam illis philosophiae praeceptis movemur tragoediae colore rhetorico, quem efficiunt crebrae figurae et tropi, acute dicta vel sententiae quae vocantur, descriptiones tumidae nimisque artificiosae. E magno numero figurarum laudamus tantummodo hoc exemplum

211 non sola Danais Hector et *bello mora*,

quam locutionem constat Senecam mutuatum esse a Latrone rhetore [1]).

Sententiae autem, quas omnes rhetores in deliciis habent, in-

1) Cf. Suasor. II 19 si nihil aliud, erimus certe *belli mora*; Norden Ant. Kunstpr. II pag. 393 annot. 2; Senec. Tragoed. rec. Leo I pag. 154.

Digitized by Google

veniuntur permultae in priore parte fabulae Agamemnonis atque adeo interdum duae uno versu continentur, e. g.

259 nec regna socium ferre nec taedae sciunt,

sed in altera parte leguntur pauciores.

Dramatis, de quo agimus, pars longe praecipua est naufragii descriptio plus quam centum versus occupans, cum eidem rei Aeschylus triginta modo versus impendat. Sed novimus declamatores semper maximo cum studio et ardore naufragia depinxisse. In hac materia Seneca quoque facultatem describendi prae se fert atque in tres partes totam rem dividit, ita ut primum enarret naufragium in medio mari factum, deinde exponat quomodo Aiax fulmine ictus in rupem praecipitetur, quae mox a Poseidone fluctibus submergatur, post doceat naves fractas esse saxis Capherei. Haec omnia narrantur ab Eurybata, Agamemnonis praecone, atque nonnullos dumtaxat versus artificem prodere non imperitum confitendum est, velut

511 eademque superos Troes et Danai rogant;
521 cladibus nostris daret
vel Troia lacrimas;
542 et caeco mari
conlucet Aiax.

Rursus parum apta et digna sunt verba Aiacis fulmine afflati atque in rupe stantis neque iniuria putes poetam cacozelia peccavisse ponentem:

545 superasse iuvit pelagus atque ignes — iuvat
vicisse caelum Palladem fulmen mare;
550 tene horream [1])?
aliena inerti tela mittis dextera;
555 quem (sc. montem) cadens secum tulit
terraque et igne victus et pelago iacet.

Tota Eurybatae expositio, quamvis vehementer Senecae admirati sint aequales, misere fabulae concinnitatem interpellat. At rhetores praepostera ducti ratione consensum plausumque auditorum captantes quaerebant rara aut non simplicia repetebantque. His vitiis non ita „dulcibus" Seneca quoque indulgebat et „abundabat". Itaque ei non sufficit Cassandram semel conci-

1) Athenam alloquitur Aiax.

Digitized by Google

tari divino instinctu, etenim priusquam Agamemnon advenit, vates dei plena regis mortem suamque choro Iliadum praedicit, quod iteratur, ubi primum intus epulae coeptae sunt haberi.

Ceterum restant aliae non parvae res, quibus fabula Latina ab Aeschyli dramate distat. Illius enim exitus plane diversus est a quinto actu Graecae tragoediae, nam illic Orestes servatur ab Electra et Strophius, cum hae tres personae in Agamemnone Graeca omnino non prodeant in scaenam. Hic Clytaemnestra intervenit inter Aegisthum et chorum litigantes; talis exitus non convenisset tragoediae Annaeanae. Etenim apud Aeschylum in Choephoris et Eumenidibus secundum ius fasque omnia facta absolvuntur, ergo apud Senecam quoque vindex futurus ostendatur saltem necesse est. Accedit quod apud hunc Cassandra in extremo actu quinto occiditur, nimirum ut vates poenam ultimum minitetur reginae eiusque sociis dicens:

1012 Veniet et vobis furor.

At ipsius Agamemnonis partes in Senecae fabula nimis mediocres immo maxime exiguae sunt! Victor enim Asiae, simulatque advenit pollicetur se sacra facturum esse atque paucissima cum Cassandra collocutus domum intrat. Versus igitur vix viginti pronuntiat, quocirca Electra et Strophius personae graviores sunt in tragoedia Latina quam rex ille regum. Contra quam grandis atque magnifica est scaena illa Aeschylea, ubi verae personae regiae et primariae Agamemnon et Clytaemnestra agunt, quin etiam Clytaemnestra partes agit prope maiores quam pro viribus humanis! Qui hanc scaenam perlegerit, is demum intelleget, quanto Graecum drama praestet Latino. Procul dubio Seneca, quo tempore scripsit Agamemnonem, nondum multum profecerat in arte scaenica [1]); vel haec res probat nobis hanc fabulam numerandam esse in iis, quas composuit primas. Quo ducimur alia quoque via. Nam choro, qui constat e mulieribus Argivis, in actu tertio succedit — res mira admodum! — chorus Iliadum captivarum, velutsi alia tragoedia inciperet. Fortasse vero poeta hunc alterum chorum e Choephoris desumpsit.

---

1) Equidem improbaverim ea, quae de hac re Birtius contendit: poetam haec de industria fecisse! (Neue Jahrb. XIV (1911) Was hat Seneca mit seinen Tragödien gewollt? pag. 358).

Digitized by Google

At quidquid statuendum est, in nulla tragoedia Graeca aliquid eiusmodi fit. Nonne hoc quoque nos monet, ut sumamus Agamemnonem aut primam esse scriptam aut certe ante plerasque alias fabulas? His observationibus statim subiungo ea, quae Leo concludit, postquam demonstravit Senecam in re metrica in Agamemnone et Oedipode multa minus recte administrasse (l.l. I pag. 133): ita autem sentio, Agamemnonem inter Senecae tragoedias eam esse quam primam scripsit, Oedipum secundam.

Investigemus num accuratius invenire possimus, quando Agamemnon scripta sit. Constare videtur Senecam hanc fabulam, quae est de rege ab uxore occiso, composuisse non post Claudium veneno interfectum ab Agrippina coniuge i. e. a. 54. Nam cum totam fabulam unusquisque existimavisset editam esse in eam tum imprimis hos versus

79 iura pudorque
et coniugii sacrata fides
fugiunt aulas.

Insuper nos cogit

259 nec regna socium ferre nec taedae sciunt

putare hanc sententiam esse scriptam multo antequam Nero animum induxisset Britannicum de medio tollere i. e. a. 55.

Quamquam Senecae tragoediae nequaquam possunt comparari cum Aeschyli Sophoclis Euripidis operibus, tamen non mediocris erat in eo facultas, copia, celeritas ingenii, acies et subtilitas in rebus observandis, quae omnia diu exercendo semper augebat. Quare verisimile non est iuvenem primum studiis rhetoricis deditum, deinde philosophiae, vacasse arti tragicae, quae requirit etiam auctorem sagacissimum in perspiciendis hominum animis. Neque facile per novem exilii annos (41—49) in Corsica degens Seneca pepigit drama aliquod, cum neminem haberet, cui recitaret temporaque parum laeta essent. Tandem revocatus ut liberaliter Neronem institueret doctrina, iam vir quinquagenarius et permulta expertus fabulis scribendis operam dedit.

His rationibus perpensis Agamemnonem confectam esse inter a. 50. et 54. aio.

Estne re vera haec fabula acta? Etsi pro certo nihil affirmari

Digitized by Google

potest, tamen probabile non est aut Agamemnonem aut aliam tragoediam Annaeanam esse actam. Cum de ceteris carminibus egerint Teuffel-Kroll, Birt, Schanz, ego paucis de Agamemnone dicam quod sentio. Si sumimus hanc fabulam Senecam scripsisse eo consilio, ut recitaretur tantum in auditorio, sive ut esset δρᾶμα ἀναγνωστικόν [1]), non ut in pulpito ageretur, fatendum est primum alterius chori „adventum" vix quenquam offendisse, tum Eurybatae praelongam enarrationem caveae taedium non movisse, postremo Cassandram non esse necatam ante oculos spectatorum. Manifesto igitur apparet dramatis vitia multo minus conspicua fuisse, si censemus Agamemnonem non esse actam in theatro.

Sunt qui dicant [2]) Senecam in Agamemnone conficienda rationem habuisse Neronis erga Troianos studii, quapropter etiam Agamemnonis et Cassandrae partes ita conscripsisset, ut omnes homines eam fabulam legentes faverent sacerdoti modo. Quae quam facilia sint ad redarguendum vide. Nonne Cassandra illa Aeschylea aeque digna fuit, cui spectatores faverent quamque misericordia prosequerentur? Ceterum auctor, cum sectam profiteretur Stoicam, non tam Neronem respexit quam universum genus humanum, neque solum discipulum regium, sed etiam omnes homines in primo cantico docuit fortunam instabilem esse repetiitque praeceptum suum Strophii verbis in fine fere tragoediae

928 O nulla longi temporis felicitas!

---

1) Notum est iam apud Graecos δράματα ἀναγνωστικὰ esse conscripta a Chaeremone (Aristot. Rhet. III 12).

2) Cf. Neue Jahrb. l.l. pag. 352.

Digitized by Google

IUVENALIS SAT. 1, 85.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTE.

Quidquid agunt homines, votum timor ira voluptas
Gaudia discursus, nostri farrago libelli est.

Hos versus J. E. B. Mayor, qui satirarum editionem unam omnium paravit locupletissimam, cum illo *Facit indignatio versum* pro titulo totius libri Iuvenaliani esse voluit, mihi vero, quotienscumque eos relego, scrupulum iniciunt molestissimum, quem tandem iam ex animo evellere lubet. Numquam enim non me tenet haec consideratio, post verba *quidquid agunt homines*, h. e. cuncta mortalium acta, mirum in modum nunc sequi illa *votum timor ira* cet., utpote quae omnia non acta sint sed agentia: non ab hominibus aguntur sed agunt eos. Nulla autem esset difficultas, si poeta scripsisset: *quidquid agit homines* atque nescio an sic locus revera sit restituendus. Metrum minime obstare ne coniectura mea recipiatur affirmare non opus est, sed tamen haec exempla affero:

Iuven. 6, 367: obscenum. et tremula promittīt omnia dextra.

Horat. S. II 3, 260: exclusus qui distat, agīt ubi secum, eat an non.

Verg. Aen. X 433: tela manusque sinīt. hinc Pallas instat et urget.

ibid. XI 111: oratīs: equidem et vivis concedere vellem.

ibid. XII 68: si quis ebūr, aut mixta rubent ubi lilia multa.

ibid. 422: quippe dolōr; omnis stetit imo volnere sanguis.

ibid. 882: te siňe, frater, erīt? o quae satis ima dehiscat.

Stat. Theb. I 403: conscius horror agīt, eadem sub nocte sopora.

Digitized by Google

Iuvenali scribenti versus illos Horatianos succurrisse credo, quos cum loco nostro utique haud inepte conferas:

Ep. I 18, 96 sqq.:

et percontabere doctos,
qua ratione queas traducere leniter aevum;
num te semper inops agitet vexetque cupido,
num pavor et rerum mediocriter utilium spes,
virtutem doctrina paret naturane donet,
quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum,
an secretum iter et fallentis semita vitae.

et Ep. I 4, 12 sq.:

inter spem curamque, timores inter et iras,
omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

De verbi *agit* notione pauca addere liceat.

Videlicet in *quidquid agit homines* idem denotat quod *agitat* apud Horatium in illis *num te semper inops agitet vexetque cupido*, quam verbi significationem apud eundem saepius occurrere moneo e. g.

Epod. 7, 17: Sic est: acerba fata Romanos agunt,

Ep. I 19, 25: non res et agentia verba Lycamben,

Ep. II 2, 201: non agimur tumidis velis Aquilone secundo,

Sat. II 3, 44: quem mala stultitia et quemcumque inscitia veri
caecum agit,

neque aliter verbum interpretandum esse arbitror Sat. II 2, 13: *seu te discus agit*; faciendum igitur esse cum Luciano Muellero explicante: = *agitat*, in Bewegung setzt (non cum Orellio, qui annotavit: = *ducit, allicit*, Germ. anzieht), ideoque statuente, Peerlkampium verum perspexisse cum inductis verbis *molliter austerum* et *pete cedentem aera disco* locum ita emendandum esse censeret:

seu pila velox
seu te discus agit studio fallente laborem.

Digitized by Google

VARIA.

SCRIPSIT

ALPHONSUS KURFESS.

(*Continuantur ex vol. XLI. pag.* 394).

VIII.

Ad Ps.-Cic. in Sall. inv.

Sallustii in Ciceronem et invicem invectivae. rec. A. Kurfess. Lp. (Teubner) 1914.

a) 6, 18 (p. 18, 17): *quidquid impudicorum, cilonum, parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit*] *debitorum,* quod codicem interpolatum H^b exhibere ex Iordani apparatu conclusi, cum Iordano recepi, sed in ceteris libris (praeter H^a qui *dediciciorum* habet) extat *deditorum,* quod verum esse me docuit Clifford H. Moore, cuius disputatiuncula (in Arch. f. lat. Lex. XI 81 sq.) mihi nuperrime ad manus venit. qui vir doctus incipit ab Isid. orig. 9, 4, 49: *dediticii primum a deditione sunt nuncupati. deditio enim dicitur, quando se victi aut vincendi hostes victoribus tradunt: quibus haec origo nominis fuit. dum quondam adversus populum Romanum servi armis sumptis dimicassent, victi se dederunt, comprehensique varia turpitudine affecti sunt* [1]).

Deditione homines non solum civitate, sed etiam re familiari privatos esse concludi potest ex Liv. I, 38, 2 *deditisne vos po-*

1) Unde emanaverunt Corp. Gloss. V 60, 25; V 18, 5; IV 51, 10 = V 188, 14. — cf. impr. II 39, 52 *dediticii οἱ μετὰ τὸ ληφθῆναι τῇ τῶν νικησάντων πολεμίων ἐξουσίᾳ ἑαυτοὺς ἐπιτρέψαντες, κατάκριτοι.*

Digitized by Google

pulumque Conlatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique Romani dicionem? [1])

Accedit, quod Augustus anno p. Chr. n. quarto lege Aelia Sentia ordinem dediticiorum instituit:

Gai. inst. 1, 12. 13.

Libertinorum ⟨tria sunt genera; nam aut cives Romani aut Latini aut dediticiorum⟩ numero sunt. [De dediticiis vel lege Aelia Sentia]. lege itaque Aelia Sentia cavetur, ut, qui servi a dominis poenae nomine vincti sunt, quibusve stigmata inscripta sunt, deve quibus ob noxam quaestio tormentis habita sit et in ea noxa fuisse convicti sunt, quive ut ferro aut cum bestiis depugnarent traditi sint, inve ludum custodiamve coniecti fuerint, et postea vel ab eodem domino vel ab alio manumissi, eiusdem condicionis liberi fiant, cuius condicionis sunt peregrini dediticii.

Ulp. reg. 1, 5. 11.

5. *Libertorum genera sunt tria. cives Romani, Latini Iuniani, dediticiorum numero.*

11. *Dediticiorum numero sunt, qui poenae causa vincti sunt a domino, quibusve stigmata scripta fuerunt, qui⟨ve⟩ propter noxam torti nocentesque inventi sunt, quive traditi sunt, ut ferro aut cum bestiis depugnarent vel ⟨in ludum⟩ vel custodiam coniecti fuerunt, deinde quoquo modo manumissi sunt, idque lex Aelia Sentia fecit.*

Quid? quod Cassianus ecclesiasticus hoc vocabulum translate adhibuit: instit. 10, 6 *tamquam inertem et dediticium sibi patietur*; 10, 25 *ei te dediticium ac subditum praebuisti.*

Participium 'deditus' denique idem valere atque adiectivum 'dediticius' docemur Thes. l.l. vol. V, 269.

Quae cum ita sint, intelleges tales homines sorte sua non contentos in hoc 'omnium vitiorum coetu' bene enumerari neque dubitabis 'deditos', quod optimi codices exhibent, in textum recipere.

b) 8; 21 (p. 20, 8): *idem putas esse bis senatorem et bis quaesto-*

1) Cf. Pauly-Wissowa IV, 2359; Thes. l.l. s. v. 'dediticius'.

Digitized by Google

rem fieri quod bis consularem et bis triumphalem] 'idem — quod' me cum Iordano male scripsisse per litteras monuit Guil. Heraeus. altera familia α exhibet 'totidem — quot (quod)', optimi codices alterius familiae (β) 'tantum — quantum', quod virum doctum quendam coniecisse apparet. sed quid est 'totidem — quot'?

A. Sonny in Arch. f. lat. Lex. XI, 132 disseruit scriptores Romanos interdum τὸ ποῖον et τὸ πόσον commutavisse: cf. Catull. 92, 3 *sunt totidem mea* [1]) et Horat. sat. 2, 3, 298 *dixeris insanum qui me, totidem audiet*, ubi 'totidem' pro 'eadem' legimus. atque posteriores persaepe 'totidem' pro 'itidem' scribunt, veluti Lucifer Calaritanus [2]) et Commodianus [3]). neque vero inveni locum, ubi in tali significatione correlativum 'quot' sequatur. nihilo minus cum familia α legendum erit 'totidem esse — quot'. unde enim illud 'tot' ortum esse putaveris?

IX.

Ad Hippocratis qui fertur de arte librum.

Th. Gomperz, Die Apologie der Heilkunst[2]. Lpg. 1910.

In capite tertio (p. 38, 13) auctor artem medicam sic definit: *τὸ δὴ πάμπαν ἀπαλλάσσειν τῶν νοσεόντων τοὺς καμάτους καὶ τῶν νοσημάτων τὰς σφοδρότητας ἀμβλύνειν καὶ τὸ μὴ ἐγχειρεῖν κεκρατημένοις ὑπὸ τῶν νοσημάτων εἰδότας, ὅτι πάντα οὐ δύναται ἰητρική*] *οὐ* Gomperz cum libris recentioribus et deterioribus (R) scripsit, sed libri vetustiores exhibent:

ὅτι πάντα δύναται ἰητρική A,
ὅτι ταῦτα δύναται ἰητρική M.

Conf. etiam Galen. Defin. med. 9 (XIX 350, 11—17 Kuehn): *Τὴν ἰατρικὴν τέχνην Ἱπποκράτης ἐν τῷ Περὶ τέχνης ὡρίσατο οὕτως· καὶ πρῶτον μέν αὐτὴν ὠνόμασεν ἰατρικὴν εἶναι τό τε πάμπαν*

---

1) Cf. ea, quae Gustavus Friedrich in editione sua ad hunc locum (p. 514) adnotavit.

2) Cf. W. Hartel, Lucifer von Cagliari und sein Latein. Arch. f. lat. Lex. III, 33.

3) Vide indicem editionis Dombartianae.

Digitized by Google

ἀπαλλάσσειν τῶν νοσημάτων τοὺς κάμνοντας καὶ τὸ τὰς σφοδρότητας τῶν νοσημάτων ἀμβλύνειν καὶ τὸ μὴ ἐγχειρεῖν τοῖς κεκρατημένοις ὑπὸ τῶν νοσημάτων εἰδότας ὅτι ταῦτα πάντα [1]) δύναται ἰατρικὴ ἐπανορθοῦσθαι.

Quibus ex lectionibus Hermannus Diels [2]) textum sic restituere conatur: εἰδότας, ὅτι ταῦτα πάντ' ἀδυνατεῖ ἰατρικὴ ἐπανορθοῦσθαι.

Sed Galenum non ex libro ipso illa verba descripsisse, sed e memoria attulisse perspicuum est. itaque ἐπανορθοῦσθαι Hippocratis personati esse nego. sed si genuinum esset, ille scripsisset πάντας τούτους. nam οἱ ὑπὸ τῶν νοσημάτων κεκρατημένοι restitui non possunt. suspicor auctorem scripsisse εἰδότας ὅ τι πάντη δύναται ἰητρική (i. e. *scientes quid omnino valeat ars medica*). scriba quidam transscripsit πάντα (A), quod alius, qui illud ὅτι ut coniunctionem intellexerat, corrigere sibi videbatur ταῦτα superscribens: παντα [3]), unde lectio codicis M ὅτι παντα δ. ἰ. orta est.

1) οὐ Kuehnius contra codices inseruit.

2) Hippokratische Forschungen IV. Herm. XLVIII [1913] p. 395.

3) πάντα ταῦτα = τὸ πάμπαν ἀπαλλάσσειν, τὸ ἀμβλύνειν, τὸ μὴ ἐγχειρειν τοῖσι κεκρ. κ.τ.λ.

AD VIRGILII BUC. VI 34.

Et alia cantat Silenus et ut

ipse tener mundi concreverit orbis.

Frustra in adiectivo *tener* explicando desudant viri docti. Quid si *teres* legamus? Nihil, ut opinor, *orbi* aptius. Conferatur decantatum illud *teres atque rotundus.*

J. J. H.

Digitized by Google

AD CALLIMACHI HYMNUM IN CEREREM.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Vs. 3—6:

τὸν κάλαθον κατιόντα χαμαὶ βασεῖσθε, βέβαλοι,
μηδ' ἀπὸ τῶ τέγεος μηδ' ὑψόθεν αὐγάσσησθε,
μὴ παῖς μηδὲ γυνὰ μηδ' ἃ κατεχεύατο χαίταν,
μηδ' ὅκ' ἀΦ' αὐλέων στομάτων πτύωμες ἅπαστοι.

His verbis turbae muliebri praecipitur nemini licere e loco edito in calathum, qui Cereris sacra mystica continebat, inspicere; nam quae hoc fecisset, eam, ira numinis excitata, gravissimas temeritatis poenas daturam esse credebant. Solas mulieres admoneri propterea veri simile est, quod viri Cerealibus, quae poeta describit, omnino non interfuisse videntur. Quamquam mulieres non omnes sine discrimine eiusmodi adhortatione indigebant. Cum enim distinguatur inter initiatas (vs. 129) et profanas (vs. 3, 128), has tantum hic commoneri intellegimus: initiatis enim sacra in templo ostendebantur, quippe quibus ea conspicere fas esset.

Αἴτιον quod dicitur simillimi interdicti Macrobius Saturn. I, 6, 15 e Verrio Flacco delibavit. Qui locus cum in commentariis virorum doctorum in Callimachum non adferatur, haud inutile videtur eum post Lobeckium [1]) rursus cum hoc nostro componere. Narrabat igitur Verrius Flaccus „cum populus Romanus pestilentia laboraret essetque responsum id accidere, *quod di despicerentur*, anxiam urbem fuisse, quia non intelligeretur ora-

1) Lobeck, Aglaoph. p. 54 sqq.

Digitized by Google

culum evenisseque ut Circensium die puer de cenaculo pompam superne despiceret et patri referret quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset." Tunc demum responsum oraculi intellexerunt, et postquam rite cautum est, ne rursus idem accideret, pestilentia ab urbe discessit.

Iam in versibus 3 et 4 omnia omnibus perspicua sunt; contra in versibus 5 et 6 quaedam insunt, quae neminem adhuc recte interpretatum esse puto.

Ratio est versum 5 ita intellegere, ut tres species feminarum enumerentur, quae coniunctae totum muliebre genus comprehendant. Sed quaenam sunt illae? Nostris temporibus (vana priorum commenta silentio praetereo) locum plerumque cum scholiasta ita interpretantur, ut παῖς sit parva puella, γυνά nupta, ἃ κατεχεύατο χαίταν virgo matrimonio matura. Huic sententiae tria obstare mihi videntur.

Primum displicet ordo. Quis ita loquitur: puellae, mulieres, virgines? Quid quod praeterea inter puellas et virgines exiguum discrimen est et vox quae est παῖς, hoc loco posita, ambiguitate laborat, siquidem aliis locis saepissime virgines adultas designat?

Deinde mirum foret, si poeta pro *virgine* dixisset: *ea, quae capillum demisit.* Cur enim hic τῇ κυριολογίᾳ praetulisset τὴν περίφρασιν? Istiusmodi periphrasis profecto illis adnumeranda esset, quae cum in vitium incidant rectius περισσολογίαι dicuntur [1]) quasque, utpote πρᾶγμα κουφολογίας τε ὄζον καὶ παχύτατον, φυσῶδές τι καὶ ἄμουσον habere et ἀβλεμεῖς προσπίπτειν ait Pseudo-Longinus [2]).

Postremo verba ἃ κατεχεύατο χαίταν non de intonso et promisso capillo accipi possunt, sed manifesto indicant feminam, quae comam suam resolvit. Erat igitur mos apud Callimachi aequales, ut puellae nubiles capillos in humeros effunderent? Minime gentium: e simulacris fictilibus et monumentis omne genus apparet eas capillum simplici plerumque cultu religatum habuisse [3]). Illud tantum concedendum est puellas nonnumquam

1) Quintil. VIII, 6, 61.
2) Ps. Long. de sublim. XXVIII sq.
3) Cf. Paus. I, 19, 1: οἷα δὲ ... πεπλεγμένης ἐς εὐπρεπές οἱ (Theseo) τῆς κό-

Digitized by Google

tam parvas aetate nuptum datas esse posse, ut tunc primum comam nexu coercerent. In nuptam tam parvam natu fortasse scriptum erat epigramma Antipatri [1]), quod Meinekius attulit [2]):

ἡ πολύθριξ οὔλας ἀνεδήσατο παρθένος Ἵππη
χαίτας, εὐώδη σμηχομένα κρόταφον·
ἤδη γάρ οἱ ἐπῆλθε γάμου τέλος ...

Quamquam magnopere dubito num iure Meinekius inde effecerit „Hippen, dum innupta esset, καταχεύκσθαι χαίτας". Quid si poeta hoc tantum dicere voluit puellam capillos, qui usque adhuc simplici et laxiore vitta revincti fuissent, iam nuptarum ritu comptos magis astrinxisse? Utut est, virgo non a Callimacho per periphrasin ἃ κατεχεύατο χαίταν dici potuisset, nisi III⁰ saeculo apud Graecos constans consuetudo fuisset puellis nubilibus, ut capillo soluto essent. Quod secus fuisse scimus.

Merito ergo et Schneiderus [3]) et Legrandius [4]) rationem interpretandi, quam et ego damno, impugnaverunt. Sed ne ipsi quidem locum obscuriorem recte explicaverunt. Schneiderus censebat verbis quae sunt παῖς et γυνά designari omnes feminas profanas, per ἃ κατεχεύατο χαίταν autem initiatarum illas, quarum capilli sive propter luctum sive propter sui negligentiam eo die inornati pendebant. Has a sacris arceri sumebat, quod earum aspectus Cererem sui doloris commonefacere posset. Est ratio minime simplex et artificii plena, quam reicere non dubito: consentaneum enim est poetam dicere nemini licere in calathum inspicere, non vero ταῖς μέν, ταῖς δ' οὔ, licet verum sit initiatis aspectum sacrorum non nocere.

Legrandii sententia paululo speciosior est. Putat is verbis quae sunt παῖς et γυνά omnes feminas cuiusvis aetatis designari, alterum μηδέ versus 5 significare *ne — quidem*, verbis autem ἃ κατεχεύατο χαίταν indicari e profanis mulieribus illas, quae eo

---

μης, ... ἤροντο σὺν χλευασίᾳ ὅ τι δὴ παρθένος ἐν ὥρᾳ γάμου πλανᾶται μόνη. X, 25, 10: (Polyxena in pictura Polygnoti Delphica) κατὰ τὰ εἰθισμένα παρθένοις ἀνατέπλεκται τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ τρίχας. Daremberg-Saglio, Dict. des ant. s. v. Coma, p. 1361.

1) Anthol. Pal. VI, 276.

2) Callim. ed. Meineke, 1861, p. 218.

3) Schneider, Callimachea, I, p. 368.

4) Revue des Et. anc. 1901, p. 290, 3.

Digitized by Google

die observantiae in Cererem causa toto habitu suo speciem lugentium praebuerint. Diceret igitur Callimachus feminarum profanarum nulli in calathum inspicere licere, ne illis quidem, quae, quod ad habitum (vs. 5) et inediam (vs. 6) attinet, iisdem legibus atque initiatae se astrinxissent. Sed ne haec quidem quaestionis solvendae ratio, quamvis ingeniose excogitata sit, probari potest. Isto pacto enim sumere cogeremur profanarum maiorem partem die festo Cereris non cibo abstinuisse neque capillum solvisse, cum tamen e vs. 124:

ὡς δ' ἀπεδίλωτοι καὶ ἀνάμπυκες ἄστυ πατεῦμες

appareat universas feminas eo die comam effudisse. Ego saltem non video quomodo aliquis hunc versum ad solas initiatas spectare demonstrare possit.

Mea sententia verbis ἃ κατεχεύατο χαίταν per circumlocutionem designantur *viduae*. Quod ut argumentis stabiliam, haec habeo quae in medium proferam.

Capillus pendens et incomptus apud Graecos et Romanos signum luctus et tristitiae erat [1]). Inprimis viduae, cum maritus mortuus erat aut sepeliebatur, comam solvere solebant. Loci apud poetas Romanos, quibus hic mos illustratur, tritissimi sunt. Satis habeo adferre Tib. I, 1, 67:

tu manes ne laede meos, sed parce solutis
crinibus et teneris, Delia, parce genis.

Ovid. Metam. XI, 682:

nec crines solvere curat:
scindit.

Item nemini non notus est planctus Veneris ob Adonin mortuum (Bion. I, 20: λυσαμένα πλοκαμῖδας). Non minus notus esse debebat antiquissimus et clarissimus locus Iliados, ubi Andromache, Hectoris corpore conspecto, oculis caligantibus concidisse, sed, quamvis spiritus deficeret, tamen ligamina ornatumque omnem a capite avulsisse dicitur:

XXII, 468:

τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς βάλε δέσματα σιγαλόεντα,

---

1) Cf. e. g. Hom. Il. XXII, 406; hymn. in Cer. 41; Soph. Oed. Col. 1260 sq. Verg. Aen. I, 479 sqq.

Digitized by Google

ἄμπυκα κεκρύφαλόν τε ἰδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην
κρήδεμνόν θ' ...[1]).

Iam credibile non est viduas etiam post maritum sepultum semper Baccharum instar κατακεχυμένας τὰς τρίχας[2]) prodiisse. Lugentium est capillus sparsus demissus incomptus: post luctum habitui tam sordido nihil loci est. Atque hic animum attendas velim ad aoristum κατεχεύατο, cui sua vis est. Ἃ κατεχεύατο χαίταν est mulier, quae semel in vita sua, marito mortuo, capillum effudit. Circumlocutione autem poeta usus esse videtur, ut ipsum nomen *viduae* vitaret, quod ei forsitan in sacris Cereris canendis infausti ominis videretur. Est exemplum illius generis circuitus eloquendi, quem dictu deformia operire ait Quintilianus[3]). Similiter Plato initio epitaphii sui, pro *morte* dixit τὴν εἱμαρμένην πορείαν[4]). Neque aliter apud ipsum Callimachum infra vs. 130 sq. mulieres, quae prae graviditate aut instanti puerperio aut aegritudine pedibus non valent, humanius dicuntur:

αἱ δὲ βαρεῖαι
χἄτις Ἐλειθυίᾳ τείνει χέρα χἄτις ἐν ἄλγει.

Si haec recte disputata sunt, Callimachus genus muliebre divisit in puellas mulieres viduas. Haec tripartita divisio, quam natura ipsa fert, invenitur etiam apud Plautum, Curc. 37:

dum ted abstineas nupta vidua vergine,
iuventute et pueris liberis, ama quid lubet.

Eadem usus est poeta Byzantinus, apertius tamen ille et minus urbane locutus quam Callimachus:

κορασίες καὶ παντρεμένες
καὶ τὰς χήρας τὰς σπασμένες[5]).

Rursus eandem distributionem agnoscimus, cum apud Pausaniam legimus Iunonem Stymphali cultam esse tribus cognominibus

1) Hic locus neque ab Heckenbachio (De nuditate sacra sacrisque vinculis; cf. p. 74: „mulieres in lamentatione funebri quasi amentia atque furore captae capillos demittere solent" etc.) neque a Sommero (Das Haar in Religion und Aberglauben der Griechen, diss. Monast. 1912) laudatur.

2) Cf. Callixenus Rhodius ap. Athen. V, p. 198, e.

3) Quintil. VIII, 6, 59.

4) Plato, Menex. p. 236, d; cf. Ps. Long. de sublim. XXVIII.

5) Συναξάριον τῶν εὐγενικῶν γυναικῶν καὶ τιμιωτάτων ἀρχόντισσων, ed. Krumbacher, Münch. Sitz. Ber. 1905, p. 391, vs. 490 sq.

Digitized by Google

tamquam *παῖδα τελείαν χήραν* [1]). Hoc enim nihil aliud significat nisi omnes mulieres, puellas matronas viduas, patronam divinam sibi finxisse similem sui [2]).

Venio ad vs. 6: *ne tunc quidem, cum impransae sicco ore spuimus.* Poeticam circumlocutionem hanc esse vulgo censent, qua nihil aliud significetur nisi ieiunitas turbae muliebris; quasi ieiunorum sit frequenter exspuere. Sunt quidem medici qui dicunt ieiunorum salivam salsam et amaram [3]) aut solito abundantiorem [4]) fieri. Sed tamen non de sputu, ut ita dicam, involuntario poetam loqui, verum longe aliter locum interpretandum esse suspicor.

Magnas Graeci vires humanae salivae tribuebant [5]). Despuebant adversus morbos contagia arcendi causa atque mala et maleficia omne genus respuebant. Serpentes et scorpiones humana saliva occidi persuasum habebant [6]). Praeterea inspuebant in eos, a quibus mala et fascinationes repercutere cupiebant, inprimis in se ipsos [7]). Summa autem efficacitas apud Graecos et Romanos ieiunae salivae tribui solebat. Cf. Galen. ed. Kuehn vol. XII p. 288: *γινώσκειν δὲ αὐτοῦ (τοῦ πτυέλου) χρὴ τὴν δύναμιν εἶναι διάφορον ἔν τε τοῖς ζώων εἴδεσι καὶ καθ' ἕκαστον αὐτῶν ὑγιαῖνον ἢ νοσοῦν, ἐδηδοκότος ἢ πεπωκότος ἢ ἀπότου τε καὶ νενηστευκότος. ὡς γὰρ τὰ οὖρα καὶ αἱ χολαὶ καὶ ὁ ἱδρώς, οὕτως*

---

1) Paus. VIII, 22, 2.

2) Cf. J. E. Harrison, Class. Rev. XXVIII (1914), 2, p. 36.

3) Galen. ed. Kuehn, vol. XI, p. 674: *τοῖς γοῦν ἐπὶ πλέον ἀσιτήσασιν ἁλυκὸν φαίνεται τὸ πτύελον, εἰ δ' ἐπὶ πλεῖστον, οὐχ ἁλυκὸν μόνον, ἀλλ' ἤδη καὶ πικρόν.*

4) Lanzonius, De saliva humana, Op. I, p. 499: habet fames vehementior imprimis sibi frequens hoc, ut uberiore, ac tenuiore saliva os scateat.

5) Cf. P. Burmannus ad Petron. 131; Schurig, Sialologia historico-medica, cap. IV: Krenkel, Beitr. zur Aufhell. der Gesch. des Apostels Paulus, p. 69—91; Ries, Pauly-Wissowa, Real-Encycl. s. v. Aberglaube, p. 87 sq.; Sittl, Gebärden, p. 117 sqq.; F. W. Nicolson, The saliva superstition in class. litt., Harv. Stud. VIII (1897), p. 23 sqq.; Gruppe, Griech. Myth. p. 890, 4.

6) Cf. Arist. de hist. anim. VII, 29, p. 607, a, 29 sq: *ἔστι δὲ τοῖς πλείστοις αὐτῶν (τῶν ἰοβόλων) πολέμιον τὸ τοῦ ἀνθρώπου πτύελον.* Lucr. IV, 639: serpens, hominis quae tacta salivis, disperit ...

7) Theocr. VI, 39:

ὡς μὴ βασκανθῶ δέ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

Callim. frg. 235:

δαίμων (i. e. Nemesis), *τῇ κόλποισιν ἐνιπτύουσι γυναῖκες.*

Anth. Pal. XII, 229.

Digitized by Google

καὶ τὸ πτύελον ἀσθενὲς μὲν ἐδηδοκότων ἐστίν, ἰσχυρὸν δὲ καὶ δριμὺ τὸ τῶν ὑπερδιψώντων καὶ ὑπερπεινησάντων [1]). Nonnulla testimonia scriptorum, quae ad *ieiunae* salivae usum pertinent, hic adferre et examinare libet.

Primum eos memorabo locos, quibus ieiunae salivae, cum ea quae malum arcere valent etiam contactu salutaria esse videantur, non iam mali amoliendi, sed proprie sanandi vis tribuitur [2]):

Plin. Nat. Hist. XXVIII, 36: „(mos est) incipientis furunculos ter praesignare ieiuna saliva"; 37: „credamus ergo et lichenas leprasque ieiunae (salivae) inlitu adsiduo arceri, item lippitudines matutina cottidie velut inunctione, carcinomata malo terrae subacto"; 76: „mulieris quoque salivam ieiunam potentem diiudicant cruentatis oculis et contra epiphoras, si ferventes anguli oculorum subinde madefiant, efficacius, si cibo vinoque se pridie ea abstinuerit."

Galen. ed. Kuehn, vol. XII p. 288: τούτῳ τοιγαροῦν τῷ σιέλῳ (i. e. ieiuna saliva) καὶ αἱ τροφοὶ τῶν παίδων τοὺς λειχῆνας ἰῶνται.

Veget. mulomed. III, 22, 10: „cicatricibus oculorum medetur ieiuna saliva, si cum sale mandatur in ore et expuatur in oculum."

Seren. Sammon. XI:

„si vero vitium est, quod ducit ab impete nomen
hoc matutina poteris cohibere saliva."

Ibid. XXXVI:

„mane novo myrti frondes commandere prodest
cui dolet (penis) atque illas in vulnus despuat ipsum."

Marcell. De Medicamentis, XXXIII, 15: „Folia myrti ieiunus commanduca et in ulcera veretri expue, statim proderit."

Paul. Aegin. VII, 3, sub litt. σ: σίαλον, τὸ τῶν ἀνθρώπων νήστεων, μάλιστα διαφορητικόν τε καὶ ῥυπτικόν ἐστι· λειχῆνας γοῦν παιδίων ἀπορρύπτει χρισθὲν καὶ δοθιῆνας πέττει μετὰ πυρῶν δηλονότι μασηθέντων ἐπιτιθέμενον ὑπώπιά τε αἴρει.

1) Haec e Galeno exscripsit Aetius, II, 107. Cf. Oribas. ed. Bussemaker et Daremberg, vol. II, p. 728.

2) Cf. B. Schmidt, Der böse Blick und ähnlicher Zauber im neuen griechischen Volksglauben, Neue Jahrb. 1913, p. 594.

Digitized by Google

Eadem superstitio occurrebat apud Iudaeos [1]), idemque a medicis nostrae aetatis usque ad saec. XVIII consensu verum esse credebatur. Sexcenta exempla invenias apud Schurigium l.l. p. 108 sq. 125—141. Cf. H. Heine, 1, 56 [2]): „nur zuweilen leide er an Hautübeln, und dann kuriere er sich jedesmal mit nüchternem speichel."

Vis perniciosa ieiunae salivae ascribitur locis hisce:

Schol. Nic. Ther. 86: *ὅτε γάρ ἐστι νῆστις ὁ ἄνθρωπος, τότε τὸν αὐτοῦ σίελον πόρρω φεύγει ὁ ὄφις.*

Plin. Nat. Hist. VII, 5: „omnibus hominibus contra serpentis inest venenum, feruntque ictas saliva ut ferventis aquae contactum fugere; quod si in faucis penetraverit, etiam mori, idque maxume humani ieiuni oris."

Galen. ed. Kuehn, vol. VII p. 745: *σκορπίον ἀναιρήσεις ἐπιπτύων νῆστις.*

Aetius, II, 107: *ἐγὼ γὰρ χωρὶς ἐπῳδῆς ἐθεασάμην ἐπὶ σιάλῳ νήστεως μόνῳ τὸν σκορπίον ἀποθανόντα.*

Paul. Aegin. VII, 3, sub litt. *σ*: *τοῖς δὲ τοὺς ἀνθρώπους ἀναιροῦσι θηρίοις ἐναντιώτατόν ἐστι (τὸ σίαλον τὸ τῶν ἀνθρώπων νήστεων).*

Idem saepe a scriptoribus medii aevi et nostrae aetatis dictum est:

Albert. Magn. lib. VII tract. II cap. V: „saliva hominis ieiuni qui diu ieiunavit et in praecedenti sero abstinuit contrariatur omnibus venenosis. .... sagitta intincta in salivam hominis ieiuni intoxicatur, quando vulnerat alium" [3]).

Conradus de Monte Puellarum, Buch der Natur, 261, 3 [4]): Ambrosius spricht, dass ains nüchtern menschen spaichel die slangen ertoet: wan ist dass diu slang der spaicheln ain klain berüert, so stirbt sie zehant.". Idem dicitur Serm. evang. f. 41[a]; B. d. Profec. I, f. 44 [5]).

Habdarrahmanus Aegyptius apud Harduinum ad Plin. Nat.

---

1) The Jewish Encyclopedia, X, p. 651. — Cf. etiam Habdarrahmanus Aegyptius interprete Ecchellensi, apud Harduinum ad Plin. Nat. Hist. XXVIII, cap. IV.

2) Locum adfert Grimm, Deutsches Wörterb. s. v. Speichel.

3) Cf. Schurig, l.l. p. 180.

4) Hunc locum laudat Grimm, Deutsches Wörterb. s. v. Speichel.

5) Schiller et Luebben, Mittelniederdeutsches Wörterb. s. v. spekele.

Digitized by Google

Hist. XXVIII, cap. IV: „Si quis ieiunus exspuit super scorpionem, interimit illum."

Schurig, Sialologia, p. 143—146.

Fletcher et Massinger, A Very Woman, III, 1 [1]):

„Let him but fasting spit upon a toad
And presently it bursts and dies."

Magis huc pertinet, quod nonnullis locis non contactu, sed sola magica virtute ieiunae salivae aegris opem ferri posse praedicatur:

Varro, Rer. rust. I, 2, 27 (de pedibus sanandis): „*Terra pestem teneto, salus hic maneto in meis pedibus.* Hoc ter noviens cantare iubet, terram tangere, despuere ieiunum, cantare" [2]).

Plin. Nat. Hist. XXVIII, 37: „(credamus) cervicis dolores (arceri) saliva ieiuna, dextra manu ad dextrum poplitem relata, laeva ad sinistrum."

Marcell. De Medicamentis, XVIII, 4: „ad cervicum dolores remedium physicum sic: ieiunus dextram manum saliva tange et dextrum poplitem perfrica, deinde sinistra manu sinistrum et hoc ter per singulos poplites facito, statim remediabis."

Plin. Nat. Hist. XXVI, 93 (de panis sanandis): „experti adfirmavere plurimum referre, si virgo imponat nuda ieiuna ieiuno (medicamenta) et manu supina tangens dicat: *negat Apollo pestem posse crescere cui nuda virgo restinguat,* atque ita retrorsa manu ter dicat totiensque despuant ambo."

Vestigia similis superstitionis occurrunt etiam apud recentiores. Cf. Wuttke, Der deutsche Volksglaube der Gegenwart[3], § 164: „Der Kreuzschnabel ... zieht die Krankheiten an sich ... Wer das Reissen hat, muss acht Tage lang früh nüchtern in des Vogels Näpfchen spucken" [3]).

Denique (quod postremo loco adfero, licet origine primum sit)

1) Hunc locum attulit Nicolson l. l. p. 27.

2) Apud Schneiderum Keilium Goetzium male distinguitur: „despuere, ieiunum cantare."

3) Cf. ibid. p. 219: „Sehr viele Zauberhandlungen müssen nüchtern und schweigend geschehen; es ist eine Selbstüberwindung nötig, ein Zurückdrängen des bloss Natürlichen, um eine übernatürliche Kraft zu erlangen und zu üben; oft muss selbst das Vieh fasten." § 309; „Wenn man des Morgens nüchtern dreimal niest, so bedeutet es Glück." § 91: „Kräuter, vor Sonnenaufgang nüchtern und schweigend gepflückt, haben grosse Heilkräfte."

Digitized by Google

per ieiunam salivam repercutiebantur contagia et fascinationes. Cf. Plin. Nat. Hist. XXVIII, 35: „Omnium vero in primis ieiunam salivam contra serpentes praesidio esse docuimus, sed et alios efficaces eius usus recognoscat vita: despuimus comitiales morbos [1]), hoc est contagia regerimus; simili modo et fascinationes repercutimus dextraeque clauditatis occursum".

Huius quoque superstitionis exempla e recentioribus temporibus adferri possunt. Cf. Alexandri ab Alexandro Genialium dierum (a. 1522) lib. V cap. 27: „fascinationes saliva ieiuna pelli veteri superstitione creditum est." Seligmann, Der böse Blick und Verwandtes, I, p. 293: „Eine grosse Rolle in der Geschichte des bösen Blickes spielt der Speichel und zwar ... besonders als Abwehrmittel. Besonders wirksam ist derselbe, wenn er von einem nüchternen Menschen stammt" [2]).

Qui haec omnia secum reputaverit, facile, opinor, intelleget id quod dicit Callimachus. Arcana sacra calathi si quae puella mulierve curiosis oculis violaret, sibi civibusque perniciem adferre posse credebatur. Nonne eadem de causa pestilentiam in urbem Romam incidisse memorat Verrius Flaccus? Nonne in Vetere Testamento legimus in pago Bethsamitarum, cum non-

---

1) *τὴν ἱερὰν νόσον, divinum morbum*, ita dictum, quod epileptici a deo aliquo corripi videbantur. Cf. Theophr. Charact. XVI, 14.

2) Quam arcte disciplinae et medii aevi et recentioris aetatis cum litteris antiquis cohaereant, harum rerum peritos profecto non latet. Sed hanc necessitudinem nunc etiam latius patere apparet, quam vulgo credebatur. Nuper Carolus Freundt (Wertpapier im antiken und frühmittelalterlichen Rechte) defendit sententiam, quam Josephus Partsch, Freundtii operis censor aequus prudensque, his verbis expressit: „Das gesamte Urkundenrecht des früheren Mittelalters entwickelt sich in ununterbrochener Kontinuität aus dem antiken d. h. dem griechischen und römischen" (Zeitschrift für das gesamte Handels- und Konkursrecht, LXX: Der griechisch-römische Einschlag in die Geschichte des Wertpapiers, p. 438). Cf. eiusdem verba p. 488: „(Es) wird die Frage erörtert werden müssen, ob die zahlreichen Anleihen, welche die langobardischen und fränkischen Formeln wie die Urkunden aus den italienischen Städten des frühen Mittelalters bei dem byzantinischen Notariatsstil gemacht haben, überhaupt als Erkenntnismittel für germanische Rechtsauffassung verwertet werden dürfen." Similiter Fr. Pfister (Berl. phil. Woch. 1912, p. 1129 sq.; cf. 1914, p. 925 sqq.) nuper ostendere conatus est, quot fabulae teratologicae medii aevi ab antiquis ductae sint. Eodem modo anquiri possit, quatenus superstitio vulgaris gentium Europae occidentalis et septentrionalis a superstitione antiqua originem traxerit. Estne vere Germanica superstitio quam memorat Grimm, Deutsche Myth.[3] I, p. 481: „Wenn der Hausherr ausspeit, toben und lärmen (die Poltergeister) heftig"? Cf. II, p. 1056.

Digitized by Google

nulli in arcam inspexissent, multa milia virorum occidisse? [1]) Nonne saeculo II° p. C. n. pestilentia simili de causa coorta esse ferebatur? Cf. Amm. Marc. XXIII, 6, 23: „incensa civitate (Seleucia) milites fanum (Comaei Apollinis) scrutantes invenere foramen angustum, quo reserato ut pretiosum aliquid invenirent, ex adyto quodam concluso a Chaldaeorum arcanis labes primordialis exiluit, quae insanabilium vi concepta morborum, eiusdem Veri Marcique Antonini temporibus ab ipsis Persarum finibus ad usque Rhenum et Gallias cuncta contagiis polluebat et mortibus." Iul. Capitolin. Vita Veri, 8: „nata fertur pestilentia in Babylonia, ubi de templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, spiritus pestilens evasit atque inde Parthos orbemque complesse." Magis igitur ut caveant mulieres, diserte inculcatur iis usitatum remedium adversus imminentia mala, ieiunam salivam dico, perniciem ab iis, qui arcana speculentur, averruncare non valere.

Conspectus rerum divinarum et summopere venerandarum nonnumquam etiam apud alias gentes pro maleficii genere habitus est. Quis ignorat vulgus vel hodie in multis partibus Europae obvios sacerdotes abominari [2])? Quin etiam legitur apud Iohannem Wierum, De Praestigiis Daemonum (a. 1564), lib. III cap. IV: „tam quoque grave est delictum, in terram tempore elevationis spuere quam sputum in ore continere" [3]).

Haec cum ad propositum meum demonstrandum sufficere arbitrer, insuper nihil addo nisi coniunctivum *praesentis* πτύωμες post coniunctionem ὅκε indicare τὸ πτύειν eodem puncto temporis fieri atque τὸ ἀὐγάσσασθαι [4]), *prima* autem persona pluralis poetam usum esse, ut in admonitione ne minimum quidem acerbitatis inesset.

---

1) Samuel. I, 6, 19. Cf. Numer. IV, 20; Exod. XXXIII, 20; Levit. XVI, 2. — Cf. etiam fabula Cecropidum et Herod. VI, 134.

2) Cf. Grimm, Deutsche Mythol ³ II, p. 1078: „Paulis schimpf und ernst cap. 358: zu der kirchen gieng ein altes weib am morgen frü, da begegnet ir ein pfaff, da thet sie wol sechs creuz für sich. der priester sprach, warumb segnet ir euch also vor mir? ich bin doch nit der teufel" . . ..

3) Hunc locum, licet non plane intellegam quid sibi velit in libro de Lamiis, tamen dignum censeo qui hic adferatur et diligentius perpendatur.

4) Cf. Kühner-Gerth, Griech. Gramm. II § 389, adn. 3, a; § 567, 2; Madvig, Synt. der griech. Sprache, § 128, b.

Digitized by Google

Saepius quaesitum est, cuiusnam urbis Cerealia Callimachus hymno sexto descripserit. Nec tamen ad liquidum quaestio perduci potuit. Fieri potest ut recte senserit Wilamowitzius quaestionem inanem esse: poetam certam urbem non nominasse, ergo ne cogitasse quidem [1]). Hoc argumentum simplex ac potens esse concedendum est. Aut sumi potest nomen urbis ab auctore in inscriptione carminis memoratum fuisse? Mihi certe (si tamen etiam nunc de hac quaestione disquirere licet) probantur rationes, quibus nisus Conradus Kuiper ostendit neque in Alexandriam neque in Cnidum quadrare quae hic scripta sunt [2]). Cyrenis vero fuisse templum Cereris demonstrat Aeliani frg. 44 [3]):

ὅτι Βάττος ὁ Κυρήνην κτίσας τῆς Θεσμοφόρου τὰ μυστήρια ἐγλίχετο μαθεῖν καὶ προσῆγε βίαν λίχνοις ὀφθαλμοῖς χαριζόμενος.

καὶ τὰ μὲν πρῶτα αἱ ἱέρειαι ἐπειρῶντο αὐτὸν πραΰνειν καὶ ἀντέχειν τῆς ὁρμῆς· βιαίως δὲ καὶ ἀτέγκτως διακειμένου, τῶν μὲν ἀπορρήτων καὶ ἃ μὴ ἰδεῖν λῷον ἦν, τούτων οὐκ ἐκοινώνουν οἱ· τῶν δὲ πρώτων καὶ ἐξ ὧν οὔτε τοῖς θεασαμένοις οὔτε τοῖς δείξασιν ἔμελλέ τι ἀπαντήσεσθαι δεινόν, παρεῖχόν οἱ βλέπειν ταῦτα [4]).

μετὰ τῆς ἱερᾶς στολῆς ὅλαι τελούμεναι μυστικῶς σΦάκτριαι καταλειΦθεῖσαι ... καὶ αἴρουσαι τὰ ξίΦη γυμνὰ καὶ αὗται καταπλέας ἔχουσαι τοῦ αἵματος τὰς χεῖρας καὶ τὰ πρόσωπα μέντοι (ἦσαν δὲ ἐκ τῶν ἱερείων χρισάμεναι) ἀθρόαι ὑΦ' ἑνὶ συνθήματι ἐπὶ τὸν Βάττον ἦξαν, ἵνα αὐτὸν ἀΦέλωνται τοῦ ἔτι εἶναι ἄνδρα.

Intelleguntur haec nullo negotio, licet nonnulla turbata sint: pro *κατ-αλειΦθεῖσαι* certe scribendum censeo *καταληΦθεῖσαι*, i. e. *deprehensae* (*a Batto*). Apparet autem haec fragmenta excerpta esse e libro aliquo, quo inter alia continebatur *αἴτιον* peculiaris ritus, quo Ceres Cyrenis colebatur. Iam qua via, quibus ambagibus haec in Aeliani opus *περὶ θείων ἐναργειῶν* pervenerint, indagari non potest; tamen veri simillimum est fontem poeticum subesse aetatis Alexandrinae. Nisi fallor, vel nunc adhuc vestigium quoddam dictionis poeticae deprehenditur, ubi dicitur

---

1) Wilamowitz, Reden und Vorträge[3], p. 274.
2) Kuiper, Stud. Callim. II, p. 43—45.
3) Aelian. ed. Hercher, edit. Teubn. vol. II (a. 1866), p. 204.
4) Unde verba *καὶ τὰ μὲν — βλέπειν ταῦτα* a Rasmo et Herchero hausta sint, temporum iniquitatem investigare non potui.

Digitized by Google

omisso articulo: λίχνοις ὀφθαλμοῖς χαριζόμενος. Summa autem animadversione dignum est, quod hic memorantur μυστήρια Cereris Θεσμοφόρου et mulieres μυστικῶς τελούμεναι. Athenis mysteria Cereris Eleusiniae a Thesmophoriis longe differebant; illa enim ab initiatis viris et feminis, haec a solis mulieribus agebantur, et si quando a nonnullis mysteria dicta sunt, tamen initiatione carebant. Non aliter cultum deae Alexandriae institutum fuisse probabile est, quem ex Attica eo translatum esse constet. Contra in hymno nostro rem eodem modo habere videmus atque Cyrenis. Loquitur enim poeta de initiatis (τὰς τελεσφορέας, vs. 129) et de profanis feminis (βέβαλοι, vs. 3; τὰς ἀτελέστως, vs. 128); viri, si recte videmus, excludebantur.

Multum abest ut censeam his demonstratum esse Callimacho in hymno Cereris scribendo Cerealia patriae suae Cyrenarum obversata esse. Nam etiam Ephesi [1]) et Smyrnae [2]) mysteria quaedam Thesmophoriis celebrabantur. Ego hic nullam in partem disputo, sed tantum indiciorum copiam augere studeo, quae forsitan aliquando in hac quaestione dirimenda aliquam utilitatem habere possint. Quapropter etiam de voce τελεσφορής, *initiatus*, pauca adicere velim. Τελεσφορίην, *festum*, *sacra*, *solennia*, habet ipse Callimachus II, 78, ubi de Carneis Cyrenensibus loquitur, τελεσφορίας, *initiationes* (schol. μυσταγωγίας), Apollonius Rhodius (I, 917), Callimachi discipulus, de mysteriis Samothraciis loquens. Praeterea Eustathius (Opusc. I, p. 341, 1) habet τελεσφορεῖν, *consecrare* (episcopum). Alia exempla verbi hoc sensu usurpati lexicographi nostri non praebent. Quos ut fortasse unum atque alterum locum praetermisisse concedamus, tamen inde sequitur ut ille usus huius vocis rarissimus sit. Ecce sensu subsimili legitur in inscriptionibus Cyrenaicis: οἱ δεῖνα τελεσφορέντες (S. G. D. I. 4837) [3]).

Postremo monere velim in hoc hymno inveniri aliquid e fabulis Cyrenaicis. Quod neminem animadvertisse non crediderim, sed certe a nullo adhuc data opera explicatum esse videtur. Legimus vs. 8 sqq.:

---

1) Dittenberger, Syll.[2] 655.
2) C. I. G. 3194.
3) Omitto alterum titulum (C. I. G. 5236), de cuius lectione non constat.

Digitized by Google

Ἔσπερος, ὅστε πιεῖν Δαμάτερα μῶνος ἔπεισεν,
ἁρπαγίμας ὅκ' ἄπυστα μετέστιχεν ἴχνια κώρας.
πότνια, πῶς σε δύναντο πόδες φέρεν ἔστ' ἐπὶ δυθμάς,
ἔστ' ἐπὶ τὼς μέλανας καὶ ὅπα τὰ χρύσεα μᾶλα;

Vespera Ceres ab erroribus suis requieverat; quamobrem etiam mulieres in Thesmophoriis Atticis usque ad vesperam cibo potuque abstinebant. Sed haec non sufficiunt ad vs. 8 interpretandum.

Vulgo narrabatur Iamben, Celei et Metanirae famulam, Eleusine Cererem iocando adduxisse ut rursus cibum sumeret [1]). Alii cum veteribus poetis Orphicis has partes Bauboni tribuebant. Quibus omnibus adversans Callimachus Hespero eas assignat. Hesperus et Hesperides, filiae neptesve eius, tradebantur vixisse in urbe Cyrenaica Euhesperidis, cui hodie Bengazi nomen est. Documento sunt permulta scriptorum testimonia, in quibus etiam locus Apollonii Rhodii. Omnia commode collecta invenies in lexico quod conficiunt Pauly Wissowa (VIII, p. 1247). Addendum est testimonium Scylacis, Peripl. 108: ἐνταῦθά ἐστιν ὁ κῆπος τῶν Εὐεσπερίδων. ἔστι δὲ τόπος βαθὺς ὀργυιῶν ιη', ἀπότομος κύκλῳ, οὐδαμοῦ ἔχων κατάβασιν· ἔστι δὲ δύο σταδίων πανταχῇ, οὐκ ἔλαττον, εὖρος καὶ μῆκος. Οὗτός ἐστι σύσκιος δένδρεσιν ἐμπεπλεγμένοις ἐν ἀλλήλοις ὡς ὅτι μάλιστα πυκνοτάτοις. τὰ δένδρα ἐστὶ λωτός, μηλέαι παντοδαπαί, ῥοαί, ἄπιοι, μιμαίκυλα, συκάμινα, ἄμπελοι, μυρσίναι, δάφναι, κισσός, ἐλαῖαι, κότινοι, ἀμυγδαλαί, καρύαι. Conferas quaeso commentaria Caroli Mueller ad Stad. Mar. Magn. 57 (Geogr. Graec. Min. I, p. 450), praesertim ea quae ex descriptione locorum apud Beecheyos adfert [2]). Non temere igitur conicere mihi videor Callimachum hic secutum esse fabulam Cyrenaicam, qua narrabatur Cererem arida loca peragrasse, donec ad amoenum hortum Hesperidum (ὅπα τὰ χρύσεα μᾶλα, vs. 11) pervenisset, ibique Hesperi consilio motam esse ut ieiunium solveret [3]). Τὼς μέλανας, quorum una cum pomis aureis meminit, non dicit Aethiopes orientales neque vero

1) Hymn. in Cer. vs. 200—204.

2) Cf. Reclus, Nouv. Géogr. Univ. XI, p. 10.

3) Illud quoque facile suspicari possis Cyrenenses narrasse in finibus suis Proserpinam raptam esse.

Digitized by Google

occidentales [1]), sed illos, qui Cyrenaicae proximi sunt [2]). Versibus insequentibus memorantur itinera Cereris per continentem Graeciam. Non ergo se in fabulis Cyrenaicis continuit poeta, sed peculiare aliquid ex iis desumpsit et in loco conspicuo collocavit.

Vs. 25 *τὶν δ' αὐτᾷ καλὸν ἄλσος ἐποιήσαντο Πελασγοί.*

Loco laboranti succurrerunt Schneiderus et Wilamowitzius, quorum ille: *τεῖδ' αὐτᾷ*, hic: *τῇ δ' αὐτᾷ* legi iussit. Propius ad verba tradita accedas, si mecum scribas: *τὶν δ' αὐτεῖ.*

---

1) Cf. Verg. Aen. IV, 480 sqq.

2) Reclus, l l. p. 28: „La capitale de Barka étant en relations constantes avec les oasis du désert par des caravanes, qui naguère traînaient après elles des chiourmes d'esclaves, la population de Benghazi est très mélangée: l'élément nigritien est fortement représenté parmi tous ces descendants de Berbères et d'Arabes."

AD TACITI H. I, 40.

Agebatur huc illuc Galba vario turbae fluctuantis impulsu, completis undique basilicis ac templis, lugubri prospectu. Neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti vultus et conversae ad omnia aures.

Planene obmutuisse illam credamus multitudinem? Dixeris hoc ipsum *attonitorum* esse. Sed *vultus* legimus attonitos fuisse, *aures* vero pronas ad omnia excipienda. Ergo erant et qui loquerentur clamarentque, sed alius alia: neque populi aut plebis *una* vox (sic legendum), sed ut ipse Galba modo hoc modo illud fieri iubebant.

J. J. H.

Digitized by Google

PULMO MARINUS.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Saeculis fere duodeviginti ante Americam a Christophoro Columbo repertam regiones nostrae ab Europae meridianae incola primum aditae atque cognitioni contemplationique hominum, qui tunc erant cultiores eruditioresque, apertae sunt. Pytheas Massiliensis fuit, qui inter annos 330—325 a. C. n. hanc terrrarum partem visit itinerisque sui descriptionem περὶ ὠκεανοῦ inscriptam emisit. Cuius itinerarii temporum iniquitate deperditi nonnulla vestigia manserunt: supersunt fragmenta vel potius annotationes apud Strabonem, quas eo consilio commemoravit ut iudicium quod de iis Polybius tulerit cum legentibus communicaret. Hoc autem iudicium nusquam non pusillum, iniquum, malignum esse cuivis iam constat: amicus ille Scipionum superbiens aemulum suum in explorationibus geographicis misere detrectabat, quippe cui pro argumento esset illud: πῶς ἰδιώτῃ ἀνθρώπῳ καὶ πένητι τὰ τοσαῦτα διαστήματα πλωτὰ καὶ πορευτὰ γένοιτο; Nos vero de Pythea idem valere iam scimus quod vir nobilis Britannus H. Yule de Marco Polo, mercatore Veneto, affirmat: „It is a great book of puzzles, whilst our confidence in the man's veracity is such that we feel certain every puzzle has a solution." Neque Pytheae fides a viris doctis hodiernis in dubium vocatur, sed aenigmata, quae nobis proposuit atque adeo proposuisse sive a Polybio sive a Strabone vel etiam a Plinio dicitur, intricatiora sunt quam quae a posteris facile solvantur. De reliquis quaestionibus nunc non loquor, sed lectorem ad libros refero quibus de iis disceptatur; unum modo locum hic tractare lubet, non tam ut meam qualemcumque explicationem

Digitized by Google

exponam quam ut eum male lectum ac male intellectum esse demonstrem, ita ut ad conclusiones perversas non neminem duxisse videatur. Locus autem apud Strabonem (II C. 104) hic est:

Πολύβιος δὲ τὴν Εὐρώπην χωρογραφῶν τοὺς μὲν ἀρχαίους ἐᾶν φησι, τοὺς δὲ ἐκείνους ἐλέγχοντας ἐξετάζειν Δικαίαρχόν τε καὶ Ἐρατοσθένη τὸν τελευταῖον πραγματευσάμενον περὶ γεωγραφίας, καὶ Πυθέαν, ὑφ' οὗ παρακρουσθῆναι πολλούς, ὅλην μὲν τὴν Βρεττανικὴν ἐμβαδὸν ἐπελθεῖν φάσκοντος, τὴν δὲ περίμετρον πλειόνων ἢ τετττάρων μυριάδων ἀποδόντος τῆς νήσου, προσιστορήσαντος δὲ καὶ τὰ περὶ Θούλης καὶ τῶν τόπων ἐκείνων, ἐν οἷς οὔτε γῆ καθ' αὑτὴν ὑπῆρχεν ἔτι οὔτε θάλαττα οὔτ' ἀήρ, ἀλλὰ σύγκριμά τι ἐκ τούτων πλεύμονι θαλαττίῳ ἐοικός, ἐν ᾧ φησι τὴν γῆν καὶ τὴν θάλατταν αἰωρεῖσθαι καὶ τὰ σύμπαντα, καὶ τοῦτον ὡς ἂν δεσμὸν εἶναι τῶν ὅλων, μήτε πορευτὸν μήτε πλωτὸν ὑπάρχοντα· τὸ μὲν οὖν τῷ πλεύμονι ἐοικὸς αὐτὸς ἑωρακέναι, τἄλλα δὲ λέγειν ἐξ ἀκοῆς.

ταῦτα μὲν τὰ τοῦ Πυθέου, καὶ διότι ἐπανελθὼν ἐνθένδε πᾶσαν ἐπέλθοι τὴν παρωκεανῖτιν τῆς Εὐρώπης ἀπὸ Γαδείρων ἕως Τανάιδος.

Fr. Kaehler anno 1903 Halis Saxonum librum emisit, quem inscripsit „Forschungen zu Pytheas' Nordlandsreisen", cuius consilium totum fere hoc est ut e Polybii verbis eliciat, itinera Pytheae duo fuisse, alterum in Britanniam, alterum praeter continentis Europae litora usque ad Tanain flumen factum; eum in expeditione priore, cum a Britannia revertisset, ad vada illa innumerabilia ac limosa pervenisse, quae litora Germaniae septentrionalia praetexunt, ibique *τὸ σύγκριμα πλεύμονι θαλαττίῳ ἐοικός* cognovisse. Quod quale sit deinde nos docere conatur: plagam illam esse eiusmodi ut elementa ibi quasi permixta sint ita ut nullum ex iis per se manifestum umquam fiat sed aliud in aliud semper transgrediatur; terram, aquam, aërem mixtura quadam numquam ante ab eo visa, quae pulmonis instar oceani susque deque se movens neque pedibus calcari neque navi percurri possit, simul id agere ut cum quarto elemento iungantur, cum *ἀήρ*, elementum igni proximum, sub nebulae forma ad eius patriam, quae in aethere et inter convexa caeli sit, enitatur itaque pontem ad caelum terramque copulanda efficiat.

Ecce quae disputatione copiosissima vir doctus nobis persuadere studuit idemque philologos peregrinos ac barbaros blande monuit ne forte sperarent fore ut ipsi quoque in spissis illis tenebris

Digitized by Google

lucis aliquid afferre possent [1]). Neque ego, cum Teutonus non sim, tale quid conabor: hoc tantum qua par est verecundia in medium proferre mihi, Batavo viro, liceat.

Quicumque opinione non praeiudicata Polybii verba apud Strabonem perlegerit, additamentum illud τὸ μὲν οὖν τῷ πλεύμονι ἐοικὸς αὐτὸς ἑωρακέναι, τἄλλα δὲ λέγειν ἐξ ἀκοῆς maximi momenti in iis interpretandis esse intelleget: sana ratione usus agnoscet, Pytheae non plura adiudicari oportere quam ea quae Polybio auctore ipse se vidisse asseveravit, reliqua vero, quae non nisi fando se audiisse testificatus est, non ei esse assignanda. Quid autem Pytheas ipse vidit? Nempe τὸ τῷ πλεύμονι ἐοικός, cetera omnia, quae de pulmone illo narrantur, auditu percepta rettulit. At Kaehlerus non ita. Verba τἄλλα δὲ λέγειν ἐξ ἀκοῆς ad vocabula spatio longe remota τὰ περὶ τῆς Θούλης spectare ratus cetera quae sequuntur ita tractat tamquam si Pytheas omnia a se spectata tradiderit (cf. p. 116).

Quae cum ita sint, tota viri docti argumentatio maxime αἰωρεῖται, non suo nititur fundamento, deest in ea vere ὁ δεσμὸς τῶν ὅλων. Licet nimirum rogare quid τὸ τῷ πλεύμονι ἐοικός fuerit, quod ipse Pytheas vidit; licet etiam rogare quid tandem fuisse verisimile sit quod non nisi fando se cognovisse intulit, narrationes dico de Thule deque locis illis, ἐν οἷς . . . ὑπάρχοντα. At non licere aio, res e fontibus tam diversis petitas, quales sunt incerti hominum barbarorum rumores et αὐτοψία ac professio viri expertae fidei, in unum confundere, ex aequo iudicare, denique huic uni omnes imputare.

Equidem cum ambages tortuosas atque obscuras, quas ab incolis narratas Pytheas rettulit, acriori Teutonorum iudicio solvendas libenter committam, tum pacem peto veniamque de uno monstro, quod ipse vidit, sententiam meam proferendi.

Quid igitur τὸ τῷ πλεύμονι (θαλαττίῳ) ἐοικός fuisse videtur?

In Oceani partibus sive septentrionalibus seu meridianis mare momento temporis rubescere naviganti saepe videre licet. Aquas sanguine tinctas dixeris, qui color inexplicabilis extenditur quo longissime oculi conspectum ferre possunt. Non solis radiis de-

1) p. 107: „wenn es möglich ist, in dieses Dunkel Licht zu bringen, so wird die deutsche Philologie und Wissenschaft es sein, welche auch hier über kurz oder lang den Preis erringt."

Digitized by Google

betur neque plantis, verum infinitae animalium crustatorum multitudini, quibus beluae marinae vulgo vescuntur. Hae bestiolae, quae tam exiguae sunt ut fere insecta marina eas vocare possis, qua visus est quasi brevia rubicunda atque immensa effingunt. Piscatores 'cibum balaenarum' vocant. Per piscatus enim tempora ubi primum cetarii vada sanguinea conspiciunt, certatim iacula hamata ac funes promunt aptantque pugnae: iam constat feram haud procul abesse. Cum vero linter marginem loci colorati iam legit, remi ab altera parte in undas virides liquidasque immerguntur, ab altera guttae sanguineae a palmis destillare videntur: mox sonum nullum reddens scapha per aquarum suppinguium superficiem in beluam praelabitur tamquam si per oleum effusum vehatur. Haec autem ubi semel inter rubras illas undas versatur, cenam suam paratam invenit: nil amplius iam opus ei est quam rostrum immensum aperire, quo rictu vis ingens crustatorum sine mora recipiatur, dum barbae multiplices, quibus palatum beluae munitum est, velut retia piscatoria distenduntur: iam nihil inde evadere potest atque immensa crustatorum copia in enormem stomachum ultro demergitur. Ipso eo tempore, quo heluo immanis genio indulget, ei appropinquare atque letale vulnus inferre opportunum est.

Licetne suspicari, oculos Pytheae istam maris speciem conspicatos esse undis suis rubicundis per vices ac paulatim modo se attollentis modo desidentis? Nonne id spectaculum animum eius ita afficere potuit ut pulmonem illum marinum aspicere sibi videretur, de quo tot mirabilia fando audiisset?

Interpretes fere omnes quantum scio adhuc voce πλεύμων θαλάττιος loco Straboniano animal significari crediderunt, quod apud zoölogos modo 'aurelia aurita', modo 'pelagia noctiluca', modo 'rhizostoma pulmo', apud nostrates 'kwal', apud Britannos 'jelly-fish' nuncupatur, atque tertium comparationis in similitudine quaesiverunt, quam inter τοῦ συγκρίματος materiem et massam corpoream eius bestiolae intercedere putabant. Secundum meam interpretationem Pytheas de eiusmodi animali nequaquam cogitavit, sed Oceani partis externa species ac motus animum eius induxerunt ut quasi τὸν τῆς θαλάττης πλεύμονα h. e. pulmonem marinum intueri sibi videretur.

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e pag.* 289.)

DE GARRULITATE.

Emersit e vadis et praetervecta est scopulos disputatio nostra: post scripta quaedam vel lacera vel spuria vel denique amoenitatis haud multum praebentia ad suavissimum illum *de garrulitate* pervenimus librum, sive, ut accuratius appellem, *de morbo hominis qui silere non potest*, quem nobis titulum statim in initio ipse subministrat scriptor, ubi lepidissimo utitur vocabulo ἀσιγησία. Quem si quis sua velit ornare laude dignum esse dicat qui cum libro *de fraterno amore* coniungatur: eundem enim statim utrobique agnoscis „philosophum", doctum, prudentem, lepidum: Et tamen aliquid haud leve inter duos hos libros interest. De fraterno amore Plutarchus scripsit ut *legeretur*, at noster liber dubium non est quin sit oratio in magno aliquo hominum conventu habita. Hoc ut primum demonstrem hosce afferre locos velim (510 D):

„in garrulis hoc observamus, eos cum amari cupiunt sui movere odium, cum iucundi esse volunt molestos esse, cum admirationem movere rideri, impensas facere sine ullo lucro [1]):

1) Sic nunc do cum vetusto interprete; semper tamen dubito annon rectius οὐδέν cum ἀναλίσκουσιν iungatur: „lucrum faciunt garruli, nihil impendentes ipsi" h. e. „rumusculos venditant quos gratis acceperunt". Difficulis est optio. Interpres partem ea verba facit iniuriarum quibus *semet ipsos* afficiunt garruli; si altera accipis ratione, melius cum sequentibus ἀδικοῦσι τοὺς φίλους iunguntur.

Digitized by Google

iniuria afficiunt amicos, prosunt inimicis, semet ipsos pessumdant"
cum eo qui mox sequitur (510 E):

„deinde adversus hunc morbum utendum est contrariorum consideratione, semper audientibus, recordantibus, in promptu habentibus taciturnitatis laudes, silentiique grave illud, sanctum, augustum, maioremque sui movere amorem, admirationem, sapientiores denique haberi quam effrenes istos concitatosque eos qui in se sint teretes et rotundi, breviloqui, quorumque in paucis verbis sapientiae multum comprehenditur"
denique eum quem p. 514 A habes:

„in narrationibus est loquacissimus is qui multa legit, in artis vocabulis grammaticus, in exterarum gentium descriptionibus vir qui multum peregrinatus est multosque vidit populos."

Eiusmodi loci illi sunt ut etiam qui latinam eorum audit interpretationem statim *oratorem* agnoscat; in primo tertioque quicunque Graece scit continuo sentit quam suaviter ad aures accedant adiectiva illa verbaque similiter sonantibus clausa syllabis.

Tum paulo accuratius consideremus id quod legimus 511 E:

„tantam habet in omnibus rebus vim consuetudo: age de illa iam dicamus"
ipsum, ut opinor, conspicimus oratorem in suo stantem suggestu.

Sed ex quo genere oratorum hic sit scire etiam volumus. Docebit hoc lepidissima disputatiuncula, quae mox sequitur (511 F):

„Consilium non tendit eo quo cursus equorum
Sophocles ait; sed neque eodem tendit is qui loquitur respondetque; illic enim is victoriam reportat qui primus advenit, at in loquendo, cum alius quispiam sat bene *responderit*, plaudere decet et probare: benevoli enim id hominis esse videtur; cum minus bene, neque importuni est neque invidi id quod ille *nescierit* explicare, quod omiserit supplere. Sed prae ceteris *caveamus*, cum *interrogatur* alius, ipsi ante illum respondere. Omnino non est urbani hominis, cum ab alio petitur aliquid illum submovere nosque ipsos offerse; iniuria haec est adversus alterum tamquam par non sit praestando id quod rogatur, ad-

Digitized by Google

versus alterum tamquam artem ignoret inde petendi unde possit accipere. Sed maximam habet contumeliam ista petulantia et protervitas in *quaestionibus dissolvendis*. Videtur enim is qui praecurrit *respondendo* illum qui interrogatus est hoc dicere: „huncine rogas illud; quid sapit iste" vel „me praesente alium *rogare* non oportet." Et tamen saepe aliquem rogamus aliquid non ut ab eo aliquid cognoscamus, sed ut vocem quae comitatem testetur eliciamus vel ut illum quoque ad nostrum alliciamus colloquium, ut Plato fecit in Theaeteto et in Charmide. Ergo praeripere alicui responsum, rogantis ad nos convertere aures eiusque ad nos trahere mentem non minus est absurdum quam ad eum qui ab alio se cupit salutari accurrere eumque amplecti, vel ad nos convertere oculos eius qui cum maxime alium adspicit. Quin etiam cum qui interrogatur omnino nihil habet quod respondeat, paulisper exspectare decet, deinde responsum suum ad rogantis sententiam accommodare, denique verecunde atque submisse accedere tamquam si veniamus pro alio qui invitatus sit. Nam si quis qui interrogatus est in respondendo errorem committit, iure huic parata est venia. Sed qui sponte pro alio surgit eique responsum praeripit, etiam si recte respondit molestus habetur, si vero a scopo aberrat derident eum omnes eiusque gaudent infortunio."

Audimus hic, opinor, magistrum et praeceptorem, qui semper et ubique *discipulorum* habet rationem, quamquam non illos solos sed simul semet ipsum admonet et a vitiis abducit. Sed *habita* haud dubie est oratio in contione ad quam magna et *varia* confluxit hominum multitudo. Cognoscite mihi ipsum libelli exordium, non magistri illud est sed *mentis medici*:

„loquacitas *morbus* est quae difficile curatur, nam medicamentum eius e *verbis* componitur, et verba sunt audienda; garruli autem nunquam quemquam audiunt, ipsi semper loqui volunt. Hoc primum habet ille nunquam silendi morbus quod audire vetat: voluntaria quaedam est surditas hominum naturam reprehendentium quod ab ea singulas acceperint linguas, aures binas."

Deinde observate quantam habeat tota persuadendi movendique vim disputatio, praesertim cum profertur eo loco quo omne confluxit hominum genus. Quam efficax ibi argumentum illud

Digitized by Google

est, eum qui morbo isto laboret semper assequi contrarium eius rei quam appetivit (502 E):

„Maxima silentii et taciturnitatis emolumenta sunt audire et audiri; quorum neutrum garrulo contingit. In ea ipsa quam petunt re adversa utuntur fortuna. Alii mentis morbi, avaritia, gloriae cupido, voluptas, saltem ea obtinent quae cupiunt obtinere, garrulos vero is manet dolor maximus quod auditores habere volunt sed nunquam possunt: quisque enim eos fugit; cum ad colloquendum consederunt homines vel simul ambulant, ubi garrulum vident accedentem sermone abrupto vel ambulatione discedunt."

Vel illud quod petitur e comparatione garrulitatis cum ebrietate (503 D E):

„Quicunque homo est verecundus et amans decoris ebrietatem vitabit. Iram aiunt esse vicinam insaniae, ebrietatem vero cum illa in iisdem habitare aedibus. Revera ebrietas tempore minus est mala quam insania sed origine multo est peior: est enim insania quam sponte aliquis petivit." „Quid autem" sic orator pergit „turpissimum habet ebrietas? Num quod, ut est apud Homerum, ad cantandum, ridendum, saltandum adducit? In his rebus mali nihil inest. Sed quod silere vetat."

Hic tamen fortasse locus aptissimus est ad *audientium* devinciendas mentes, ubi orator cur prorsus intolerabilis sit garrulitas describit (504 C):

„Lysias quondam cuidam viro, qui in iudicium erat vocatus, orationem scripserat; domum secum eam tulerat ille. Qui cum aliquoties eam legisset, abiecto plane animo ad Lysiam rediit dixitque sibi orationem illam, cum primum legeret, praeclaram visam esse, sed denuo tertiumque legenti languoris taediique plenam. Tum Lysias: quid tum? nonne semel eam ad iudices es habiturus? Et fuit Lysias ille orator, cui maxima vis summaque venustas:

comatae violis Musae cui semper amicae

possum enim de eo Pindari uti verbis. Homerum ipsum verissime quidem aiunt solum esse hominem qui taedium moveat nunquam, quia ipsa eius venustas faciat ut semper videatur novus recensque. Et tamen ille quoque de se profatur:

perspicue dictum rursus narrare recuso

Digitized by Google

strenueque dat operam ne unquam incurrat in malum illud quod semper cuivis poetae et scriptori insidiatur: audientium satietas. Sed garruli usque repetitis suis narrationibus aures hominum implent, velut si atramento commaculârent nullius pretii chartulas."

Sed maxime illud consilium non monendi solum sed etiam delectandi multiplex variumque auditorum genus, qui neque omnes philosophiae dant operam neque illius sibi magistrum expetiverunt Plutarchum, inde elucet quod Homerum suum imitatus tam bene varietatis habet rationem. Usque nova offeruntur exempla quorum nullum non proposito suo aptissimum, nam

monent praecepta, secum exempla homines trahunt,

et hoc semper ante oculos habet hic orator, qui nunquam obliviscitur multo maiorem auditorum suorum partem indoctam esse hominum plebem, qui nunquam philosophiae sint initiati mysteriis. Inde vere admirabilis illa narratiuncularum copia et varietas. Quarum aliae sunt vulgo notae, saepius apud ipsum Plutarchum leguntur, nostra quoque aetate volitant per ora virorum qui aliquid habent literularum, aliae rariores sunt reconditioresque, apud solum inveniuntur Plutarchum sic exornatae, pleraeque, atque eae quae maximi sunt momenti, hoc solo leguntur loco. Sed hoc commune habent omnes quod proposito suo sunt aptissimae, quod legentem revera docent aliquid, quod ita proponuntur ut eum et commoveant et detineant. Has ergo omnes hic, in duo illa divisas genera vel obiter vel paulo accuratius referam: miraberis tantum earum numerum suum sibi locum invenisse in libello qui non plus triginta duas implet paginas Teubnerianas. Sed hoc praemittam: consulto non tangam quaestionem unde omnes hasce habeat fabellas, nullius enim momenti ea est cum componendi artem qua in scriptis moralibus Plutarchus usus est suo vis aestimare pretio, nisi forte contendere lubet Plutarchum omnes immutatas eodemque ordine ex aliquo ceteroquin ignoto transtulisse auctore — ad eam autem sapientiam nondum quisquam nostra prolapsus est aetate. Nam compendiis conspectibusque tam narrationum quam sententiarum quin usus sit Plutarchus quis dubitet? Quid quod ipse — quemadmodum alibi iam diximus — ipse sibi eiusmodi paravit

Digitized by Google

instrumenta. In hoc ipso vero libro insignis ille locus legitur ubi quo modo iis utendum sit exponitur (p. 511 A).

Probe ergo notae atque adeo decantatae narratiunculae, quae in libro de garrulitate leguntur, hae sunt:

1 Sulla Athenas obsidebat sed aliis eum alio vocantibus rebus iam copias suas inde erat moturus cum forte in tonstrina unus ex eius exploratoribus senes quosdam audiebat nugantes de moenium parte quadam non custodita. Quod ubi ad Sullam est perlatum, statim ab ea parte impetum fieri iussit, urbem expugnavit dirissimasque de incolis sumsit poenas. Quas et ipsas Athenienses eo provocaverant quod silere non potuerant. Etenim quamdiu Sullae milites ibi nihil agentes considebant usque stantes in moenibus cantaverant:

est facies Sullae conspersum polline morum.

(Aptissime ergo hic duo noster inter se iunxit exempla e quibus quae afferat pericula ἡ ἀσιγησία apparet).

2 Zeno ne sociorum suorum secreta traderet linguam demorsam in os conspuit tyranni.

3 Leaena Harmodii Aristogitonisque amica post heroum illorum interitum crudelissimos perferre cruciatus maluit quam socios eorum proderet. Quapropter postea Athenienses in honorem eius monumentum posuerunt quod et virtutem eius clare testaretur et ipsius quoque nominis servaret memoriam: erat leaena cuius os (apertum, ut opinor) lingua carebat.

4 Ulysses cum uxore, filio, nutrice depinguntur tamquam taciturnitatis exempla. Uxor promisit se ligno vel ferro parem fore duritie, ipse vero, quamvis esset commotus illius conspecta tristitia, etiam oculis suis imperitabat, ita ut *cornei* viderentur vel *ferrei*.

5 Pittacus a rege Aegypti rogatus ut sibi eam mitteret carnem quae simul esset optima pessimaque, linguam ei misit ex hostia exemptam.

6 Eorum qui Ibycum occiderant unus, cum supra theatrum, in quo considebant, grex gruum volitabat, continere se non potuit quin clamaret: „en Ibyci grues".

Minus notae, partimque etiam satis reconditae, hae sunt:

1 De Pisonis in Neronem coniuratione res nobis narratur cognitu dignissima neque usquam alibi tradita. Mirum in mo-

Digitized by Google

dum hic Plutarchus recedit a Tacito, cuius Annales, cum hunc scribebat libellum, *fortasse* cognitos habuit. Quod si ita est, nunc quoque videmus eum non magno opere laborasse ut libros illos, admodum obscure scriptos, atque ei certe satis difficiles lectu qui, ut Plutarchus, in sermone latino parum profecisset, accurate cognosceret. Sic enim narrat:

vir, cui imperatoris occidendi sors obtigerat (Scaevinum hic Plutarchus non nominat), cum ad theatrum ambularet, ante fores (Palatii ut opinor) servum conspexit vinctum, qui ad imperatorem adducebatur et de sua lamentabatur sorte. Accurrit ad eum Scaevinus et „precare" ait „ut hicce dies feliciter exigatur, postea mihi habebis gratias". Dictum istud arcanum servus arripuit, secumque hoc cogitans

stultus, adest si quid, spernit sequiturque remota

certam incertae praetulit salutem. Scaevini dictum ad Neronem detulit: statim ille prehensus est, omne tormentorum genus adductum; „tum" sic et lepide et sapienter suam claudit narratiunculam Plutarchus „adversus omnes illas necessitates infitiari conabatur id quod sine ulla necessitate protulerat."

2 ipsa narratio satis nota est: „regis Antiochi filius, cum patrem rogasset quota moturi essent, ille „metuisne" respondit „ne solus tubicinem non sis auditurus?" Sed nova est, eaque lepidissima disputatio quam addit Plutarchus: „ergone, dixerit aliquis, secretum non committebat ei cui totum regnum esset commissurus? Immo in eiusmodi rebus eum continere se et cautum esse docebat."

3 eiusdem est generis: „Metellus, cum in expeditione eiusmodi aliquid rogabatur, si tunicam meam, ait, id scire scirem, exuerem atque in ignem iniicerem."

4 lepidissima narratio lepidissime ad legentium convertitur usum: „Eumenes, audito Craterum in se castra movere, amicorum neminem rem edocuit sed Neoptolemum adventare simulabat. Hunc enim Eumenis milites despiciebant, illius gloriam virtutemque metuebant. Fraus latuit omnes, quo factum est ut Eumenis copiae splendidam de Cratero reportarent victoriam, ipsum occiderent, mortuum demum agnoscerent."

Quae res philosopho facultatem praebet salse sic disputandi: „in illo proelio dux fuit taciturnitas, ea fecerat ut metuendus

Digitized by Google

ille ignoraretur adversarius. Ideoque et amici Eumenis magis admirabantur eum quam aegre ferebant quod ipsos non fecisset secreti participes. Quodsi in eiusmodi casu aegre fertur tua taciturnitas, praestat reprehendi postquam salvus evaseris non habita amicis tuis fide, quam illos reprehendere posse quod iis confisus in magnum incurreris malum."

5 Novimus omnes iocosam historiolam quam refert Gellius (I, 23), fictam illam, ut equidem opinor, a Catone qua mulierum levitatem loquacitatemque rideret. Solebat enim ille eiusmodi facetiis suas ornare orationes; qui poterat autem salsius exhilarare orationem in mulieres habitam (puta illam pro lege Voconia) quam narratiuncula illa de Papirio Praetextato? Hanc plane immutatam, et tamen eandem, nostro loco Plutarchus profert: nullae ibi sunt praetextati filii partes, ipse senator uxorem suam decipit mendacio multo magis ridiculo quam illud est quod nobis Gellius exhibet, et arte narrandi longe noster Gellium, putidum magistellum, vincit. Et de suo lepidissimam hanc addit observationem: „sic experimento, in quo nihil erat periculi, uxorem suam deprehenderat senator ille: in vas pertusum non vinum oleumve sed aquam infuderat."

6 De reconciliatione Augusti et Agrippae Postumi ea nobis traduntur quae mirifice recedant a Taciti narratione. Hoc certum est ignotam eam fuisse Plutarcho sicut nos habemus, inepto additamento ita perturbatam ut nullo te extricare modo possis [1]). Quam si Plutarchus legisset, prorsus, ut opinor, ab ea abstinuisset potius quam quidquam de tota re narrare tentasset. Nunc haec narrat:

„Fabius [2]), Augusti amicus, conquerentem audivit imperatorem de gente sua exhausta: duo mortui erant nepotes, quique solus supererat Fabius falso crimine damnatus exul erat. Et nunc adoptandus ei erat tertiae uxoris filius, quamvis eum illius damnati nepotis misereret, quem et ab exilio erat revocaturus. Fabius, cum sic lamentantem audisset Augustum, rem uxori narravit, illa Liviae. Atque illa graviter cum marito expostulavit quod, si iam revocaturus illum esset exulem, non iam pridem

1) Cff. Analecta Tacitea mea p. 212 sqq.

2) Legendum enim Φάβιος, non, ut traditum est, Φούλβιος, namque *est* illi Augusti amico Fabio nomen.

Digitized by Google

fecisset illud, sed se in invidiam odiumque apud futurum adduxisset imperatorem. Postridie cum de more Fabius ad Augustum venisset eumque sic alloqueretur: salve imperator, responsum tulit: vale Fabi. Quod quid sibi vellet statim intellexit, domum rediit uxoremque sic est allocutus: secretum a me prolatum imperator deprehendit, nunc mihi est moriendum. Atque illa: meritas das poenas, qui cum me per multos habueris annos uxorem tamen quam essem loquax nunquam intellexeris neque istud vitium caveris. Sed me sine priorem. Sic fata gladio arrepto semet percussit."

7 Seleucus, cui glorioso cognomen, in proelio cum Gallis exercitum totum cumque eo regnum perdiderat, positaque corona equo aufugerat cum paucis fidelibus; diu per difficiles aditu regiones errabat, tandem inopia coactus ad villam quandam accessit; forte domi erat dominus, quem ergo panem aquamque rogabat. Ille vero et haec ei dedit et praeterea large praebebat quaecunque in suo nascerentur agro, dumque benigne eum invitabat regis agnovit vultum. Atque laetus quod regem beneficio afficere sibi licuisset, non se continuit neque regis adiuvit mendacium, sed ad viam usque prosecutus sic ei valedixit: vale Seleuce rex. Tum rex dextra protenta hominem ad se tamquam osculaturus attraxit, signumque dedit comitum suorum uni:

haud mora, procidit in terram caput ecce loquentis.

Quam narrationem lepidissime verissimeque sic noster concludit: „si paulisper etiam se continuisset, postea multo maius tulisset silentii quam benignitatis praemium."

8 Lepidam lepideque narratam fabellam in fine additamento quodam ipse, ut opinor, narrator exornat:

Tonsores loquaciores esse solent, haud mirum: apud illos enim otiosi et loquendi cupidi solent desidere homines. Sic tonsor fuit qui primus Athenienses fecit certiores de clade in Sicilia accepta. Cognoverat rem a servo qui inde aufugerat. Omissa ergo taberna sua procurrit in forum

ne prior accurrens alius se fraudet honore.

Nova res haud leviter civium animos conturbavit. Fit contio in qua auctor quaerebatur nuntii. Tonsor adducitur, interrogatur, sed hominem qui sibi narrasset nominare non potuit. Clamare omnes incensi ira: tormenta adhibeantur nefario isti, qui istud

Digitized by Google

sceleste est commentus mendacium. Quis enim praeterea audivit fidemque habuit? Affertur rota, miser ille in ea extenditur. Interea certi aderant nuntii, qui ex ipsa fugerant clade. Discedunt homines, pro se quisque luget, vinctus relinquitur in rota infelix tonsor. Sub vesperam demum carnifex ad solvendum eum venit. Quem statim ille interrogat: ecquid de Nicia audisset, et quo modo ille interiisset.

„Tam insanabilis" sic noster disputat „fit consuetudine morbus loquacitas".

9 Aptissima haec est narratio ad audientium animos commovendos. Chaeronensibus omnibus ignotam eam fuisse suspicor, nam nescioquid habet reconditi.

Spartae in sanctissimo templo sacrilegium factum erat horrendum, neque ullum inveniebatur vestigium praeter ... inanem lagenam. Quaerere omnes et huc illuc versare mentem. Ibi unus ex iis qui confluxerant: videor mihi dicere posse lagena ista quid sibi velit; sacrilegos opinor propter sceleris immanitatem prius cicutum bibisse et vinum attulisse ut, si in templo non essent deprehensi, vini lagena epota salvi evaderent, aut, si deprehenderentur, leni perirent morbo et tormentorum effugerent atrocitatem. Quod cum ille dixisset, omnes intellexerunt tam intricati aliquid et acuti *comminisci* eum non potuisse sed narrasse quod *sciret*. Undique ad eum concurrere homines et „quis es" rogare „quis te cognoscit, unde hoc habes?" Sic ad incitas redactus se unum esse e sacrilegis confessus est.

10 Narratiuncula est ex historia Romana. Vix ullus Plutarchi liber illis caret. Haec autem dubium non est quin ipsa novitate Graeculos detinuerit. Exemplo Plutarchus docet quam utile sit, id quod nunquam facit garulus, aurem praebere loquenti et a re proposita non aberrare. Pupius Piso, quoniam loquaces homines ferre non poterat, servos suos vetuerat quidquam respondere praeter id quod rogati essent. Forte autem evenerat ut Clodium, quem sibi reddere amicum cupiebat, ad cenam invitasset. Laute apparatur convivium, ad tempus omnes adsunt praeter unum Clodium. Iterum iterumque servum, qui invitandi fungebatur officio, prospicere iubebat iamne Clodius adventaret. Sub vesperam demum, cum iam de eo esset desperandum, Pupius servum invitassetne rogavit. Atque ille „profecto invitavi".

Digitized by Google

„Cur ergo non venit"? „Quia recusavit". „Cur non statim hoc mihi dixisti?" „Quia non rogasti".

In risum hic erupisse opinor omnes qui sic narrantem audirent magistrum dilectissimum.

Nam monendo delectare et delectando monere res est quam minime hic dedignatur philosophus. Atque egregie illam callet artem. Non solum audita salsissime renarrare potest sed et salsi aliquid comminisci ipse. Sic, ut unum hoc exemplum e nostro protraham libello, lepidissime docet tres esse quasi gradus respondendi: responsum necessarium, come, superfluum:

Rogatus domine sit Socrates is qui tantum non invitus respondet „non est" respondebit aut plane Spartanos imitatus uno erit vocabulo contentus: hi enim, a Philippo rogati vellentne se in urbem recipere, nil nisi ingentem literam O in charta pinxerunt. At qui paulo comis magis esse vult, dicet: „non domi est sed apud mensas", potestque etiam addere: „ibi enim hospites quidam ei sunt conveniendi". Loquax vero et garrulus homo, tamquam si Antimachi volumina perlegisset, hunc proferet verborum fluctum: „non domi est sed apud mensas; ibi enim ei conveniendi hospites quidam sunt de quibus ad eum scripsit Alcibiades, qui nunc Mileti est et Tissapherne Persarum regis satrapa utitur amico; Tissaphernes enim antea Spartanis ferebat opem, at nunc Alcibiadis causa favet Atheniensibus, quoniam Alcibiades in patriam suam revocari cupiens cum maxime mentem eius alio vertit" .... et sic usque ad finem libri octavi Thucydidis.

Et quam bene mentes hominum cognitas habuerit testatur haec quam garrulo commendat ad morbum suum sanandum medicina, quamque efficacem esse quivis paulo prudentior statim sentit: eam praesertim loquendi cave materiem quae tibi ipsi maxime est in deliciis, in ea enim plurimum latet periculi: bellator facile adducetur ut de rebus a se gestis garrulus fiat, causarum patronus de iudiciis, vir insignem in republica tenens locum de potentibus nobilibusque viris quibuscum est collocutus.

Denique dubium non est quin et iucundissima auditu haec fuerit Plutarchi oratio non ipsius solis discipulis neque collegis qui e vicinia Chaeroneam et venerant ipsi et suos adduxerant discipulos vel viris nobilibus qui undique ex imperio Romano

Digitized by Google

in Graeciam, matrem illam omnis disciplinae, iter fecerant eo praesertim consilio ut ibi familiaritatem contraherent cum illis qui laude literarum florebant, viris denique literatis et ipsis doctrinaeque cupidis sed etiam ipsius oppiduli incolis, rusticisque qui prope illud agros suos haberent. Sed magis etiam, si fieri potest, hoc pro certo nobis constat uberrimos illos omnes percepisse fructus ex illa fidissimi pastoris admonitione, quae et sapientiae et suavitatis tantum haberet. Abiisse inde omnes opinor, si non plane levatos morbo — nam ex insanabilibus unus ille esse videtur — at bene edoctos quid sibi esset faciendum ne gravior fieret ille et sensim ipso tempore invalesceret.

Ad singulos locos pauca — nam non multum hic critico relinquitur — haec annotabo;

502 B Statim in initio se prodit mentis medicus, vocabulis enim utitur quae in medici arte sunt legitima: *ἀναλαμβάνει θεράπευμα* et *φάρμακον*.

502 C Nequis dubitet quin in Plutarchi textum interdum aliquid e margine irrepserit: citatis versibus ex Euripide haec adduntur:

δικαιότερον ἄν τις εἴποι πρὸς τὸν ἀδόλεσχον [*μᾶλλον δὲ περὶ τοῦ ἀδολέσχου*].

Inclusa Stegmannus, quae est eius sagacitas, delevit.

502 E Postquam exposuit vix ulla medicina sanabilem esse morbum loquacitatem, sic pergit:

εἰ δ' οὖν δοκεῖ πείρας μηδὲν ἐλλελεῖφθαι, εἴπωμεν πρὸς ὦ παῖ, σιώπα· πολλ' ἔχει σιγὴ καλά. [*τὸν ἀδόλεσχον·*

Notata sic vertit interpres: „nihil intentatum *esse relinquendum*". Parum accurate, ut opinor. Hoc velle Plutarchus videtur: „si nobis nihil intentatum *relinquisse* videmur e. q. s.". „Postquam exhausta est omnis *agendi* materies, a *silentio*, hoc est a *non agendi* ratione, opem petamus.

502 F Cum appropinquantem vident garrulum discedunt omnes:

κἂν ἐν ἠγικυκλίῳ τινὶ καθεζόμενοι, κἂν περιπατοῦντες ἐν ταὐτῷ θεάσωνται προσφοιτῶντα.

Displicet *ταὐτῷ*, et quemadmodum *locus* in quo *sedere* collo-

Digitized by Google

quentes solent homines, suo nomine est significatus, sic hic silvae, horti, loci denique in quo solet *ambulari*, nomen desidero.

503 A Garrulus *πρόσκειται πανταχοῦ, τῶν ἱματίων ἀντιλαμβανόμενος, τοῦ γενείου, τὴν πλευρὰν θυροκοπῶν τῇ χειρί.*

Ipsam Plutarchi orationem, atque adeo orationis numeros, restituit Stegmannus ante *τοῦ γενείου* inserens *ἁπτόμενος.*

503 B Recte fecit Aristoteles qui garrulo ne aurem quidem praebuerit:

καὶ γὰρ ἂν βιάσωνται λαλεῖν οἱ ἀδόλεσχοι, παρέδωκεν αὐτοῖς ἡ ψυχὴ τὰ ὦτα περιαντλεῖν ἔξωθεν, αὐτὴ δ' ἐντὸς ἑτέρας τινὰς ἀναπτύσσει καὶ διέξεισι πρὸς αὐτὴν Φροντίδας.

Nimis exile atque adeo sensu cassum istud simplex *λαλεῖν*, sed *προσλαλεῖν* lege, omnia erunt egregie dicta: sapientes prohibere non possunt quominus *ad ipsos* garriat loquax homo, hoc utcumque semper, quae eius vis est (*βιάσωνται*), perficiet et obtinebit; sed penes ipsos est quominus dicta eius in mentem penetrent.

503 D *ὁ πυρὸς εἰς ἀγγεῖον κατακλεισθεὶς τῷ μὲν μέτρῳ πλείων εὑρίσκεται τῇ δὲ χρείᾳ μοχθηρότερος.*

Pro *πυρός* legendum esse *τυρός* monuit Naberus. *Rem* diiudicandam relinquo peritis, sed si de *caseo* hic locutus esset Plutarchus, equidem eum non comparativo *πλείων* verum *μείζων* usurum fuisse opinor.

503 E *μανίᾳ κατ' ἐνίους μέθη σύνοικος.* De hac sententia sic Plutarchus disputat:

μᾶλλον δὲ μανία τῷ μὲν χρόνῳ ἧττων, τῇ δ' αἰτίᾳ χείρων, ὅτι τὸ αὐθαίρετον αὐτῇ πρόσεστι.

Minor quam ... quid? Lege *μανίας*, optime procedent omnia: „temulentia tempore minor, causa turpior res est quam insania. Accedit enim quod est voluntaria."

Tum sic pergit: „eorum quae vulgo obiiciuntur temulentiae gravissima sunt ea quae ad loquendi pertinent abusum"
dein citat notos illos versus Homeri *οἶνος γάρ τ' ἐφέηκε* ....

Digitized by Google

ἀεῖσαι .... γελάσαι .... ὀρχήσασθαι quos redarguat. Nam *redarguendi* eos citari consilio apparet ex hisce:

καί τι ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον
τοῦτ' ἤδη δεινὸν καὶ ἐπικίνδυνον.

Quid autem inter duos illos Homeri locos interponi et potest et debet? Nihil aliud quam hoc: „quid autem cantus, risus, saltatio mali habent?" Tum enim aptissime additur clausula quam iam citavimus: *καί τι .... ἐπικίνδυνον.*

Rectissime hoc vinculum habet in Wyttenbachii lectione: *καὶ τί τὸ δεινόν* [1]*), ᾠδὴ καὶ γέλως καὶ ὄρχησις; οὐδὲν ἄχρι τοῦτων·*

καί τι ἔπος κτἐ.
τοῦτ' ἤδη δεινὸν καὶ ἐπ.

In qua prae ceteris probo interrogandi signum post *ὄρχησις* et semicolon post *τούτων*. Editor Graecus vero, licet ipsius codices *καὶ τί* habeant, haec dat:

καίτοι τὸ δεινότατον, ᾠδὴ καὶ γέλως καὶ ὄρχησις, οὐδὲν ἄχρι τούτων·

καί τι ἔπος κτἐ.
τοῦτ' ἤδη δεινόν καὶ ἐπ.

annotatque ad Wyttenbachii lectionem: „nihil opus". Suam sibi ergo habeat vir doctus, mihi merae eae videntur tenebrae.

504 A *Ἀθήνησι δέ τις ἑστιῶν πρέσβεις βασιλικοὺς ἐφιλοτιμήθη σπουδάζουσιν αὐτοῖς συναγαγεῖν εἰς ταὐτὸ τοὺς φιλοσόφους.*

Haec sic vertit interpres: „Athenis autem quidam convivium regiis legatis praebens, *operam dedit* ut iis *hoc cupientibus* philosophos eodem conduceret" parum accurate, nam *φιλοτιμεῖσθαι* non sic simpliciter „operam dare" significat; qui *φιλοτιμεῖται* dat quidem operam sed gloriam ex ea re cui operam dat appetit, vel sibi vel (ut hic) patriae suae, et nullus *φιλοτιμίᾳ* locus relinquitur si ipsi legati clamarunt: „ad nos arcesse philosophos aliquos vestros". Sed hoc voluit Plutarchus: „cum forte, ut saepe fit inter pocula, *de re seria disputare* coepissent convivae, hospes ille Atheniensis *gloriari cupiens* patriae suae sapientia, philosophos quosdam introduxit."

---

1) Conferatur Francogallorum illud: „où est le mal?"

Digitized by Google

504 B Turpiorem esse garrulitatem quam temulentiam sic demonstratur:

ὁ μὲν οὖν μεθύων ληρεῖ παρ' οἶνον, ὁ δ' ἀδόλεσχος πανταχοῦ ληρεῖ, ἐν ἀγορᾷ ἐν θεάτρῳ ἐν περιπάτῳ ἐν μέθῃ μεθ' ἡμέραν νύκτωρ.

Illud *ἐν μέθῃ* unde habeat non dicit editor Graecus, in Wyttenbachiana ea vocabula non leguntur. Concedo tamen singula hic cola e *binis* constare debere partibus, sed *ἐν μέθῃ* non recte cum *ἐν περιπάτῳ* iungitur. Primum ebrii quoque hoc habent ut nugentur *ἐν μέθῃ*, et nihil hic est proferendum quod garrulo cum ebrio sit commune, deinde requiritur aliquid quod recte *τῷ „ἐν περιπάτῳ"* opponatur, quod in verba *ἐν μέθῃ* non convenit, quae si in aliquo codice leguntur vitio nata suspicor e sequenti *μεθ'* quod veram lectionem expulerit, sive ea est *ἐν σχολῇ* sive *ἐν βουλῇ* sive aliud quid.

ib. Nusquam non omnium mortalium quotquot sunt molestissimus est garrulus:

ἥδιόν γε τοι πονηροῖς ὁμιλοῦσιν ἐπιδεξίοις ἢ χρηστοῖς ἀδολέσχαις.

Qui illi sint qui *ὁμιλεῖν* dicantur, et quid omnino sententiola haec sibi hic velit haud facile intelligas. Sed lege *ὁμιλεῖν*, optime procedent omnia: „iucundius est versari cum hominibus urbanis (qui in loquendo modum tenent) etiamsi malis sunt moribus, quam cum garrulis quamvis probis."

Aptissime tum haec annectuntur: „apud Sophoclem Nestor Aiacem iratum et asperis utentem verbis sic mitigat:

οὐ μέμφομαί σε· δρῶν γὰρ εὖ κακῶς λέγεις·

sed non ita habemus adversus garrulum: is enim sua importunitate corrumpit omnia." Ceteri homines vitia sua saepe aliqua tamen virtute compensant, sed garrulus quidquid boni habet vitio suo perdit.

504 D Denuo laudandus Stegmannus qui ex *ἀλλ' ὅμως* [*εἰπὼν καὶ*] *ἀναφωνήσας* absurdum sustulerit additamentum.

504 E Ipsum sermonem, quem nobis natura dedit bene nobis consulens, garruli omnium sibi malorum reddunt causam:

οἷς οἴονται χαρίζεσθαι λυποῦντες καὶ ἀφ' ὧν θαυμάζεσθαι καταγελώμενοι καὶ δι' ὧν φιλεῖσθαι δυσχεραινόμενοι.

Digitized by Google

Hic οἷς haud dubie *masculini* est generis, at δι' ὧν neutrius: eis rebus, *propter quas* amari sibi videntur, odium sibi parant. Si ἀφ' ὧν, quod editor ad Symbolas suas provocans defendere videtur, recte haberet, etiam neutrius esset generis. Sed sic neque cum verbo θαυμάζεσθαι neque cum καταγελᾶσθαι recte iungitur. Lege ergo ὑφ' ὧν. Garruli deridentur ab iis hominibus quibus admirationi se putant esse.

504 F τῶν δ' ἄλλων παθῶν καὶ νοσημάτων τὰ μέν ἐστιν ἐπικίνδυνα τὰ δὲ μισητὰ τὰ δὲ καταγέλαστα, τῇ δ' ἀδολεσχίᾳ πάντα συμβέβηκε.

Neque recte sic garrulitas ceteris morbis opponitur, neque omnino in verbis πάντα συμβέβηκε ullus inest sensus. Lege, ut optimam habeas sententiam: πάνθ' ἅμα σ. Cetera vitia suum quodque habent malum, garrulitas omnia simul.

505 C πορευόμενος εἰς θέατρον ἰδών τινα τῶν δεδεμένων ἐπὶ θύραις μέλλοντα προσάγεσθαι τῷ Νέρωνι.

Iam in referenda hac narratiuncula me de verborum ἐπὶ θύραις significatione dubitare significavi. Certe *non* de *theatri* foribus est cogitandum.

505 E Leaena, Harmodii et Aristogitonis amica, τῆς ἐπὶ τοὺς τυράννους συνωμοσίας ἐκοινώνει ταῖς ἐλπίσιν ὡς γυνή.

Vereor ut bene haec intellexerit interpres. Sic enim vertit: „in partem spei coniuratione in tyrannos conceptae venerat". Aut sensu cassa haec aut absurda. Sed hoc voluit Plutarchus: particeps erat coniurationis Leaena, sed, ut mulier, tantummodo spe tenus: optima quaeque precabatur coniuratis, ipsa operi manum non erat admotura.

ib. Tum magnifice illa Leaena sic laudatur:

καὶ γὰρ αὕτη περὶ τὸν καλὸν ἐκεῖνον ἐβάκχευσε κρατῆρα τοῦ ἔρωτος, καὶ κατωργίαστο διὰ τοῦ θεοῦ τοῖς ἀπορρήτοις.

Vellem *amoris* hinc abesset mentio, an „Platonicum" illum Plutarchus significat Harmodii et Aristogitonis amorem, qui virtutem spectabat et patriae libertatem?

Digitized by Google

506 C Pittacus, cum ad eum hostiam misisset rex Aegypti iussissetque

τὸ κάλλιστον καὶ χείριστον ἐξελεῖν κρέας ἐξέπεμψεν ἐξελὼν τὴν γλῶτταν.

Vel aures admonent non ferendum esse triplex istud ἐξ, sed disertius etiam admonet sententia quae simplex ἔπεμψεν flagitat.

507 B Mira est syntaxis in fragmento tragici quod citatur:

μικροῦ γὰρ ἐκ λαμπτῆρος Ἰδαῖον λέπας
πρήσειεν ἄν τις· καὶ πρὸς ἄνδρ' εἰπὼν ἕνα
πύθοιντ' ἂν ἀστοὶ πάντες

quae vix defenditur Xenophonteo isto: καὶ ἡ οἰμωγὴ ἐκ Πειραιῶς διὰ τῶν μακρῶν τείχων εἰς ἄστυ διῆκεν, ὁ ἕτερος τῷ ἑτέρῳ παραγγέλλων.

507 E In iocosa narratione de senatore uxorem commenticia fallente narratione hanc habes altercationem: οὐκοῦν οὐδὲν ἀκήκοας; γέγονε γάρ τι καινὸν ἄλλο; κόρυδος ὤπται κτέ. Sic traditum est; paulo melius R. ἀλλά legit et hoc cum sequenti κορ. ὤ. iungit. Totum delere malim, vix enim locus hic emphatico illi ἀλλά, quod tum recte esset positum, si is, quocum sermo fit, aliquod pertinaciae dedisset signum.

507 F absurde senator ille dicitur πειρᾶσαι τὴν γυναῖκα. Egregia emendatione Stegmannus ἐΦώρασε pro ἐπείρασε reposuit.

508 C Undique rumusculos corradunt ὥσπερ ὕλην πυλαίαν τινὰ Φορυτῶν τῇ Φλυαρίᾳ παρατιθέμενοι.

Verba notata non intelligo et etiam in ultimo haereo; medium enim istud non potest non significare: *iuxta se* ponentes. Quorsum ergo dativus τῇ Φλυαρίᾳ ille?

508 E In narratione de Seleuco et hospite rustico hic se continere non potuisse dicitur utpote laetus τῇ συντυχίᾳ τῆς χρείας.

Haec sic interpres vertit „gaudio illius casus". Parum recte; oportebat: „laetus quod res ita cecidisset ut rex a se peteret opem."

Digitized by Google

509 E Sacrilegum loquacitate seque sociosque perdentem et alia rogant et hoc circumstantes:

τίς σ' οἶδεν;

Ex „antiquitatibus" Romanis hoc transtulit noster et ad literam vertit: „quis te cognoscit?" Cf. quod est in Verrinis: „cum eum Syracusis multi cognoscerent", i. e. cum multos ibi cognitores haberet.

510 A *δεῖ πεφράχθαι, καὶ τὸν λογισμὸν ὡς πρόβολον ἐμποδὼν ἀεὶ τῇ γλώττῃ κείμενον ἐπέχειν τὸ ῥεῦμα καὶ τὸν ὅλισθον αὐτῆς.*

Haec non cohaerent nisi post *κείμενον* inseris *ἔχοντας*, quod ante *ἐπέχειν* facile excidere potuit.

510 E Breviloqui *σοφώτεροι δοκοῦσι τῶν ἐξηνίων τούτων καὶ φερομένων.*

Pro ultima voce interpres dat „concitati", et eiusmodi aliquid requiritur. Sed excidisse *εἰκῇ* post *καί* videtur.

510 F *οἱ Κελτίβηρες ἐκ τοῦ σιδήρου τὸ στόμωμα ποιοῦσιν* infodiendo terrae.

Iure W. istud *ἐκ* delevit.

511 C Pater ille qui sagittarum fasciculo utebatur ad docendos filios quae esset concordiae vis

ἓν καθ' ἓν ἕλκων πάντα ῥᾳδίως διέκλασε.

Lege *ἐξέλκων*, quemadmodum recte dat interpres suo „extracto".

512 A „Caveamus praeripere responsum ei quem (magister) interrogavit:

ἴσως μὲν γὰρ οὐδ' ἄλλο τι καλῶς ἔχον ἐστιν, αἰτηθέντος ἑτέρου, παρωσαμένους ἐκεῖνον αὐτοὺς ἐπαγγέλλεσθαι

sed haec in respondendo petulantia quam maxime est contumeliosa."

Qui factum sit ut editor istud *ἄλλο τι* in textu retineret, cum tamen nota ei esset Duebneri emendatio *ἄλλοθι* prorsus me latet. Quid enim certius quam *opponi* hic inter se universum vitii genus et peculiarem quandam eius speciem? Malim tamen

Digitized by Google

ἄλλως (omnino); an illud ἄλλως καλῶς ingratum reddit sonum? Dictu difficile.

512 B „Simile istud" (sermo etiam est de praeripiendi responsi importunitate) „est τῷ τὸν ὑφ' ἑτέρου βουλόμενον φιληθῆναι προδραμόντα φιλεῖν αὐτόν."

Pro προδραμόντα Reiskius coniecit προσδραμόντα. „Praeter necessitatem" ait editor. At cum magno textus emolumento. Tenendum autem est tam in textu tradito quam in emendato αὐτόν esse subiectum.

512 C Etiamsi is qui interrogatur prorsus nihil habet quod respondeat

ἐπισχόντα καλῶς ἔχει καὶ πρὸς τὸ βουλόμενον τοῦ ἐρωτῶντος ἁρμοσάμενον ὡς ἐπὶ κλῆσιν ἀλλοτρίαν τὴν ἀπόκρισιν αἰδημόνως καὶ κοσμίως ἀπαντᾶν.

Arena sine calce: neque *quid* debeas adaptare ad rogantis voluntatem apparet, et cum *invitatione* ad quam *venias* (ἀπαντᾶν) comparanda est *interrogatio* non responsum: interrogatus aliquis est, pro eo respondet alius; similis hic est ei qui ad cenam venit pro eo qui est invitatus. Apparet, ut opinor, leni transpositione sic esse legendum: πρὸς τὸ βουλόμενον τοῦ ἐρωτῶντος ἁρμοσάμενον τὴν ἀπόκρισιν, ὡς ἐπὶ κλῆσιν ἀλλοτρίαν αἰδημόνως καὶ κοσμίως ἀπαντᾶν.

ib. Cautus sit in respondendo qui natura loquax est

ἵνα μὴ λάθῃ τοῖς ἐπὶ γέλωτι καὶ ὕβρει προκαλουμένοις εἰς λόγους αὐτὸν ἀποκρινόμενος μετὰ σπουδῆς.

Immo vero αὐτός. Opponuntur enim inter se ii qui risus captandi causa quaestiones proponunt et is qui imprudens respondet quasi seria res sit. Nam derisor ille non unum aliquem interrogat sed absurdas proponit quaestiones omnibus qui adsunt, sperans fore ut unus eorum imprudens in foveam incidat. Sic plerumque „reges" humiliores convivas ludibrio habere solebant. Conferatur libri Lehrsiani caput: „de grammaticis qui ἐνστατικοί et λυτικοί dicuntur" et addantur huic ea quae Suetonius narrat de Tiberio grammaticos deridente.

Digitized by Google

513 C *ὑφεῖναι τὸ μέγεθος τῆς φωνῆς.*

Sinceram verbi structuram restituit Reiskius legendo *τοῦ μεγέθους.*

513 F Insanus amator apud comicum sic lucernam alloquitur:

Βακχὶς θεόν σ' ἐνόμισεν, εὔδαιμον λύχνε·
καὶ τῶν θεῶν μέγιστος εἰ ταύτῃ δοκεῖς.

Corrupta haec, sed quocunque modo sunt emendanda, hoc constat *non* latere vitium in ultimis *εἰ ταύτῃ δοκεῖς*, quorum quod est omnium sincerissimum vocabulum *εἰ* editor in *ἐν* mutat, opinor ut obtineat quod prorsus sensu cassum sit. Naberus pro *καὶ τῶν* reponi vult *κἀμοί*. Sed aegre equidem nunc fero *verbi* absentiam.

514 C Garrulus si incidit sermo ex quo discere aliquid potest eum repellit, *μισθὸν οὕτω δεῖναι βραχὺν τῷ σιωπῆσαι μὴ δυνάμενος.*

Pro *τῷ* Emperius coniecit *τό*, rectissime ut equidem opinor: silentium enim est pretium quo emitur doctrinae incrementum. Sed quorsum istud *οὕτω* additur? Lubenter eo caream.

514 D Utilissimum garrulo est solum domi studere scribendo recitandoque: sic eum

ἴσως ἂν ἡ πρὸς τὸ γράφειν σκιαμαχία καὶ ἡ βοὴ τοῦ πλήθους ἀπερύκουσα καθ' ἡμέραν ἐλαφρότερον παρασκευάσειε τοῖς συνοῦσι.

Cetera facetissima: „cum charta sua et calamis bellum gerens in publicum non procedit et sic in dies lenior fit". Sed quid sibi istud *ἡ βοή* velit non video. Si saltem abesset articulus, fingere possem adolescentulum, qui magno clamore „culpat calamos". Nunc aut abstinendum censeo aut totum istud *καὶ ἡ βοή* delendum. Sed unde intulit pedem?

Digitized by Google

VARIA.

SCRIPSIT

G. VOLLGRAFF.

AD PAUSANIAM.

I, 27, 5: ἐπὶ δὲ τοῦ βάθρου καὶ ἀνδριάντες εἰσὶ Θεαίνετος, ὃς ἐμαντεύετο Τολμίδῃ, καὶ αὐτὸς Τολμίδης. Post βάθρου lacunam indicabat Iahnius, Hitzigius non bene conicit: ἐπὶ δὲ τοῦ (αὐτοῦ) βάθρου. Manifeste legendum est: ἐπὶ δέ του βάθρου. Cf. I, 26, 5: ἔκ του μαντεύματος. Eodem modo V, 26, 1: Μεσσηνίων δὲ τῶν Δωριέων οἱ Ναύπακτόν ποτε παρὰ Ἀθηναίων λαβόντες ἄγαλμα ἐν Ὀλυμπίᾳ Νίκης ἐπὶ τῷ κίονι ἀνέθεσαν legendum est: ἐπί τῳ κίονι. Cf. Arist. Vesp. 135, ubi cum Herwerdeno et Willemsio scribendum est: ὥσπερ λεπὰς προσισχόμενός τῳ κίονι.

VIII, 42, 11: καὶ ἔθυσα τῇ θεῷ, καθὰ καὶ οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσιν, οὐδέν, τὰ δὲ ἀπὸ τῶν δένδρων τῶν ἡμέρων τά τε ἄλλα καὶ ἀμπέλου καρπὸν καὶ μελισσῶν τε κηρία καὶ ἐρίων τὰ μὴ ἐς ἐργασίαν πω ἥκοντα ... Teste Hitzigio Breyerus legi iussit: οὐδὲν (ἔμψυχον). Recte quod ad sensum. Sed fortasse praestat legere: (ἄλλο μὲν) οὐδέν.

AD PHAEDR. APPEND. FAB. XI.

Vs. 6—9:

quod, inquit, ergo, stulte, meruisti decus,
minus valentem si vicisti fortior?
ferendus esses, *forte* si te diceres
superasse, melior qui fuisset viribus.

Pro *forte* Halbertsma Mnem. N. S. VI (1878), p. 107 coniecit *arte*, quod Havetius (1895) et Speyerus (1897) in editionibus suis in ordinem receperunt. Emendationem firmat Simon. frg. 188:

Ἴσθμια, δὶς Νεμέᾳ, δὶς Ὀλυμπίᾳ ἐστεφανώθην
οὐ πλάτεϊ νικῶν σώματος, ἀλλὰ τέχνᾳ.
Ἀριστόδαμος Θράσιδος Ἀλεῖος πάλᾳ,

et Anthol. Plan. I, 1, vs. 3 sq., ubi luctatoris Spartani haec sunt verba:

κεῖνοι τεχνάεντες· ἐγώ γε μέν, ὡς ἐπέοικε
τοῖς Λακεδαιμονίων παισί, βίᾳ κρατέω.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUADRAGESIMUM SECUNDUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1914.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Ad Plutarchi moralia annotationes criticae (*contin. e Vol. XLI pag. 381*), scripsit J. J. HARTMAN	1—8.
Ad Iustinum (XXIII. 2), scripsit P. H. D.	8.
De verbis Pronominalibus, scripsit K. SNEYDERS DE VOGEL .	9—16.
Ad Tacitii Dialogum c. 28, scripsit J. J. H.	16.
De librorum Catonianorum historia atque compositione, scripsit M. BOAS	17—46.
II. De Iliadis compositione (*contin. ex Vol. XLI pag. 289*), scripsit MATTHAEUS VALETON	47—80.
Ad Sophoclis Indagatores, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF .	81—90.
Ad inscriptionem argivam, scripsit G. V.	90.
Ad A. Gellium, scripsit P. H. DAMSTÉ	91—92.
De leone Delphico Croesi dono, scripsit I. H. LEOPOLD . . .	93—95.
Flavii Iosephi locus qui est de Iesu Christo, scripsit AL. SLIJPEN.	96—100.
Ad Iuvenalem I, 160 scripsit J. J. H.	100.
XPHMA — XPHMATA apud Herodotum, scripsit C. C. CHARITONIDES	101—103.
Ad Hor. Epl. I, 1, 64, scripsit J. J. H.	103.
De locis nonnullis Statianis, scripsit M. R. J. BRINKGREVE .	104—109.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Digitized by Google

326 iniecit *Klotz.*: iniectat *ego.*

iniectat e coniectura introduxi, quoniam ét inter cetera praesentia perfectum admirationem movebat ét nullam causam illius usus invenire poteram.

vs. 676 innumeras mutabant Cycladas *Klotz.*:
innumerae .... Cyclades auras *ego.*

Lectionem traditam, quod duobus modis optime explicari potest servavi. Alteram interpretandi rationem monstravit v. cl. P. H. Damsté, in Serto Naberico qui fuse disputavit de verbo mutandi, quod verbum *minuere* interdum significare docuit, alteram in commentario exposui.

vs. 745 sq. adit *Klotz.*: obit *ego.*
adit *Mss.*: obit *Heinsius.*

Coniectura Heinsii eam compositionem in textum introduxit, quae sola obiecto *totos penates*, quod per metonymiam *totam domum* valet convenit.

931 aspiciamne *Klotz.*: te aspiciamne *ego.*

te in Mss. omissum inserui quoniam verbi obiectum aegre desideramus.

II 42 dixit *Klotz.*: ultro *ego*
dixit *PE*: ultro *QK.*

Dixit post orationem absolutam ponitur, Ulixes vero sermonem ad finem nondum perduxit; itaque *dixit* ferri nequit. Lectio codicum deteriorum talis est, ut per coniecturam excogitanda esset, nisi iam obvia esset; *ultro ... occupat* vult *medio sermone intercipit.*

II 93 primos *Klotz.*: primum *ego*
primum *Mss.*: *aliud alius coniecit.*

Omnes coniecturae inde fluxerunt quod viri docti arbitrati sunt in caesura etiam hiatum a Statio vitatum esse, quam opinionem falsam esse apparet coll. Th. VIII 36, X 441.

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. *f* 7.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. - 7.—.

—— Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. . . . . - 7.—.

—— Hyperidis Orationes duae ὁ ἐπιτάφιος λογος et ὑπερ ευξενιππου. Editio altera auctior et emendatior. 8°. 1877. - 1.50.

—— Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnassensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. . . . . - 3.50.

—— De Philostrati libello περι γυμναστικης. 1859. 8°. . - 1.25.

—— Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. Editio tertia, quam curavit H. W. van der Mey. 1893. 8°. - 0.60.

—— Xenophontis Expeditio Cyri. In usum scholarum. Editio sexta, quam curavit S. J. Warren. 1898. 8°.. . . . . - 1.20.

—— Xenophontis Historia Graeca. In usum scholarum. Editio quinta, quam curavit L. Punt. 1907. 8° . . . . . - 1.20.

J. J. Cornelissen, Oratio inauguralis. 1879. 8°. . . . . - 0.45.

—— Coniectanea Latina. 8°. . . . . - 0.60.

—— Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.

—— Opus idem. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. . . . - 0.30.

—— Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. . . . . - 0.90.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 1905. 8°. . - 1.75.

—— Analecta Tacitea. 1905. 8°. . . . . - 4.20.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae . . . . - 1.50.

H. T. Karsten, De Commenti Donatiani ad Terenti fabulas origine et compositione. 8°. . . . . - 2.20.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 1905. 8°.. . . . . - 2.40.

—— Editio minor. . . . . - 1.20.

E. Mehler, Luciani dialogi quatuor (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum . . . . . - 1.90.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLII colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, 1873—1914. 8°. pro vol. - 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUADRAGESIMUM SECUNDUM. PARS IV.

Stanford University Library
NOV 25 1914

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1914.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Observatiunculae de iure Romano (*contin. ex pag. 192*), scripsit J. C. NABER S. A. FIL.	355—368.
Ad Taciti Hist. IV, 24, scripsit J. J. H.	368—369.
De voce »fatum" sensu minus usitato adhibita, scripsit P. J. ENK.	370—379.
Bobiensia, scripsit C. BRAKMAN J. F..	380—384.
Ad Val. Maxim. VII 2 Ext. (Kempf. pag. 329, 17), scripsit C. B. J. F..	384.
Ciceroniana, scripsit C. BRAKMAN J. F..	385—388.
Ad Tac. Hist. IV 65, scripsit J. J. H.	388.
Ad Senecae Dialogum decimum, scripsit C. BRAKMAN J. F.	389—391.
De Senecae Agamemnone, scripsit C. BRAKMAN J. F..	392—398.
Iuvenal. Sat. 1, 85, scripsit P. H. DAMSTÉ.	399—400.
Varia (*contin. ex Vol. XLI pag. 394*), scripsit ALPHONSUS KURFESS	401—404.
Ad Virgilii Buc. VI 34, scripsit J. J. H.	404.
Ad Callimachi hymnum in Cererem, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	405—419.
Ad Taciti H. I, 40, scripsit J. J. H..	419.
Pulmo Marinus, scripsit P. H. DAMSTÉ.	420—423.
Ad Plutarchi moralia annotationes criticae (*contin. e pag. 289*), scripsit J. J. HARTMAN	424—443.
Varia, scripsit G. VOLLGRAFF	444.

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. *f* 7.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. - 7.—.

—— Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. . . . . - 7.—.

—— Hyperidis Orationes duae ὁ ἐπιτάφιος λογος et ὑπερ ευξενιππου. Editio altera auctior et emendatior. 8°. 1877. - 1.50.

—— Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnassensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. . . . . - 3.50.

—— De Philostrati libello περι γυμναστικης. 1859. 8°. . - 1.25.

—— Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. Editio tertia, quam curavit H. W. van der Mey. 1893. 8°. - 0.60.

—— Xenophontis Expeditio Cyri. In usum scholarum. Editio sexta, quam curavit S. J. Warren. 1898. 8°. . . . . - 1.20.

—— Xenophontis Historia Graeca. In usum scholarum. Editio quinta, quam curavit L. Punt. 1907. 8°. . . . . - 1.20.

J. J. Cornelissen, Oratio inauguralis. 1879. 8°. . . . . - 0.45.

—— Coniectanea Latina. 8°. . . . . - 0.60.

—— Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.

—— Opus idem. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. . . . - 0.30.

—— Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. . . . . - 0.90.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 1905. 8°. . - 1.75.

—— Analecta Tacitea. 1905. 8°. . . . . - 4.20.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae . . . . - 1.50.

H. T. Karsten. De Commenti Donatiani ad Terenti fabulas origine et compositione. 8°. . . . . - 2.20.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 1905. 8°. . . . . - 2.40.

—— Editio minor. . . . . - 1.20.

E. Mehler, Luciani dialogi quatuor (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum . . . . . - 1.90.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLII colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, 1873—1914. 8°. pro vol. - 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Stanford University Libraries
3 6105 013 479 758

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
CECIL H. GREEN LIBRARY
STANFORD, CALIFORNIA 94305-6004
(415) 723-1493

All books may be recalled after 7 days

DATE DUE

APR - 1 1998
APR 8 1998
AUG 7 1998
F/S JUN 30 1998

Digitized by Google